
REI MEDICÆ
STUDIO.
—
J. BAP:
DONATIUS.
—
1591.



BODLEIAN

146
E 3
6
11 4

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

DONATIUS, J.B.

Ec 2

68257/A

II 4

REI MEDICÆ

STVDIO STIPENDIA SEX,

IOANNIS BAPT. DONATII;

Quorum nomina hæc sunt;

I, τῶν παρασκευαστικῶν, *id est*, *Apparatus Medici lib.* I.
II, *De Iudiciis liber* I.
III, *De signis morborum iudicialibus liber* I.
IV, τῶν Ἐπιδημιῶν, *seu Diuinationum liber* I.
V, *Commentaria in lib. Hippoc. De morbis virginum lib.* I.
VI. *De aquis Lucensibus libri* IV.

AVCTORIS SVMMA DILIGENTIA NVPER EMENDATA, AVCTA, & illustrata, & nunc primùm in Germania in lucem edita.

Omnibus medicinæ studiosis vtilia, & maxime necessaria.



FRANCOFVRDI

Apud Ioannem Wechelum, & Petrum Viscerum, consortes.

M D XCI.

DEO OPTIMO MAXIMO,

HÆC REI MEDICÆ STVDIO
STIPENDIA VI. IOANNES BAPTISTA
DONATIVS VOLENS, LIBENS
DAT, DEDICAT.

QVI INGENVE FATETVR ILLA
AB EIVSDEM NVMINIS BENIGNI-
TATE MVLTO ANTE SE ACCEPIS-
SE, ATQVE PROBE NORIT EADEM
SVMMA EIVS TANTVMMODO SA-
PIENTIA ET FORTITVDINE TVE-
RI AC REGI.

IOAN. BAPT. DONATII,

τῶν παρασκευαστικῶν, IDEST, MEDICI APPARATVS,

LIBER I.

CLAVDIVM Galenum Pergamenum non modò incredibili dicendi artificio cæteris præstitisse medicis, verùm etiam omni doctrinarum genere pręclarè instructum fuisse, nemo est qui vnquam dubitarit. Nam vt omittam minores artes, quas omnes didicisse à puero multis argumentis facilè possemus comprobare, differendi artem nouisse occultari nullo modo potest: cùm admirabilis quædam rerum ratio, ac via in omnibus diuinis eius monimentis semper eluceat. Dissimulare non possumus eundem Mathematicas disciplinas tenuisse, quod eas à patre se habuisse ipsemet aliquando tradiderit. Musicas leges didicisse sine controuersia concedant omnes, necesse est, qui decem, & octo illa De pulsibus volumina, & accuratè, & eleganter scripta vnquam attigerint. Quid dicam de Physicis, quæ ita explicauit, vt nedum Hippocratis Coi subtilissimum interpretem, & propè discipulum agnoscamus, sed etiam lucem illam aspiciamus, quam multorum & præsertim Aristotelis scriptis attulerit? Sunt omnino eius de Physiologia monimenta necessaria rudibus, grata doctis, vtrisque iucundissima. Ad medicinam postremò (diis ita volentibus) cùm se contulisset, præclaris multis innixus adiumentis, summo suo studio, & labore effecit, vt hæc ars, & vtilissima, & pulcherrima posthac semper haberetur. Vnde maiores nostri maximis sunt

erroribus leuati, & nos diuinum illum scribendi ordinem admiramur, & simul gaudemus, hisce nos potissimum ortos temporibus, quibus tantum huic arti ornamenti accesserit, vt quæ multo tempore spreta, atque abiecta in squalore iacuerit, nunc in aulis summorum imperatorum, atque principum, illustris, ac conspicua nobis appareat. Quamobrem non temerè mihi videor posse affirmare huic facultati, aut confirmandæ, aut illustrandæ tantum luminis addere potuisse neminem, nisi qui & Philosophorum artibus instructus, & ipse etiam Philosophus, & aliis, quæ didicisset, aut inuenisset, præcipere, & quæ in arte exercenda ipse vidisset, & sæpe periculo facto vera esse cognosset, complecti oratione commodè potuisset. Sed fato deinceps immutabili factum est, vt medicina, cuius maximi aliquando fructus percipiebantur, ad Barbaros se receperit, à quibus cùm barbarè quoque loqui didicisset, tum verò omnia illa amisit ornamenta, quæ à Græcis hominibus, & Romanis multò antè acceperat. Etenim cùm illi breuiter omnia docere conarentur, viam illam, quam author, & conditor professionis huius monstrauit Hippocrates, non sunt persecuti, quam nisi maximo animi errore flexissent, illac multò, mea quidem sententia, iuissent propius. Hi dum labores studiosorum minuere conati sunt, sustulerunt illam inueniendi, curandique morborum rationem, quæ maximè necessaria erat: quod ne accideret, monuisse aliquando Senem nostrum arbitror, breuiter (vt solet) sed frustra, cum illa diuinitus scripsit: NIHIL TEMERE. Nam vt illam breuitatem assequuti sint, quam tantopere adamarunt, quid aliud, obsecro, effecerunt, nisi vt medicos ἀμεθόδως ad vsum multorum medicamentorum reuocarint? quorum quamplurimæ compositiones vix ferendæ sunt. Multa quidem illi ex Græcis descripserunt: at ita ea deprauarunt, vt quæ in fronte polliceantur, præstare nullo modo possint.

Sexto De mor. vulg. com 2. parti 25.

sint. Et maxima illorum pars, ita mala est, vt ne damnato quidem de maiestate danda esse arbitrarer. Verumtamen haud sum nescius, maximam illis deberi laudem ob multa ab ipsis partim illustrata, partim egregiè excogitata, de quibus aliud habeo dicendi tempus constitutum. Nunc verò Deûm benignitate, & multorum principum virtute, expulsa barbarie, in summum locum summa cum dignitate medicina restituta, & tota studiorum ratio commutata est. Qui de re medica scribunt, Latinè scribunt, rectè, atque ordine progrediuntur; Græcos authores legunt assiduè, quos plærique, ne dicam omnes, præteritis temporibus ignorabant. Medici in ægrorum ædibus ad eorum consuetudinem differentes non longè se abesse ab artificio dicendi ostendunt. Mihi verò nunc difficile est, ea quæ à Galeno peritè inuenta, & pulcherrimè prodita sunt, colligere, illaque in quendam ordinem redigere, quæ veluti frustra transcripta ne mihi vitio vertant imperiti, non extimescam. Cùm autem per otium licebit, maiora quædam aggrediar, quæ iampridem inchoata, nondum tamen perfecta atque absoluta sunt. Cæterùm quamuis ea, quæ litterarum monimẽtis traditurum me suscepi, facilè perspiciam, non nisi magno negotio à me effici posse: tamen, quoniam semel me ad eam cogitationem accinxi, conando, agendóq; quò potero peruenire conabor: perficiámq;, vt omnes intelligant me & diligentiam hac in re efficienda non mediocrem adhibuisse: labori verò nullo vnquã tempore peperciſſe. Via igitur illa (quam Hippocrates ὁδον, iuniores deinde μέθοδον vocauerunt) munienda est ex veterum monimentis, quæ non solùm ad morborum sedes cognoscendas, sed etiã ad affectuũ indicia nos facilè ducat. Sed hoc tãtúmne? Imò verò morborũ euentum prædicendi, & rectè, atque ordine morbos curandi rationem demonstrabit. Quæ cùm vix ab vno, aut altero cognita sit, danda nobis opera est, vt eam

Sexto De mor. vulg. com. 3. partic. 20.

indagemus, & inuentam ita inſtauremus, vt cæteros quoque commodè in illam nobiſcum inducere poſſimus. Quòd ſi veterum, qui inter maximos habiti ſunt medicos percurras, quæ ab ipſis vocantur, Conſilia, ne vllum quidem huius viæ veſtigium reperies. Sed quid ego veteres commemoro? Permulti ſunt, hique minimè noſtrâ ætate ignoti medici, qui cum morbos, quibus ægroti conflictantur, conentur explicare, & quanam ratione illis ſuccurrendum ſit, præcipiunt, ita hoc putidè faciunt, vt mirandum minimè ſit, ſi noſtra à nonnullis ferri aliquando non potuerint. Et quamuis haud ſim neſcius, à Galeno haſce vias, & rationes non valde probari, quæ & ſine exemplis, & abſque exercitatione traditæ ſint, quoniam parùm omnino ſtudioſis proſunt, & conſulunt: tamen cùm reſponſa nonnulla, & deliberationes medicas edere iampridem in animo habeam, quæ veluti partem quandam huius libelli eſſe ſtatuo, & vim exemplorum, & cuiuſdam (vt arbitror) exercitationis haud ineptæ obtinebunt, ea non putaui hoc in libro interſerenda, quæ & longiorem reddere poſſent orationē, & obſcuriorem. Quòd ſi qui ſunt qui illorum deſiderium ferre non poſſint, illi vt ad Commentaria Galeni decurrant cenſeo, illáque diligenter euoluant. In quibus illum multoties cum præclariſſimis medicis acriter diſputantem animaduertent, & in eos inuehi, qui aut morbos non cognoſcebant, aut iis morbis, ex quibus maximè laborabant ægroti, non medebantur; aut illius partis, quæ affecta erat, naturam haud noſcebant: itaq; non illi amplius ſibi noſtra colloquia, & reſponſa cōquirenda eſſe putabunt: ſed ab eo ipſo, à quo hæc via primùm munita eſt, eadem ſumenda eſſe arbitrabuntur. Sed omiſſis iis, quæ huiuſce ſcriptionis propria nō ſunt, illud quicquid eſt muneris, quod ſuſcepim⁹ aggrediamur. Principiò faciam, quatenus quidē efficere potero, id, quod Galenum ipſum fere ſemper facere animaduerti. Dicam

cam non (vt ille) quos libros legisse eos oporteat, qui idonei haberi velint ad horum librorũ sensus cognoscendos: sed (quod queo) vnde tota hæc quasi ars exscripta est, à cuius consuetudine si longiùs recedere videor, nemini mirum videri debet. Ille enim cùm ampla omnia, præclaraque pangeret, quæque rerum fructu adducti mortales omnes tot seculis in hoc vsque tempus maximè probarunt, quoniam vehementer cupiebat, vt quæcunque scriberet, ab omnibus intelligerentur, ferè semper iis, quibus cordi erat medicinam noscere, ostendebat, quæ antè prælegisse eos oporteret. At ego, qui ea quæ multò antè ab eo literis tradita sunt, summa industria vix colligo, eligóque, si itidem facio (cum quantulacunq; in re versèr haud ignorem) omnino stultus sim. Ego igitur omnia hausi de libris, qui De ratione curandi, & De partibus interioribus ægritudine affectis inscribuntur. Hos diligenter, & accuratè obseruaui, ab his omnia sumpsi, & in mea hæc scripta transtuli. Et quoniam in sermonem horum librorum deuenimus, non alienum mihi videtur adnotare, vt studiosi hosce libros planè aureos accuratè legant, & inter se diligenter conferant, animaduertantque quam viam, dum illam medicinæ partem pertractaret, ingressus sit Galenus, vir omnium qui sunt, & fuerunt multò doctissimus. Audio enim esse quamplurimos, qui cum non videant ordinem ab ipso optimè obseruatum in tota arte medica tradenda, putent eum maxima illa volumina fortuitò scripsisse, & nõ de industria. Et quoniã non est meum consilium à re proposita longius digredi, in iis libris inter se conferendis non occupabor. Aliàs enim hoc ostendere in animo habeo: ostendam autem in commentariis in libros De partibus interioribus ęgritudine affectis, quos iamdudum habeo in manibus propè pertextos. Verùm hæc omittamus. Et quoniam viam hanc maximè vtilem fore arbitramur, & iis, qui consultationes scribunt, & iis,

qui in colloquia veniunt medicorum, non absurdum fore arbitrabor, si aliquid de colloquiorum quoque lege,& ratione disseruero:vtpote huic tractationi magna ex parte coniuncta. Sunt nonnulli qui existimant in colloquiis, medicum posse dicere de omnibus rebus. Quare fit, vt alii aliquando de Astronomia, alii de Elementis, alii aliis de rebus longè remotis ab arte medica longiorem suscipiant orationem. A quibus ego quemadmodum magnopere dissentio, sic libentiùs assentior iis, qui cùm se doctos haberi valde desiderent,egregio iudicio id faciunt:& quæcunque dicere profitentur,quamuis ab eorum officio longè semota ad eam ipsam rem, de qua agitur, aliqua ex parte accommodata esse demonstrant. Non enim possum omnibus meis sermonibus non efferre nonnullorum ingenii suauitatem, qui cùm de re medica disputent, adeò venustè de omnibus rebus quæcunque in disceptationem veniunt, disputant, vt non modò non offendant aures eorum qui audiunt,verùm etiam multò concinniores suos congressus reddant. Id autẽ faciunt, cùm dicant aut se præterire, aut nolle dicere id quod tunc maximè dicunt, aut cùm difficiles quæstiones summatim afferunt, aut tametsi eas ab initio repetant, in eos ipsos, qui audiunt, referunt, quorum voluntati parere se officio adductos demonstrant. Hoc perpetuum Montano fuisse cognouimus, vt cùm paululum à re proposita digrederetur, ostẽderet se studiosis Medicinæ consultum velle, quorum commodo, vtilitatique seruire nunquam vir ille in postremis habuit. Medici autẽ officium, qui in colloquia venire solet, duabus in rebus(ni fallor)maximè versatur,fine,& iis,quæ ad finem consequendum spectant. Qui ad hæc omnes suas cogitationes non intendit, is inania, leuiáque sequi necesse est. Finis autem medici est, ægros ad sanitatem perducere. Eorum verò, quæ ad finem consequendum spectant,quæq; mente, animóque consi-

derare

derare medici omnes debent, tria (vt arbitror) sunt. Primum enim morbum, deinde illius partis, quæ affecta est, naturam illos noscere oportet. Postremo cuncta ex curandi arte, præceptisque agere necesse est. Illud maximo argumento est, quod omnia medicus præstitisse se putat, cum ægritudine affectam partem, morbumque intellexit, & summa cura & diligentia vtrumque curauit, ægrotoque tandem sua opera sanitas reddita est. Qui vero vltimo loco dicit, is, quæ longiore sermone, & quam firmiss. auctoritatibus quatum vallata sunt, accurate, & memoriter via, ac ratione colligere debet, & ad omnia diligenter respondere; quæ minus firma sunt refutare, ægritudinum, & euentuum, quæ ad alia trãsferri, & accommodari possunt caussæ reiiciendæ, sua explicare, dubia confirmare caussis æstimatis, signis cum propriis, tum vero iis, quę alterum ab altero seiungit expressis, ac declaratis. ex his prognosticum elicere, & tandem, ad quas metas dirigere debeat consilia sua, luculente aperiendum. Illa vero quæ multoties euenire dicuntur, & addiderunt nonnulli, vt quærant ii, quorum interest, num ęgrotus amissam valetudinem recuperare possit, vel num ex illo auxilio, & morbo ægrotus possit conualescere, vel nunquid mors in propinquo sit, & quid denique de totius morbi euentu promittendum sit, minus mihi necessaria videntur. Etenim si hanc viam, & rationem recte tradidero, quæcumque loquentur medici, ex iis fontibus emanare videbuntur; neq; necessarium erit exigua quædã quæ in ipsum medicum cadere aliquando non negamus, propriis præceptis tradere, quæ vt ex animi sententia non succedant, agam tamen quam diligenter potero, vt omnes intelligant, me in primis id efficere conatum esse, vt nihil à quopiam desideretur. Verum alacri animo pergamus ad ea quæ restant, & ad quas res medicum cum ad ægrotos venit, cogitationes omnes intendere oporteat, doceamus. Cum

enim de congressuum ratione aliquid dicturi simus, certam viam, rationemque dicendi medico dare debemus, ad quam omnes priuatas ægritudines accommodare liceat. His præceptis, & rerum suarum dispositionem firmius ipse animo percipiet, & quid quibus in locis maxime sit collocandum facile cognoscet, & simul quo pacto commode exordiri possit nullo negocio intelliget. Tria autem sunt, quæ medicus diligenter perpendere debet. Primum est corpus; secundum est actio, quæ à corpore producitur, & ab eo nunquam seiungitur, quæque si consentanea est, corpus bene habentis ἐμμελῶς, & secundum naturam illum habere dicimus: sin minus, aut nullo modo, aut aliter atque à natura. Tertium est genus caussarum, quę hos morbos faciunt: hæc eandem habent rationem ad affectum, quam habet actio ad corpus: quemadmodum enim actio corpore continetur, sic & affectus à suis caussis pendere videtur. Ordiamur ab actione, quoniam morbum cognoscere non possumus, nisi prius consideremus, quænam actio lęsa sit, de qua nunc pauca quædā dicenda sunt. Deinceps vero ad morbi præcepta trāseundum est. Singularum partium suum cuique opus, ac munus est, quibus læsis in actum quemadmodum antea erumpere nullomodo possunt: namque aut omnino ipsa actione priuantur, aut eam prauam, aut obscuram habeant necesse est. Triplices autem sunt muneris functiones, aut animi, aut naturæ, aut vitę; quę aut naturales, aut animales, aut vitales vulgo vocantur. Quoniam vero tota prope ratio colloquiorum posita est in huiusce rei distributione, si hac in re explicanda paullulum immorabor, non est cur me excusem. Namque medicus absolute munus suum conficere non potest, nisi recte atque ordine hæc exponantur. Primum igitur hac in re perpendendum diligenter est, quænam pars, aut quodnam instrumentum vitiosum sentiatur: deinde animaduertendum, an

vna tantum vis, ac facultas, vel plures corpus habeat imbecilles. Deinde cum hoc fecerimus, cogitandum, num omnes partes, quæ alteri ſubſeruiunt, vitioſæ ſentiantur, vel vna, vel plures: atque ad hanc rem cognoſcendam plurimum valebit corporis humani in ſua membra diſſectionis ſcientia, quæ docet ſingulorum poſituram, ordinem, figuram, proceſſum, & receſſum, & ipſorum denique naturam. Poſtremo dilucide perſpiciendum, num particula ſit ex earum genere, quæ cum aliis vel committatur, vel ſocietatem aliquam habeat, vt membrana ſuccingens coſtas vocata; quę quoniam ſuperiores, & inferiores thoracis partes tenet, dolor aliquando circa ſcapulas, & iugulum oriri ſolet. Perſpecta diligenter actione læſa, morbus deinde cognoſcendus eſt, qui an per ſe ſit, an ex aliis morbis ſequatur, conſiderandum. Morbi enim, qui ex aliis ſequuntur, ita membra inuadere ſolent, vt aut veſtigia altius non imprimant, aut certe diutius non ſubſiſtant. Qui vero per ſe ſunt, factine iam ſint, aut etiam num fiant, cogitandum. Qui enim facti ſunt, aut firmi, & ſtabiles ſunt, aut non. Qui firmi ſunt, aut terminantur reiecta cauſſa, quæ morbum excitauit; aut etiam ſubſiſtunt, quamuis cauſſa ablata ſit, ex qua morbus natus eſt. Qui vero etiam num fiunt, aut conſiſtant, aut minuantur neceſſe eſt. Hæc à perito medico diligenter tractanda ſunt; propterea quod ad hæc omnis ratio collegiorum accommodatur, vt paullo poſt dicemus. Quod ſi cui forte ſpinoſiora videbuntur, is ſciat à Galeno nos hæc ſumpſiſſe primo De interioribus partibus ægritudine affectis. Quoniam vero non ſatis eſt medico cognoſcere id quod accidit, niſi etiam cur id accidat, reperiat: proximus locus eſſet, vt de morborum cauſſis ageremus, quibus medicus inſtructus, facilius morbum cognoſcere poſſet. De quibus quoniã inferius longiorem ſermonem habere decreuimus, totam hanc rem paucis perſtringere ſtatuimus. Igitur

morbo cognito, diligenter animo cogitare debemus, num cauſſa ipſa, particula morbo laborante contineatur, an potius de parte, quam attigit, cito deceſſerit: ſi in ipſa contineatur, tum cõſiderare oportet, num ſemper ad morbum affixa ſit, an potius ab ea facile ſeparari poſſit. Sin deceſſerit, animaduertere debemus, an aliquid ab ipſa relictum ſit, quod corpus affligat. Cum hæc attentius examinauerit, facile deinde ad noſcendam naturam corporis progredi poterit, quam ex IX. Method. cap. XVI. coniectura potius, quam ſcientia comprehendimus hæc quidem primum cognoſcetur ex vniuſcuiuſque partis conſtitutione. Secundo ex functionum vitio, & virtute, quæ ſunt aut animi, aut vitæ, aut naturæ: ſub animi vero functionibus maxime intelligi velim, & principes, quas vocãt, actiones, ſenſus, & actuoſas functiones, quas Græci ἐνεργείας πρακτικὰς vocauerunt. Tertio, ex ea immutatione, quæ iniuria externa ſolet euenire, vt colore, & calore. Quarto, ex iis quę excerni ſolẽt, quibus de rebus nulla cauſſa eſt, cur longiorem orationem ſuſcipiamus, cum hęc facile ſumi poſſint ex arte medica Galeni. Quæ quoniã ad colloquiorum rationem vehementer pertinere arbitrati ſumus, idcirco hæc breuiter interſerere non omnino à noſtro inſtituto alienum eſſe exiſtimauimus. Si igitur medicus protinus, vt ad ægrotum venit hæc diligenter in animo verſabit, facile deinde, cum aliis in ægrotorum ædibus congredi poterit, cuius congreſſus exordium, quomodo meo iudicio conſtitui poſſit, breuiter oſtendemus. Nam integri colloquii exemplum in noſtris reſponſis habebitis. Huiuſmodi vero vti poterit principio. Quotieſcumque ad ægrotum venio, toties mihi venit in mentem officium medici eſſe è præceptis artis morbos curare, quibus mederi nullo modo poſſumus, niſi affectum, qui impedit, quo minus partes ſuis muneribus præclare fungi poſſint, cognoſcamus. Verumtamen hic recte percipi

non

non poteſt, niſi & cauſſam, quæ morbi initium attulerit, diligenter æſtimemus. Eſt enim non ſolum Philoſophorum, ſed etiam medicorum, iamdudum vſurpata, & comprobata ſententia, vt quicquid oritur, id omnino cauſſam habeat, quam vt cognoſcamus, omni ſtudio eſt enitendū. Iam vero cauſſam particulæ haud probe affectæ ad munus ſuum fungendum cognoſcere nos non poſſe facile ſentimus, niſi quid vnicuique particulæ morbo laboranti tum per ſe, tum per aliud inſit, diligenter exponamus. Quare tria ſunt in primis à nobis diligenter examinanda. Primum, partis quæ affecta eſt natura, deinde de morbo ipſo aperiendum eſt; poſtremo de cauſſa eſt agendum. Verum quoniā nulla fere pars noſtri corporis laborat vnquam, quin cæteræ quoque partes imbecilliores ſentiantur, idcirco optimi medici officium eſſe arbitror, non ſolum eius particulæ, quæ aliquo morbo vexatur, verum etiam totius corporis naturam diligenter perpendere. Quod ſi in minoribus artibus, quæ (vt hæc noſtra) quod iam fuit, reſtituere conantur, opifices ſummo ſtudio veſtes explicare, diligenterque ſcrutari ſolent, num alio aliquo loco, quem ipſi non animaduerterint, diſciſſæ ſint (cupiunt enim, vt pulcerrime reſarcitæ, iis, quorum ſunt, præbeantur) quid tandem medicos qui in tam magna, & ingenua arte verſantur facere oportet? qui, cum hominibus diutinis aliquando morbis fatigatis, atque oppreſſis accurrunt, nonne ſummo ſtudio ad omnium ordinum partes ſuas cogitationes conuertere debent? Neque vero quidam penitus efficiunt, vt eorum mihi opinio cum ratione congruere videatur. Etenim quamuis huiuſcemodi caſus inueniantur, in quibus de corporis natura minime agendum ſit, vt in iis morbis, qui in ſtructura partium, quæ propter vſum aliquem corporis à natura nobis donata ſunt, aut in cōformatione, magnitudine, numero, compoſitione conſiſtunt, tamen in cæteris

omnibus,qui aut in totis corporibus consistere videntur,aut in partibus oriuntur,necesse esse arbitror medicum de corporis natura disputare debere, quemadmodum à Galeno demonstratum est libro primo De curandi ratione. Si quis autem erit,qui tam longam orationem susci pere nolit,is breuiter hoc modo exordiri poterit. Tria maxime considerandasunt à medicis,corpus,morbus,& ipsius caussa: & de natura corporis protinus verba facere poterit. Quod si (vt aliquando euenit) partem illam,quæ est affecta,noscere exigui operis non sit,illa parata, atque expedita habere oportebit,quæ ab Erasistrato summo, ac præstantissimo medico diu obseruata fuerunt in vsu,ac tractatione artis medicæ. Etenim ille primum studiose perpendere solebat naturam partis morbo laborantis, & quærebat, num notas haberet proprias illius partis. Deinde erat illi propositum,vt caussas morborum accurate eliceret,& affectum dignoscceret. Postremo nihil illi erat antiquius, quam eorum quæ detegere,& sequi morbum solent,differentias inuestigare, quæ à Græcis συμπτώματα,à nostris verbo trito,ac vsitato accidentia dicuntur. Non me præterit,multis ac variis aliis modis principia capere nos posse, quę nunc explicare minime necessarium esse duco: iis enim qui egregio à natura instructi sunt ingenio, reliqua omnia erunt facilia: aliorum vero studiis,ne si infinita quidem demõstrentur, vnquam satisfaciemus. Nunc quoniam demonstratum est,qua in re medicum versari oporteat, & quæ toto animo cogitare conueniat, quibus de rebus deinceps dicturi simus, dilucidius proponamus. Duæ partes erunt huius libelli. Primo loco quo pacto partem illam quæ affecta est, & morbum noscere possumus,& qui sint per se,quique ex aliis sequantur, nec non morborum differentias, mores, magnitudinem, & caussas ostendemus. Absoluta hac parte, quid de morborum euentu promittendum sit, & ex quibus

curandi

curandi ratio ducenda sit, aperiemus. Postremo de curandi ratione verba faciemus. Verum quoniam principio quo pacto partem illam, quæ affecta est, noscere possimus, docere debemus, in qua singulare consumitur medici officium, ne manca quodammodo sit, & imperfecta hæc via, & methodus, prius pauca quędam de coniectura, & de signis, quibus morbos colligere solemus, breuiter disputare statuimus, quæ veluti instrumenta sunt ad ea comprobanda, quæ à medicis in colloquiis proponuntur. Notitiam vero signorum, tum loci ægritudine affecti, tum ipsius affectus ante omnia mihi tradendam esse perspicio, nō quod in hac docendi ratione eam cognitionem, necessario antecedere debere existimem; haud enim me fallit Hipp. ipsum huiusce nostræ doctrinæ auctorem optimum prius fracturarum curationem executum esse, quā ad fractorum ossium notarum prędceptionem transisse 1. De Articul. p. 33. nec non luxationum curationem exposuisse, antequam illarum indicia demonstrasse videmus. Nam modo antea in alam fieri posse luxationem nouerimus, qua ratione deinceps luxata ossa reponi debeant vel nos ipsi excogitare, vel ab aliis discere nullo negocio poterimus. At nullo potis est pacto eadem ossa moueri à sedibus suis posse, aperte dignoscere, nisi prius totam dearticulationis naturam optime nouerimus; verum quoniam in artis Medicæ exercitatione, ad quam tota hæc refertur disputatio, curationis principium facere non possumus, nisi locorum, ac sedium affectarum cognitio præcesserit: idcirco ab iis notis protinus exordiū sumere voluimus, quibus optime instructi ad curationes morborum deinceps commodius transire possimus, quod ne intereat maxime, hæc obseruanda sunt, quod illa vere omni in re, vel percipienda, vel agenda & subsequi, & præcedere necessario dicimus, sine quibus neq; opus perfici, neque disciplina belle perdisci poterit, nisi si

ante illius rei cognitio atque inquisitio præcesserit: ad hæc si respexerimus in iis quę in huiusmodi disciplinis aut antecedere, aut consequi debent dignoscendis, decipi, aut errare nunquã poterimus: sed cum omnes artes ostendere debeant, quales argumentationes sequi necesse sit, illum qui eas tenere desiderat: tum vero in hac quales sequi, & vitare conueniat, maxime indicandum est. Hæc enim nisi bene cognita, ac perspecta fuerint, ad diuersas res frustra, tanquam in cursu deuehamur necesse est. Morbis igitur aliquando partes exteriores, aliquando vero interiores infestantur. Pars exterior vitiosa oculis nostris exposita est. Interiorem vero laborantem ratione cognoscimus, quæ duplex est, altera quæ ἡ ὁπτικὴ διάγνωσις ἢ βεβαία, καὶ γνῶσις ὁπτικωτέρα, ἢ λογικὴ διάγνωσις multis in locis à Galeno appellatur: nos (quod antea sciri voluimus) perfectam rationem vertemus. Altera vero ὁ τεχνικὸς στοχασμὸς nominatur, vel ἐλπὶς στοχαστικὴ, quod habet libro De compositione medicamentorum ad loca affecta attinentium, quam coniecturam, quæ arte nititur, aut quæ in coniectura posita est, vel quæ coniectura pendet vertemus. Huic multum tribuit Galenus libro De multitudine, quam tantum abesse à perfecta ratione dicebat, quantum illa, quæ nulla arte nititur superat, & excellit. Hac arte medicamenta, quæ singulis morbis conueniunt, & cõficere, & inuenire se solitum testatur ipsemet Galenus. Præterea vero non parum, quemadmodum multis aliis in rebus, hæc ab illa magis, minusque differt: non enim hyemale solstitium, & Caniculæ ortum æque pluuiam exhibiturum speramus. Nam hyemali plerumque, sub Caniculæ vero æstu raro admodũ euenit, vt pluat. Verum hac de re infra copiosius. Hæc vero, & artificiosa argumentatio dici potest; media est inter omnium rerum ignorationem, & certam scientiam. Cuius ratio est, vt tametsi vera non sit, sæpius tamen in ipsis curationib. respon-

dere

dere ſoleat. Hæc denique quam proxime ad veritatem accedere debet: nam quæ ſæpius à veritate deſciſcit,& plerumque fallit, eſt omnino artis expers. Is autem coniectura niti optime poterit ex arte, qui facultatem rerum omnium, quæ in arte medica continentur, memoria tenet, atque omni adhibito ſtudio, ita in curationibus verſatur, vt nunquam à præceptis artis diſcedat. Qua in re conſequenda excellentiores,& deteriores reperiri ſolent medici, quamuis & eoſdem legant auctores, & eoſdem præceptores perpetuo audiant. Namque qui acutiori præditi ſunt ingenio, iis, qui illud quam exiguum habent, euadunt excellentiores: & qui minime labores fugiunt, iis, qui defatigantur: & exercitatiores minus exercitatis: & qui melius memoria tenent, iis, qui minus ea valent. Huius autem cognitionis non vnum genus eſt: namque altera altera multo certior,& firmior eſt. Cum enim alia aliis ſignis accedunt, ex quibus eundem morbum cognoſcimus, morbi notitiam fieri certiorem neceſſe eſt: quæ à Galeno ἀσφαλέστερα nominatur. Ex omnibus autem cauſſarum generibus,& ſignis, quibus morbos intelligimus, coniecturam, quæ arte nititur, capere poſſumus. Cauſſas vero quot,& quales ſint, quoniam de his inferius copioſe, & fuſe dicturi ſumus, demonſtrare non conabimur, ne plura verba quam ipſa res poſtulat, effundere velle videamur. De ſignis autem, quibus ſuperiora conſtant, & conficiuntur pauca quædam mihi ſcribenda ſunt. Signũ autem, id eſt omne, quod ſenſu acceptum, & comprehenſum ducit nos in alicuius rei obſcurioris cognitionem. Quicquid præterea ab aliquo tanquam à cauſſa ducit originem, id illius ſignum eſſe dicitur. Etenim, quod tradit Galenus lib. De vſu. pul. cap. 1. ea quæ ad vitam tuendam apta ſunt, morbis implicantur, iis affectis neceſſario quædam conſequuntur. illa igitur ob id ipſum, quia vitæ vtilia, commodaq; ſunt, primariæque corporis noſtri partes

habentur, nullum nobis non periculum eorum causſa imminere ꝓtinus videtur, quatenus vero multa illorum ægritudines neceſſario conſequuntur, ea haud ambigua ipſius periculi ſigna, & indicia euadũt. quamobrem ſignorum quædam præſentia; quædam præterita, quædam futura demonſtrant; demonſtrant autem, quæ ita coniuncta ſunt, iis quæ ſignant vt illico cum apparent cognita, perſpectaque ſint, vt fumus ignem oſtendit. Demonſtratiua ἐνδεικτικὰ vocantur, futura prognoſtica, præterita vero tantum admonens, ſignum autem cum alicuius rei ſignum ſit, in ea categoria ponitur, quæ πρός τι ab Ariſtot. appellatur, & ab illis rebus à quibus emanant, perfluere videatur; illius quoque cauſſę à qua pendet, quaſi finem afferre neceſſe eſt. cauſſę vero omnes in duo genera diſtribuuntur, quædam enim antegreſſæ dicuntur; quædam antecedentes. hæ neceſſarias propoſitiones, illæ vero probabiles excitant: ergo ſignorum quædam ſunt probabilia, quædam neceſſaria: hæc à rhetoribus τεκμήρια, illa vero ſigna vocantur; Medici vero quædam παθογνωμικὰ, quædam σωεδρεύοντα, quædam ἐπιφαινόμενα. Iuniores nonnulli, quædam maxima, quædam minima eſſe tradidere. Febris ardentis indicia ſunt ſitis, calor vehemens, delirium, & ſi qua alia ſunt. Ea vero, quæ Thymi filio acceſſiſſe narrat Hippocrates in huiuſcemodi febre, alui excrementa multa cum bile, animi defectu, & ſudore, ita quidem morbo adhæreſcunt, vt tamen facile poſſint ab eo ſeparari: & aliquando quidem cum ipſo morbo excitantur, nonnunquam ne oriuntur quidem. Quod & in adoleſcente, qui primus allatus eſt, facile poſſumus obſeruare. Maxima ſigna ſunt, quæcumq; ex partibus primis, & principibus ſumuntur, veluti cerebrum, cor, & iecur eſſe, nemo eſt qui neſciat, & vrinę, & pulſus in febribus. Horum minime incerta fides eſt. Minima vero ſunt, ſupinum ægrotum iacere, vehementer, ac crebro ſpirare, quæ excernuntur, &

Quarto De morbis vulg. com. 2. partic. 10.

Septimo De morbis vulg.

Primo prognoſtic. part. 6. & 7.

tur,& comprimuntur,& quæcumque ad vltima ventum esse testantur, compressæ nares, nasi proximioris acumen tenue, cauati oculi, caua tempora, frigida pellis duraque,& cætera, quæ ab Hippocrate,& aliis sexcenties decantata sunt. ea vero prope omnia adiuncto etiã vno maximorum malo, vrina scilicet clara, pura in Nicoxeno in Olyntho VII. De morbis V. comment. II. particula XLI. obseruamus, qui morbi vim pulcherrime sustinuit. Huc accedit pars affecta, tumor,& dolor. Præterea signorum quædam εὔκαιρα, id est, opportuna, quædam ἄκαιρα, id est, importuna dicuntur. opportuna signa sunt, quæ magnam quidem rem indicant, at id quod indicant præstare nullo modo possunt, vt incurui digiti,& nigriores mortem quidem indicant, at illam afferre minime possunt. Importuna, non magnum, quod neque indicari, neque efficere possunt, vt tussis, quæ inter initia febrium accedere solet. Post apparentium signa, quædam propria sunt, quædam communia; propria sunt in Pleuresi tussis, & sputa, quæ extruduntur, vnde concoctionis,& cruditatis signa exoriuntur; nec non & quæ κρίσιμα vocantur; horum signorum quædam sunt certa, quædam dubia, quædam aperta, quædam obscura, quædam fida, quædam infida, quædam maligna, quædam non maligna. Indiciorum vero quatuor sunt gradus: in primum veniunt illa, in quibus morborum comprehensio firma, ac stabilis est: secundum ascenderunt ea, quæ, etsi primis minus certa sunt, haud longe tamen sunt ab illis remota, si omnia coaceruentur. In tertium peruenerunt morbi, qui frequenter homines occupare consueuerunt, vt sunt ii qui ob corpora repleta quotannis maximis morbis solent laborare. In quarto gradu collocantur regiones, & anni tempora. Hos omnes gradus dilucide admodum proposuit nobis ante oculos Hippocrates in Pisistrati historia. Certissimis ille signis

apud Vales. fol. 816.

Septimo De morb. vul.

eum morbo laterali probat affligi, quæ ſummum prope gradum attingunt. Secundum haud præterit, cum grauiorem factum eſſe demonſtrat, & cum ſe frequentiori, & pleniori cibo impleuiſſe oſtendit. Sub ſecundo tertium continetur, quartum cum docet hyeme in morbum incidiſſe Piſiſtratum. Horum vero quædam ſunt eiuſdem generis, quædam eiuſdem ſpeciei, quædam vero neque genus habent idem, neque ſpeciem. Quæ eiuſdem generis ſunt, ea ὁμογενῆ a Galeno vocantur, vt ſunt illa omnia, quæ in vno inſunt genere ægritudinis, vt quæ expuuntur, notæ morborum tum pulmonis, tum thoracis, tum aſperæ arteriæ, tum gutturis, atque (vt breuiter dicam) earum partium, quæ ſpiritum recipiunt. Et in affectibus, qui ex cauſſa calida, & ſicca concitantur, vt Phrenitis, vel ex humida, & frigida, vt Veternus, ſigna ſe habere putant medici eiuſdem generis, quibus morbum, qui eo tempore infeſtat, poſſunt demonſtrare. Quæ eiuſdem ſpeciei ſunt, ea ὁμοειδῆ vocauit Galenus, quibus affectum colligimus eiuſdem ſpeciei, vt in iecinoris inflammationibus ex bile concitatis ſigna erunt febris acuta tertianam referens, dextra parte ſub præcordiis dolor, vigiliæ, ſingultus, & ſi qua alia ſunt. Pluribus autem eiuſdem generis, vel ſpeciei ſignis coaceruatis, non modo ſpecies, vel genus morbi certius cognoſcitur, verum etiam eius magnitudo penitus perſpicitur; etenim ſi inſaniæ coma adiuncta fuerit, & cerebrum male habere demonſtrabunt, certiorque multo noſtra erit cognitio, affectusque maior continuo videbitur; cum vero ſanguinis è naribus ſtilla acceſſerit, abſolutam cognitionem nos habere putabimus. Eorum vero quæ non vni generi ſubiiciuntur coaceruatio inutilis omnino eſt, tum iis qui in arte medica ſe exercent, tum vero iis, qui commentaria ſcribere ſe propoſuerũt. Semper enim inæquales omnium, eorum ex primo De iudiciis cap. v. plurimum inter ſe diſtant,

distant, complexiones improbare solet Hippoc. idque ita se habere, experientia quoque nullo negocio comprobare potest. Ea quoque indicia prorsus inutilia sunt, quæ à morbo qui ab ipsis ostenditur, penitus separari, atque disiungi possunt: necesse est enim signum semper coniungi cum eo, quod ab ipso demonstratur. Etenim si ex alia caussa, non ex morbo emanat, nihil indicare posse videtur. Ea vero quæ sub vno genere, vel specie continentur, alia propria sunt, alia vero minime: quæ propria sunt, tripartito dicuntur. Principio quæ vere propria sunt, in illa hæc duo concurrant necesse est, vt vni soli affectui, semperque conueniant, vt dolor lateris, pulsus serrinus vocatus. Secundum locum obtinent, quæ aliquo morbo accedente, semper illum sequuntur, quamuis non vni tantum conueniant, vt est febris in inflammatione pulmonis: nam semper in febre esse oportet, quem morbus hic semel occupauit. Tertium locum habent, quæ necessitatem in se non obtinent, neque certum declarant, sed sæpenumero accidere consuerunt, ex quibus cognitio, quæ ex coniectura pendet conficitur, & secundus gradus conflatur, vt phrenitidem incidere plerumque solere antiquissimus, at minime obscurus auctor tradidit cum dolore capitis, lumborum, ceruicis, & præcordiorum, nec non & vigiliis, quæ tamen sæpe fallunt: nam non continuo his signis ægrotum insanum esse intelligitur. Quæ primum, & secundum locum tenent signa πικμήρια vocantur, quæ vero tertium locum obtinuerunt, generis nomine etiam ab Aristotele σημεῖα nominantur. De quibus haud sum nescius Galenum ipsum libellum conscripsisse, vt ipsemet memoriæ tradidit primo De ratione victus in morbis acutis, quem nisi sicut alios multos, absumpsisset vetustas, in hisce rebus explicandis, nunc non laboraremus. Verumta-

men,quemadmodũ ſpero,aliũ à nobis conſcriptum de eadem re,in eius locũ ſubſtituere conabor.Hanc vero cognitionẽ in coniectura poſitam medicum ſequi neceſſe eſt, quoniam (vt diximus) cunctos morbos perfecta illa ratione intelligere non poteſt, quod non ſolum à Galeno traditum eſt, verumetiam idem ſignificare illa apud Hippocratem de ſpiritu maxime
» credendum eſt, cum inquit: In partibus interioribus
» ægritudine affectis morbiſque difficillimis, opinio-
» nem magis ſequimur,quam arte ipſa confidimus. Hac eadem iuniores medici, & ad morbos cognoſcendos,& ad eorum præſenſiones, nec non ad cauſas reperiendas vſi ſunt artificioſe. Qua in re illud perpetuo memoriæ mandandum eſt, nõ ex vno tantum indiciorum genere,neque ex vna ſpecie morbos cognoſcere nos poſſe,qui interiores partes infeſtant,niſi alia atq; alia ſignorum genera,atque ſpecies ſimul accedant,& ſingula ſingulis diligenter conferamus: ex quorum collatione & coaceruatione nihil prudentem medicum, quod vel ad morbos,qui infeſtant, vel ad eorum euentum pertinet, præterire poteſt. Illud quoque minime prætereundum, quod ex vno interdum indicio,& morbi ſedes,& morbus, & cauſa cognoſcitur, quod ſcriptum reliquit Galenus primo De partibus interioribus ægritudine affectis: quem locum cum nonnulli minus animaduertiſſent, arbitrati ſunt vno indicio vnum duntaxat poſſe cognoſci: qui profecto minus viderunt, quam illos oportebat. Verum hæc res ipſa poſthac, vt ſpero, apertius demonſtrabit.

Quoniam vero omnes fere diſciplinæ proprias quaſdam ſibi compararunt argumentationes, quibus ad id quod ante ignotum erat, & non percipiebatur, auditores facile poſſent adducere (conſtat enim non omnes vna, & eadem vti ratione: ſed hæc quidem rem illam qua de agit,copioſe admodum probat: illa

vero

vero ſubtiliter magis, quam copioſe demonſtrat) idcirco de argumentationibus, quæ in arte medica frequenter vſurpari ſolent, breuiter nobis dicendum arbitror. Genera autem argumentationum quæ maxime vſitatæ ſunt, quædam medicorum ſunt propria, quædam ii habent cum dialecticis, & rhetoribus communia. Epilogiſmus, & Analogiſmus propria noſtra ſunt, Sorites vero Dialecticorum: at quod ex recta vnicuiuſque partis enumeratione ducitur, & ex ſimilitudine, ex rhetoribus ſumpſerunt. Cæterum haud ſum neſcius & aliis argumentationum generibus aliquando medicos vti ſolere, ſed hæ frequentiores apud ipſos reperiuntur. Epilogiſmus, & Analogiſmus ita inter ſe differunt, vt eorum alter rationem à priori ducat, & à cauſſa: alter vero ab iis, quæ conſequuntur, & ab effectibus. Etenim ſi Analogiſmo, qui frequentatus maxime ab illis eſt, qui rationalem artem ſibi vendicant, probare in animo habebo oxymel ſummopere quotidianis febribus conuenire, hoc pacto illud comprobabo: Quod acidum eſt, & tenuius, id facile poteſt extenuare, & diſſecare: Oxymel autem egregie acidum, ac tenue eſt, conuenit igitur. At Empirici epilogiſmum ſecuti ſunt, qui ſi idem, quod Dogmatici, oſtendere conarentur, hoc modo approbarent: Oxymel ſummopere pituitæ conuenit, quoniam quotidianis febribus ſummopere prodeſt. Hac in re illud minime eſt omittendum Galenum in illa argumentatione definienda à nobis diſſentire aliquoties videri. Sic enim eam nonnunquam deſcribit, vt ſit comparatio, & comprehenſio cauſſarum, quæ iuuare dicuntur ex ſimilitudinibus, qui profecto non argumentationum, ſed indicationum definitionem in medium attulit, quibus vſi ſunt, vt infra demonſtrabimus, non ſolum Empirici, ſed etiam Gnidii illi medici appellati. Verum illud nunc no-

bis propositum non est, vt ad hanc rem explicandam longiorem orationem comparemus: satis enim est rem ipsam indicasse, præsertim cum obscuro in loco minime posita sit. Nunc de Sorite breuiter differendum (capita vero vniuscuiusque generis argumentationis sunt indicanda) qui & ad probandum aliquid, & ad inficiandum aptissimus est, sed tamen à Galeno minime probatus: eo enim multa, illaque præclara veluti quodam tormento adhibito non solum in hac arte, verum etiam in omni vita necessaria funditus facile possunt euerti. Quæ res etiam animaduersa fuit à veteribus nonnullis medicis. Minime vero lubricum argumentationis genus est quod ducitur ex recta vniuscuiusque partis enumeratione, qua nonnunquam vsus est Hippocrates. Hi autem (dicebat ille) potissimum huiuscemodi vrina amissam valetudinem recuperabant: quod neque multos spiritus sequebantur, neque aluum liquidam habebant, neque venter aliquid viscidum reddebat, neque tandem inflata erant præcordia. In more positum aliquando est apud Hippoc. quod generatim breuissime docere potest, id sigillatim ex iis, quæ minime insunt, tradere, vt illa 1. Prognost. 27. præcordia saluberrima sunt, si minime doleant, si mollia, & æqualia sint. breuius multo sic scribere poterat; præcordia, si naturalibus simillima sint, saluberrima sunt. hęc iuniores medici ὑποσυμβεβηκότα appellant. Idem multoties præcepit, vt similitudines, & dissimilitudines diligenter inspicerentur, quas summo studio obseruarũt & Empirici, & Dogmatici appellati medici. Sed alias rem ipsam melius fortasse contemplatus ad caussarum cognitionem nos reuocauit: non quod illas penitus improbaret, sed moneret, tempus minime terendum in rebus infirmis, & vulgaribus, sed in iis, quę maxime perpetua sunt, & minime lubrica, circumspiciendis. Etenim similitudines præstan-

Sexto De morb. vul. com. 7. part. 39.

In principio De iis quæ in medicastrina fiunt.

Sexto De morb. vul. com. 3. part. 19.

Sexto De morb. vul. com. 8. part. 36.

præstantes etiam medicos aliquando fallunt. Cum enim (ex Platone in Sophista) lupus simillimus est, ferissimum scilicet animal & immane, mitissimo, atque leniſſimo. Quod idem ostendit Hippocrates in ædilis filia apud Tecomæum, quam cùm post partum vomitus inuasisset, conati sunt fortasse medici aluum resoluere, ea re turpiter decepti, quòd quemadmodum vomitus sponte excitatus diuturna alui profluuia sanat, ita & in vomitibus curandis ad alui profluuia excitantia decurrẽdum esset. Lapsos verò fuisse demonstrant mala illa in quibus miserè mulier coniecta est. Lienteria enim primùm subsecuta est, menses deinde duobus annis non processerunt, in hæmorrhoides postremò incidit, quæ mensium propè officium agebant. Causæ verò æstimatio, & comprehensio nullo non tempore confert: ad quam nos hortatur vt similitudinibus omissis, & difficultatibus omnibus superatis, quæ nullum vnquam studiosum deterruerunt, ad causam cognoscendam nos cõferamus. Cùm interim non minorem in illis quàm in causæ cognitione laborem subeundum nobis esse testetur. Quæ cùm ita sint, continere me non possum, quin medicinæ studiosos impellem, vt communia, & vulgaria omittant: ea, quæ recondita sunt, & à vulgi sensu remota assequi conentur. Nam porrò quid tam vulgare, quàm similitudines sectari, quas ne mulierculæ quidem omnis eruditionis expertes non nesciunt? Illa, quæ summa sunt cogitate, in quibus prosequendis ingenium probatur, industria laudatur, successus verò in cælum tollitur. Vbi verò captandæ sunt causæ, nullæ sunt tenebræ, omnes aditus patefacti, semitę tritę, nihil est in quo quisquam (modò studium, & diligentiã adhibeat) possit offendere. Experientia quoque multa probare nitimur, quæ cum ne eorum, quæ frequenter, & eodem modo eueniunt comprehensio, atque memoria, lubrica & periculosa est, quod & ab ipso Hippoc. 1. senten. 1. tra-

Quarto de morb. vul. cõ. 3. p. 16.

Sexto Aphoris. 15.

ditum aliquando est;veruntamen flagitiose facit(quod 7. De comp. med. κατὰ γένος cap. 1v. tradit Galen.) qui explorata contemnens, noua semper remedia tentat. & qui ab experientia argumenta ducit, quod scriptum reliquit Galen. 2. De dign. pul. cap. 11. is omnẽ rem, qua de agitur, discernat, atque distinguat oportet:qua in re bipartito offendi contingit; vel cum commune in suas partes inepte distinguimus; vel omnino non discernimus;vel cum causas, quæ res mutant rectè non attendimus, sic vt eam extimemus primam, vtpote,quæ ex euentu aliquid præstat,vel è contra:deinde ex 2. Meth. cap.v1. si eadem à recta ratione desciscat,quę illam maximè ornare,ac fulcire solet,minime vera est experientia. Infirma enim omnis experientia dicitur, quæ rationis quasi subsidio quodam fulta non est. neque vero ea etiam explorata habere oportet ex primo De m.v.cap.3.p.2.quæ bis,terve experimẽto colligimus, sæpe enim vsu venire solet, vt contrariis euentis permoti veterem sententiam abiiciendam,nouam suscipiendam esse censeamus. etenim rerum differentiæ, ac dissimilitudines in maioris minorisque confinio adeo nonnunquam positæ sunt, vt de illis neque eadem semper sentiri, neque prædici possit. Huc accedit quod non nisi in vnoquoque genere perfectarum rerum vis, & facultas experienda est, etenim si experimẽto cognoscere velimus medicamentorum,quos appellamus gradus,si quis ad deterrima protinus decurrerit,ea vnquam planè explorata habebit. & in omni re exploranda, quod ex primo De temper.colligimus paria simillimaque eligenda sunt, & cuncta quæ superuenire, ac extrinsecus accidere solent, amputare, & circumcidere oportet; nam qui tactu calidiores res cognoscere studet,omnis aduentitii caloris expers esse debet,& maximè animaduertere oportet, num celeriter sentiat tale, quale antea concepimus animo siue medicamentum, siue corpus. nec

non

non qui nutritionem alimentarum experimento intelligere ſtudet, ea ex ſecundo Aph. 18. præterquam quod in minima quantitate ſumere, & præbere non debet; diuerſas etiam inter ſeque pugnantes virtutes, ſi quæ intus incluſæ latitant, ſeparare, atque diſtinguere oportet; nam ſi quis an Braſſica nutriat experimento cognoſcere conetur, exitu nunquam id deprehendet, niſi eam elixet, atque aqua probe maceret: hac etenim rationem humor mordens intus contentus, ac incluſus abſumitur. Præterea vero hoc habet tempus aliquando, vt experientiam plane tollat, quod intelligimus ex lib. De vtilit. reſp. cap. v. cum enim laqueis arterias, quæ in collo poſitæ ſunt, capimus, quod facere ſolemus cum in obſcuro latente de ſpiritus animalis nutritione veritatem quærimus, ſi diutius eas irretitas animali viuo teneamus, id ſpatio interpoſito moritur. Poſtremò cum aliquid experientia inquirere volumus, quod ſcribit Galen. ſecundo De decret. cap. v 1. maxime animaduertendum, ne in iis, quæ ſenſu percipere ſolemus, turpiter offendamus: qua in re cum nullum errorem præclari quidam medici timerent, ridiculè aliquando lapſi ſunt; etenim cum arterias quaſdam vincire, & conſtringere in animo haberent, eas minime legerunt, ſed neruos quoque vinculum adſtrinxit. eſt vero vel maxime fide digna comprobatio, quæ experientia nititur. ex ea enim emanat abſolutiſſima demonſtratio, eorumque quæ refutata ſunt, perfecta cognitio. Hactenus de ſignis, & argumentationibus & experientia. Nunc de indiciis, quæ ducunt nos in cognitionem ſedis morbo affectæ, verba faciamus. Namque vt errat longe mea quidem ſententia, qui putat aliud officium eſſe optimi Imperatoris quã conſilia, & naturam hoſtium cognoſcere; ſic ea planè fallitur, qui non videt medici officium eſſe, & ſedem morbo affectã & morbum ipſum inueſtigare; etenim quemadmodum in ſingulari certamine locum vbi ad-

uersarium ferias, præter cetera perpendere te oportet, & quæ corporis pars nuda, ac inermis sit diligenter animaduertenda est; & vbi de summa rerum agitur, inuestigandum est, non vbi nudatæ corporis partes sint, sed quibus in rebus animus Imperatoris occupatus sit; ita & a medico morbi sedes accuratè inuestiganda est, ac omnino cognoscenda, si ex artis præceptis morbum propellere, & ægrotum ad sanitatem perducere studet. Notæ igitur, quæ morborum sedes ostendunt, sumuntur aut ab actione læsa, aut ab iis, quæ maximè prosunt, & lædunt, aut ab iis, quæ excernuntur, aut à positu partium, aut à propriis symptomatibus, aut ab iis, quæ alteri superueniunt, aut ab iis rebus, quæ adnascuntur partibus, aut à causis, ex quibus morbi oriuntur, aut ex iis, quæ antè præcesserunt, aut à totius corporis dispositione, natura, ætate, consuetudine, victus ratione; aut à doloris specie, & eius magnitudine, colore, tumore, aut denique sympathia. Actio læsa morbi sedem ostendit hoc pacto: Si ventriculus morbo afficitur, minus bellè cibos concoquat necesse est, & si parum concoquit, continuo infirmus est ventriculus: quod & præcepit Hippocrates cum dixit: Obseruandum corpus, & eius actio. Verùm maximè considerandum, num alia pręterea signa accedant. Nam etsi dolor sit in postremis costis lateris dextri, is non protinus morbus pleuriticus est: nam dolor huiusmodi non ad hunc tantummodo morbum pertinet: quare sunt quoque cætera signa perpendenda, & illud in primis num per tussim aliquid excernatur, nũ quod editur album, aut rufum sit: his enim signis adiunctis in morbum pleuriticum ægrotum incidisse constabit. Quæ lædunt & prosunt, dare solent medicis cognitionem haud vulgarem sedis morbo affectæ, veluti in sanguinis vomitu, si is ex ventriculo prorumpit, acria maximè iuuabunt: sin ex pectore aut pulmone, ea quæ reprimunt: sin autem ex capite fluat, vinum

Sexto De morb. vul. cõ. 5. p. 22.

non

non recte datur. Quæ autem iuuant, & prosunt, aut sunt medicamenta, aut cibus, & potus: Quod & Hippocrates animaduertit, cum docet nos non morbos solùm, sed etiam morborum sedes ex iis, quæ ægris offeruntur, cognoscere. Et libro De vsu eorum, quæ humida sunt, *Necesse (*inquit*) vti in arte medica, non solum iis, quæ aliquid leuationis afferre solent, sed quæ etiam aliquid detrimenti.* Verùm ea debet vtrorumque moderatio adhiberi, aut vt planè iuuent, aut certe non vehementer lædant. Eo enim animo ad ægrotos curandos semper accedere debemus, vt quoad eius fieri poterit, conemur ægrotorum morbos leuare: quòd si nullis id remediis consequi possimus, id certe magnopere caueamus, necesse est, ne eos nostra culpa in exitium præcipitasse videamur. Eorum verò, quæ excerni solent species considerantur, aut vt particulæ sunt affectarum partium, aut vt partes in ipsis contentæ, aut denique vt excrementa.

Primo De morb. vul. cõ. 3. par. 1.

Primo De morb. vul. cõ. 2 p 50.

Nam quasi naufragiis magnis, multisque coortis
Dissectare solet magnum mare, transtra gubernat,
Antennas, proram, malos, tonsasque natantes
Per terrarum omnis oras fluitantia plaustra
Vt videantur, & indicium mortalibus edant.

Insidi maris: Sic & quæ natura excernit, locorum affectorum, morborumque, qui interiores partes maxime occupant, notæ, ac indicia esse solent. Intestinorum aliquando membranulæ descendunt in dysenteria, suntque illis tunicis, quibus tenuia intestina conteguntur, carnosa magis. Hæ notæ erunt certæ intus crassiora intestina exulcerata esse. Ea quoque, quæ in partibus continentur, exhibent certas notas. Nam Mitylenis adolescens secundum sedem vulnus accepit graue, & profundum: is primis tribus diebus neque cibum, neque potionem assumpsit: quarto verò die impositis antea remediis cibum sumpsit, ac bibit: vespere item curatione adhibita vrinæ circiter quatuor he-mi-

nas per vulnus edidit, cùm antea ſuppreſſa videretur. Tum verò idipſum on⁹ pulcrè ſe depoſuiſſe dixit, quod vehementer grauabat. Ergo vulneratam veſicam eſſe conſtabat: quēadmodum cum ſtercus per vulnus redditur, plagā in inteſtinis eſſe certum eſt: ſic cum cibus redditur, ventriculo plaga inflicta eſt. Eorum verò, quę excernuntur, aut magnitudo, aut locus, aut tempus, aut quantitas, qualitas, aut excernendi modus conſideratur. Magnitudo quidem, vt ſi aluus magnam aliquam tunicam expreſſerit, qua ſuperteguntur inteſtina, carnoſam, & latam, vlcera in plenioribus inteſtinis eſſe facilè coniicies. Si verò parua ſit & tenuis, in tenuioribus. Locus autem ex partium poſitura, & earum conformatione intelligitur, vt ventriculus & ab inferioribus partibus purgatur & vomitu. Renes verò & veſica per vrinam ſuperflua excernunt. Cerebrum multas vias habet, quibus quicquid expelli poteſt, facilè eiicit. Tempus quoque eorum, quæ excernuntur, maximè animaduertendum. Etenim ſi ſimul atque æger tormentum in dyſenteria ſenſerit, protinus deiiciendi inueniatur cupiditas, inferius vitium eſſe oſtendit: ſin poſt aliquod tempus, ſuperius: quantitate maiora ſunt ea, quæ excernuntur, ſi menſtrua extra modum profundantur, ſi ex naribus magna ſanguinis copia profluat: eadem ratio eſt vrinarum, vomituum, & eorum quæ venter reddere ſolet. Qualitas verò aut in colore conſiſtit alieno, odore, ſapore, ſono, aut calore, frigore, humiditate, ac ſiccitate. Etenim ſi aut ſputa cruēta, aut vrinæ nigræ, aut ruct⁹ nidoroſi, ſudores malè olentes, aut aluus liquida reddat, tunc ea quæ excernuntur qualitate aliena peccare dicimus. Sic & Hippocrates ea quę excernuntur conſiderare nos maximè voluit, vnde primùm emanarint, quando compreſſa ſint, quantum expulerint: eorum item colores, calores, ſalſedinem, dulcedinem, tenuitatem, craſſitiem, æqualiter, an inæqualiter, corpus, tempus, & tandem

Sexto De morb. vul. cō. 8. p. 9.

mutationes

mutationes quales, ex qualibus habeant. Et alibi, Quæ sursum erumpunt, ac torquent, pinguia, sincera, spumosa, calida, mordacia, æruginosa, varia, ramentosa, fæculenta, cruenta, spiritus expertia, cruda, cocta, sicca, quæcunque circumfluunt, contemplanda sunt. Multa alia possem in medium afferre, sed nihil necesse est, in singulis diutius immorari. Positus quoque partium, sedem affectam ostendunt, & cum dico positum, intelligi quoque velim, & conformationem partium, & eorum societatem. Etenim durus in præcordiorum parte dextra tumor, non lienis, sed iecinoris affecti nota est. Præterea verò si quid aliquando vomitu eiectum est, id aut ex gula, aut ex ventriculo profluxisse necesse est. Quòd si tussiendo, aliquid prouenerit, aut ex gutture, aut ex aspera arteria, aut ex faucibus, aut denique ex pulmone erumpet. Positus partium cognoscitur, si naturam corporis nouerimus. Hinc illud Hippocratis, Natura corporis principium est in arte medica. Et libro De spiritu, Locus causa est, vt morborum multæ reperiantur differentiæ. De societate inferius agemus. Inter hæc annumerantur etiam ea, quæ morbis propriè subsequi solent. Nam ore ventriculi affecto, fastidium ægrotos vrget: si verò iecur sit imbecillum, venter effundit quædam, quæ referunt aquam, in qua carnes nuper mactatę lotæ sint. Et in vrinis quędam subsident, quæ erui speciem referunt, cum in eodem sit excitata inflammatio. Huiuscemodi vrinam excreuisse Hippocrates vidit Nicostrati vxorem. Idem quoque morbi horam, & tempus, & propria accidentia considerari oportere tradidit. Et animaduertendum esse alibi testatur, quales in vnoquoque morbo humores excitent affectiones. Neminem fugere arbitror multa morbis superuenire, quæ si ab affectu separari non possunt, propriè morbis subsequi dicentur: sin minus, ne sedem quidem affectam ostendent. Quatuor autem modis aliquid superuenire dici-

Primo De hum. p. 19.

Lib. De loc. in homine.

Quarto De morb. vul. cō. 2. par. 2.

Sexto De morb. vul. cō. 8. p. 19.

Secundo De humo. par. 26.

tur. Aut enim morbus ad morbum accedit, vt ad iecinoris inflammationem febris; vel ad morbum symptoma, vt ad febrem capitis dolor; vel ad symptoma morbus, vt ad ciborum cruditatem lienteria; aut symptoma ad symptoma; vt ad vigilias vehemens capitis dolor. Quinetiam ea, quæ in partibus nascuntur sedem affectam demonstrant: vim enim, & naturam earum rerum, quarum sunt proprietates, ostendunt: quemadmodū fungi oriuntur, si capite fracto meninx fuerit affecta: sic autem appellatur membrana quæ cerebrum continet. Idem obseruauit Hippocrates lib. III. De morb. vul. Ophthalmiæ humidæ, lōge diuturnæ cum doloribus. Adnascētiæ palpebrarum, internæ & externæ visiones corrumpentes, quas ficus nominant: nascebantur & in aliis vlceribus multa, necnon in pudendis. Causæ etiam, quæ morbos excitant, sedem affectam ostendunt, quod ex Galeni libro de Constitutione artis medicæ satis patet. Vt autem & ad causam, & ad causæ principiū perueniamus nos summopere hortatur Hippocrates in præclara illa curatione famulæ Idumææ. Et alio in loco, Animaduertendas nobis causas censet, ob quas morbi nos occupant. Pertinent etiam ad sedem affectam noscendam quæcunque ante præcesserunt, vnde Hippocrates, Interrogaui, respondebant ipsos frequenter repleri cibo, & potu. Et, Præterita dicito, præsentia cognoscito, futura prædicito. Has Hippocr. προγνώσεις appellare solet, quarum ne quā omittat diligenter debet medicus ex eiusdem præceptis animaduertere. Quarū alias ea coniectura assequimur, quam arte niti antea dicebamus, aliæ vero absque vlla ratiocinatione cognoscuntur. Corporis vero status, natura, ætas, consuetudo, & postremo victus ratio potius indicant causam morbi, & morbum, quam sedem affectam, de quibus cum ad causarum tractationem peruenerimus, copiose agemus. Color idem ostendit: nam iecore affecto alius fit color,

Com. 3. par. 48. & 49.

Secundo De morb. vul. sect. 2. Sexto De morb. vul. com. 3 p. 20 & 34.

Secundo De morb. vul. sect. 2 Primo De morb. vul. tom. 2. p. 48.

Quarto De victus rat. part 55 & 56.

color,atque liene, quod morbi regii genera perſpicuè detegunt. Hoc & Hippocrates adnotauit, Morbi regii, inquit, qui ex iecore excitantur, colorem habent ſubalbidum,qui verò ex liene nigriorem. Et alibi, Coloris mutationem maximè obſeruandam eſſe tradit. Et quibus lien intumeſcit, iis colores ferè deteriores fiunt.Et,Colores efflореſcunt.Huc accedunt & tumores de quibus diligentiſſimè ſcripſit & Galenus,& Hippocrates. Tumor in pube ortus veſicam affectam oſtendit,in dextris præcordiis tumor iecur affectum indicat. Olitoris etiam vxoris tumor infra vmbilicum ſedem affectam demonſtrauit. Hippocrates verò ſic, Abſceſſus ſigna ſunt earum partium à quibus erumpunt. Partium etiam ſocietas,& conſenſio quam ſympathiam vocant, idem oſtendit, quæ etiam non fugit Hippocratem. Animaduertendum (inquit) quid cognatum,& quid per ſe. Et alibi, Vnde fit vt teſtis ex tuſſi aſſurgens,nos in conſenſione quæ eſt inter genituram, & vocem, & pectus, & mammas, in mentem reducat. De induſtria poſtremo loco integram de dolorum differentiis tractationem ſeruaui: tum quoniam magna eſt in iis cognoſcendis vtilitas, tum quoniã eorum difficultas,vt dilucidè de illis ſcribatur,& non negligenter conſiderentur,maximè poſtulat. Ex doloris ſpecie quid ſit intus quod affligat,facile ſcire poſſe medicum Hippocrates quoque tradidit, cùm ſcriptum reliquit,Labores totius,& partis contemplandos. Et, In renem dolor grauis. Et paulò poſt, In Cranone antiqui dolores, frigidi, recentes autem calidi: cunctas eius ſpecies minimè eſt proſecutus, quòd iudicarit id ad eum maximè pertinere, qui totam artem methodo tractare, non ad eum qui quædam tantummodo indicare in animo habeat. Quàm verò difficile ſit omnes eius ſpecies dinumerare,teſtis eſt Archigenes, & quicunque eum ſecuti ſunt, qui falsò arbitrati ſunt eas recenſeri non poſſe. Dolores verò omnes aut certis qui-

Secundo De morb. vul. ſect. 1.
Primo De hum p. 23.
Secundo De hum. part. 27.
Primo De hum. par. 1.
Quinto De morb. vul. cõ. 1. part. 1.
Sexto De morb. vul. cõ. 2 par. 1.
Sexto De morb. vul. cõ. 8. p. 17.
Secundo De morb. vul. ſect. 1.
Lib. De Aliment.
Sexto De morb. vul. com. 1. p. 6.
Sexto De morb. vul. com. 1. p. 8.

buſdam partibus inhærent, aut ſic in aliqua parte ſunt, vt in ea fixi planè videantur, aut ad interiores perueniunt partes. Iis, quos inhærere dicebamus, aut certa quædam ſedes eſt, aut latè diffunduntur. Veniant primùm in medium illæ dolorum ſpecies, quibus certa aſſignata eſt ſedes. Earum verò prima eſto, qua corpus ſtupet, quæ quamuis inter ſpecies doloris à Galeno non numeretur, eam tamen, quoniam nonnulli grauiſſimi authores poſuerunt, præterire non potui. Hæc ab iis quæ refrigerare poſſunt excitatur, & non ſolum in neruis, verùm etiam in venis, arteriis, carnibus, membranis, tunicis, & cute conſiſtit. Archigenes putabat hanc ſpeciem doloris tantùm ad neruos pertinere, propterea quòd, quod corpus ſentiat, & moueatur, id omne acceptum referre debet neruis: in quem acriter inuehitur Galenus. Secunda ſpecies eſt, quæ à nonnullis pulſatiua appellatur: hæc propriè, & per ſe ad arterias pertinet, & euenire ſolet in inflammationibus, & eryſipelatibus, abſceſſibus, & in partibus ſenſu præditis. Animaduertendum tamen, quòd in aliis partibus, ſi huiuſcemodi dolor ſequitur, id non fit per ſe, ſed quòd aliis committantur. Nam id vſu venire ſolet quando à vicinis particulis arteriæ vehementius premuntur. Tertia ſpecies eſt, quæ quaſi mordere videtur, hæc inteſtinis ſæpiſſimè euenire ſolet: excitatur autem ab humore, qui ea, quæ tangit, planè erodit, & quem vrget hic dolor, eum tormina neceſſariò corripiunt. Quarta eſt, quæ pungere planè videtur, in membranis verò conſiſtit, & in orbem torquetur, latéque diffunditur, atque huiuſcemodi eſſe laterum dolores conſueuerunt. Quinta eſt quæ ſtimulat: hæc quoque excitatur ab humore mordaci, qui partes, quæ vehementer ſentiunt, pæne erodit. Sexta, eſt in qua ſubit quædam prurigo, hæc ad cutem tantummodo pertinet, creatur autem ab acribus humoribus. Hanc doloris ſpeciem aliquando præcedit ea, quæ exulcerat,

aliquando

aliquando verò ſubſequitur. Octaua verò eſt quæ exulcerare videtur. Hanc nimia mouet exercitatio, muſculóſque infeſtare conſueuit, quibuſcum carnes connumerantur. Oritur autem ab humoribus acrioribus. Tot verò ſunt ſpecies doloris: quæ cum partibus inhærent, tum etiam certam aliquam ſedem a nobis obtinere poſſunt. Sed antequam tranſeam ad alia dolorum genera, illud nullo modo prætereundum puto, nonnullos inter ſpecies doloris illam connumerare, quæ omnibus modis exaſperat: hæc carni euenire ſolet, quæ cùm manus illi admouentur, arida ſentitur. Concitat autem illam humor, qui exaſperandi facultatem habet: ſed hæc an germana ſit doloris ſpecies, alii viderint. Nunc conſequens eſt, vt de iis ſpeciebus agamus, quæ latè diffunduntur. Primum locum occupat dolor, qui procedere ſolet, ac veluti extenſus eſt. Hic proprius venarum, atque arteriarum eſt, quæ in longitudinem diffuſæ ſpeciem chordarum referunt nulla craſſitudine. Oriri verò ſolet vel ex repletione, vel ex ſiccitate. Accidit etiam partibus quæ per ſe mouentur, quæque completæ extenduntur, vnde dolor creatur ab humore plurimo intus concluſo, aut ſpiritu flatuoſo appellato, qui veſicam veluti vrina implet, ac inflat. Incitatur etiam dolor huiuſcemodi ab Eryſipelate, inflammatione, & ſimilibus affectibus, in quibus partes ab humore intentæ à vicinis partibus comprimuntur, vnde dolor huiuſmodi excitatur. Deinceps diſtendens dolor ponendus eſt, qui proprius neruorum eſt, qui vtrinque magnopere diſtenduntur veluti chordæ. Hunc cõcitat humiditas, vel ariditas quemadmodum & conuulſionem. Hæc eadem videtur eſſe cum prima, ſed nomine tantùm differre. Tertio, & quarto loco latus, & æqualis dictus, qui propriè membranas ſolent infeſtare, quorum corpus æquale eſt, ac latum. Quinto lacerans, vel diuellens dolor. Hic minimè ſinibus ſubeſſe ſolet, vt ſenſit Archigenes. Sexto

grauis: hoc premi ſolet ſtomachus, & iecur. Duplex autem eſt dolor iſte: aut enim ſenſus grauitatis excitat, aut acerbitatis, quod in dolore renum ſæpiſſimè ſolet euenire, quamuis non fiat vno, & eodem tempore: cum enim naſcitur calculus, & idem expellitur, ægroti doloribus premuntur acerbioribus. Reliquis verò temporibus aliquod, quod grauare videtur, ſentiunt. Solet etiam dolor iſte ad pulmonem, & adenes transire, cùm inflammatio in illis partibus tumorem facit. Et vt omnia vnico verbo complectar, nulla pars eſt noſtri corporis, quæ vim habeat ſentiendi, quæ huiuſmodi doloris genus poſſit effugere. Septimo dolor turgidus à iunioribus appellatur, qui à parte primùm affecta veluti à radice veniens, celeriter ad partes vicinas pertranſit. Hunc dolorem ſæpiſſime animaduertit Archigenes in Hemicrania vehementiſſima, & in Cephalea: etenim arteria nonnunquam affecta dolores huiuſcemodi creat, quod idem affirmat Archigenes. Octauo altior, qui ſolet eſſe membranarum, quibus oſſa includuntur. Altiores autem appellantur, propterea quòd in imo corpore ſenſum excitant, vt porrò ſpeciem oſſium dolentium præbeant. Hi verò ſolent eſſe interdum ex frigore, interdum ex plenitudine, interdum ex exercitatione. Sequitur vt de doloribus, qui in partibus nonnullis plane fixi eſſe videntur, agamus. Hi quòd continui vno in loco maneant, adeò vt quædam palus fixa eſſe videatur, dicuntur fixi. Cruciare maxime ſolent eos, qui colico morbo laborant, & quos aures, & dentes molares malè habent. Hoc doloris genus excitare poteſt humor aut frigidus, aut ſpiritus flatuoſus. Craſſum inteſtinum (quemadmodum & ſequens dolor) ſæpiſſimè ſolet inuadere, cuius plures ſunt differẽtiæ, quæ ſumuntur, aut à multitudine rei ex qua dolor naſcitur, aut à motu, aut à facultate. Nam parua plurima, tenuis craſſa, permanens mota, multò minorem dolorem creare ſolet.

Hoc

Hoc expoſito genere doloris, de altero perquiramus, qui penetrans appellatur. Cuius tria ſtatuuntur genera; vnum eſt ſimpliciter dictus penetrans, cui opponitur inhærens, vel infixus. Alterum eſt cum ægrotus ita dolore vrgetur, vt terebello perforari videatur. Is humore frigidiori contrahitur, & ab intemperie frigida poteſt concitari, quem paſſus eſt aliquando Galenus ipſe. Adiungitur & tertium, cùm calculus in renibus innatus eſt, vnde ægrotus & terebello perforari, & dolores fixi videntur. Sed quo pacto dolores, qui ad renum morbos, & qui ad colon inteſtinum ſequuntur diſtingui, & dignoſci poſſint, adeò perſpicuè tradidit Galenus, & ita diligenter à Iunioribus obſeruata ſunt, vt noſtra amplius oratione indigere non videantur. Magnitudo etiam doloris quam nonnulli vehementiam appellant, morborum ſedem oſtendit: in parte enim iecoris carnoſa inflammatione concitata grauis creatur dolor: in tunica verò, qua iecur contegitur, vel in arteriis, & venis, acutus. Doloris etiam acuti magnitudo diligentius quoque obſeruanda eſt, propterea quòd ex eius magnitudine, & paruitate, cauſas, quæ morbum concitarunt, maiores, aut minores æſtimamus. Eadem ratio renum affectorum eſt: nanq; carnoſa parte inflammata dolor oritur grauis, cæteris verò partibus affectis, acutus. Voco autem alias partes tunicam, ventrem eorum interiorem, arterias, venas, & denique fons, & origo meatuum qui ad vrinas pertinent. Ordo antea à nobis propoſitus maximè poſtulare videtur, vt quo pacto affectus ipſe à nobis cognoſci poſſit perpendamus. Quam rem priuſquam perſequamur, illud protinus intelligi velim, eaſdem ferè notas, quæ ſedem affectam oſtendunt, ſimul quoq; & affectum ipſum poſſe oſtendere. Etenim actio læſa locum quidem indicat, differẽtia verò læſionis morbum oſtendit. Sed quid? res hæc magis patebit, cum notas affectuum exquiremus. Fontes, ex quibus in cognitio-

nem affectus facilè venire possimus, hi potissimum sunt: Actionis lęsæ differentia, loci natura, doloris proprietas, eorum quæ excernuntur species, quæ in morbis consequuntur, coloris in vniuerso corpore proprietas, eæ, quæ antè præcesserunt, causæ, quæ morbū excitarunt, quæ iuuant, & nocent, tumores, & curatio denique ipsa. Actionis læsæ differentia triplex est: aut enim partes actionem desiderant, aut eam prauam, aut paruam, & obscuram habent: ex hisce differentiis facilè nos affectum possumus cognoscere. Fac enim ventriculi actionem prauam esse, id vel ex frigore, vel ex calore sit, necesse est: & cùm dico de hisce, intelligi quoq; velim ex siccitate, & humiditate, nec non ex cōpositis qualitatibus, vnde facilè in morbi cognitionem deueniemus. Loci etiam natura ostendit affectum. Etenim quibusdam tantummodo partibus affectum dicamus aliquem, quibusdam verò aliis alium, vt calculus in renibus, & vesica plerunq; innascitur. Lumbrici aluum tantummodo occupant: in corde fieri non potest abscessus: pulmo, & ligamenta non valde dolent: œdema tandem in iecinore non assurgit. Ex doloris quoq; proprietate affectus cognoscitur, vt ex pulsatiuo dolore appellato inflammationes innotescunt: & quamuis hæc doloris species in solas inflammationes non incidat, est tamen earum propria. Dolor etiam ille, in quo ægroti terebello perforari vidētur, proprius est morbi colici. Non percurrā omnia dolorum genera, propterea quòd paulò antè omnia sum diligentissimè prosequutus. Ex eorum quoq; quæ excernuntur specie affectus intelligi potest, vt ramēta, intestina exulcerata esse indicant: si in vrina sabulosa quædā sunt, lapidem testātur: cucurbitæ seminibus similia excrementa, latorum vermium indicia sunt. Multa autem in iis, quæ excernuntur, sunt animaduertenda. Primùm qua via ea expellat natura. Deinde num illa concocta sint, concoctionem calor naturalis molitur, qui sine aliqua

qua ſede, ac vehiculo hac illac temporis momento aduolare non poſſet, niſi vapore quodam contineretur, qui ſpiritus eſt. ſpiritus autem vel vitalis, vel animalis, vel naturalis eſt, quem qui negāt totam rem medicam planè labefactant. Concoctio eſt alteratio quædam à naturali calore perfecta, & nutrientis in propriam qualitatem eius, quod nutritur, mutatio. quæ non illico perficitur, ſed multa, & multa eius veluti rudimenta, & prępara tiones antecedunt, ventriculus non ſolum calore, & ſpiritu, & tota ſubſtantia cibos mutat; verum etiam & bile, & pituita vtitur ad eos commutandos. Iecur eadem ratione ſua inſtruit, & perficit concoctionem. Tertia in ſingulis partibus perficitur, illiſque ſolis conuenit, quæ hoc pacto abſoluitur. humor in exſilibus exiſtens venis tanquam ros concretus guttatim deſtillat, ac in partes deſcendens apponitur, affigitur, ac par denique, ac ſimilis redditur. huius quoque, quemadmodum & ceterarum quædam ſuperuacanea ſunt, ventriculi, concoctionis ſtercus; iocinoris vrina; bilis, melancholia. huiuſce vero quædam vaporis ſpecie exhalant, ac pilos procreant, quædam craſſiori natura prædita, ſordes excitant. alterationes, quæ in corporibus amantium fiunt, triplices ſunt: quarum altera ſecundum naturam eſt, vt tres illę cōcoctionis ſpecies, de quibus modo diximus; altera planè præter naturam eſt, quam in exputreſcentibus omnibus notamus, & fieri ab aliena caliditate videmus, ex qua ſubſequitur partium corruptio; tertia vero media eſt: interiecta materia enim qua vtitur natura, tota planè alere minimè poteſt: neque vero prorſus aliena, ac inutilis eſt, neque etiam penes calorem innatum omnis poteſtas eſt, nec continuo proſtratus; materia vero ita tractatur vt quo ad eius fieri poſſit, reddatur quam aptiſſima ad nutritionem, hoc non eſt, vt inter id, quod concoqui debet, & id quod concoquit, quædam intercedat familia-

ritas, & omnes ſimiles ſit qualitatibus quæ calida, & humida continuò erit; aut certè quo ad eius fieri poteſt, temperata. Hoc quoque concoctionis genus elixando perficitur, & in hoc caloris humiditatiſq; opera maximè elucet, & innumerabiles obtinet differentias, prout magis aut minus materia maturitatem ferre poterit. hoc alterationis genus in materiis, quæ morbos excitant, contingere ſolet, & maturitas propriè vocatur. Humorum autem qui in corpore abundant, & morbos concitant, aut ex bonorum, aut ex malorum ſuccorum alimentis gignuntur. qui ex bonorum ſuccorum cibis geniti ſunt, ſimpliciter crudi humores vocantur, & pituitæ genera euadunt, & humores naturales ſunt; alere enim nullo negocio poſſunt, qui vero ex malis ſuccis generantur bipartita ſunt; aut enim tenuiori natura præditi ſunt, aut craſſiori. hi naturales non ſunt, & nutrire minime poſſunt. naturales humores crudi quidem certè ſunt, & aut pituita vocatur, aut crudus humor ſimpliciter, ſed acida pituita frigidior eſt, hac multo magis vitrea, quæ & ægrius maturatur, ſalſa vero & alterari, & euocari poſtulat: hæc autē maturitas incraſſando fit; etenim eadem materia, per ſolida corpora extenſa illud ſemper præſtare conatur, vt ſolidis partibus planè congruat; quæ qui craſſiori natura præditæ ſunt, idcirco, quæcumque maturantur craſſiora quoque euadunt: hinc vrinas, hinc ſputa, & cuncta denique, quæ à natura extruduntur craſſiora reddi protinus obſeruamus in Ichorib. Bile, melãcholia, Pure natura excellentes, & multiformes eorum qualitates retundit, & ad commodam expulſionem illa prępărat. humorum, qui ex malorum ciborũ ſuccis generantur, vel parui ſunt, vel maligni, vel planè venenoſi; quæ veneno præditæ ſunt continuò detrudi debent, cætera attemperari. in hoc maturatio; quæ humorum omnium cineres, poſtquam morbus ſuperatus eſt, apparent, nunc plures, nunc craſſiores, pro-

ut natura

ut natura humorum est. Præterea hæ quidem rubriores sunt, illæ pallidiores, maximum signum maturitatis perfectę est, quod æger omni plane perturbatione careat, quod humor ille huc illuc feratur à natura impulsus, mutet sæpe loca. etenim vis illa, quæ expultrix dicitur, suo munere tunc maxime fungitur, cum alteratrix cuncta commode præstiterit. detrudit autem superuacanea aut per vrinas, aut per aluum, aut sudores, aut vomitus, maturitas non nisi in morbi impetu absoluitur; quo tempore notæ omnes absolutæ maturitatis apparent, cuius quidam gradus notantur, debilis scilicet, manifestæ, & absolutæ; cruditatis item imbecillæ, manifestæ, & absolutæ. In morbis pestiferis inter initia cruditatis signa notantur, in incremento pessima, mortiferaque accedunt: horum vigorem, & statum, aut impetum plane perscribere non possumus, sed ratione tantummodo assequimur notarum maturitatis quædam sumuntur ex iis, quæ ex partibus emittuntur, quæque oculis cernimus, vel ex iis, quæ oculis plenè videre non possumus. illa propria sunt vniuscuiusq; morbi; & profluere solent ex iis partibus, in quibus materia decumbit: hæc vero cunctis morbis communia sunt, vt vigiliæ, somnus, digiti nigri, labia vlcerata, iactatio, lumborum & capitis dolor, spirandi difficultas, Phrenitis, lacrymę inuoluntariæ, sitis febris, rigor. illud argumẽto est, quod cum eadem absunt, aut se remiserunt cum antea adessent, aut increuissent, maturitatem morbi pulcerrime indicant. cum vero adsunt, aut ægrotum vehementius affligunt, materiam nondum à natura subactam, ac maturatam demonstrant. harum notarum quædam maturitatem, quædam cruditatem, quædam neutrum indicãt. neutra signa sunt digiti nigri, labia vlcerata, iactatio, lumborum & capitis dolor, spirandi difficultas, delirium, lacrymæ inuoluntariæ, rigor, vertigo, quæ aliquando maturitatem, aliquando morbi cruditatem demon-

strant. somnus, & vigilia in quibusdam quidem morbis maturitatem, in quibusdam cruditatem demonstrant; febris nunquam non cruditatem indicat; cui accedit, & sitis, sputorum, vrinarum alicui excrementorum maturitatis indicia; & gradus cumulatissime prosecutus est Hippocrates; singulorum vero morborum maturitates ex secundo De concoctione materiæ in morbis petere poteris. Deinde num ea vniuersum corpus, an potius partem aliquam nutriant. Postremo ipsorum qualitatem, quantitatem, & colorem. Hæc quæ nos paucis complexi sumus, pluribus in locis vulgo notis prosecutus est Galenus, ad quem lectorem reiicio. Ergo ad ea quæ restant properemus. Ea etiam quæ in morbis consequuntur, certam affectuum notam præbere solent, quæ duplicia sunt: quædam enim sunt παθογνωμικὰ, quædam vero σωμεφρύοντα. Horum quædam perpetuo caussis inhærent, quædam vero minime. Pathognomica adeo sunt nota, vt exemplis minime indigere videantur, vt in torminibus dolores, qui mordere videntur. Quæ vero nonnunquam morbum consequuntur, sunt, vt in febri ardente, ægrotum mente non constare, ventrem morderi, reddere bilioſa, & si qua alia sunt, quæ certe plurima consequuntur. Ea autem necessario morbum consequuntur, quæ vnam solam caussam consequuntur: quæ vero ad hoc vt oriantur, nonnulla alia concurrant oportet, hæc non necessario succedunt. Hæc Hippocrati, vel potius antiquissimo auctori, aliquādo exciderunt: non enim de diuino, ac prope cælesti viro dicere auderem, illum non animaduertisse, cum illa scriptis mandauit: Quibus in alui profluuiis excrementa spumosa sunt, iis pituita ex capite defluit. Namque aliis etiam de caussis spumosa excrementa accidere possunt. Color etiam idem ostendit: iecore enim affecto alius fit color, atque liene laborante, vt dictum est: neque vero tantummodo totius corporis

Septimo Aphor. 30.

poris colorem, sed etiam vniuscuiusq; partis animaduerti velim. Iecore enim affecto, corpus totum nonnunquam suum colorem non amittit, lingua tantum mutatur. Ea quoq; quæ ante præcesserũt vtilia sunt ad affectum cognoscendum, vt victus ratio, consuetudo, præterea ætas, anni tempus, regio, aër, & reliqua possunt nos in cognitionem affectus ducere: etenim coniectura earum rerum nixi, facile morbũ discernemus. Caussæ etiam ex quibus morbi pendent, affectus possunt ostendere. Nam nõ quæuis caussa potest omnem excitare morbum, sed qualis caussa ante præcesserit, talem ex ea morbum concitari necesse est. Sed quod primo loco pars affecta cognoscatur, secũdo affectus, tertio caussa, hinc fortasse fit, vt minus caussæ connumerandæ esse videantur inter notas, quę affect ostendunt. Verum si ea demonstratione vti velimus, quæ circulo quodam res ipsas ostendit, quęque ab antiquis in cælum tollitur, magno nobis caussæ esse possunt quoque ad morbum hoc pacto demonstrandum, adiumento. Ea quæ lædunt, & prosunt, affectum ostendunt, quemadmodum etiam sedem affectam. Tumor idem indicat. Etenim si in præcordiis tumor dextra parte sentiatur, inflammationem in iecore nonnunquam excitatam demonstrat: sin in siniſtra, in liene. Curatio denique adiungitur, quæ quidem sua natura non indicat affectum, sed veluti cumulus quidam ad idem comprobandum notis accedit cæteris. Ex euentu enim probat eum fuisse affectum quem antea multis ex signis pulcherrime peritus collegit medicus. Hippocrates eam etiam scripsit, cum illud scriptum reliquit, vbi plus cibi assumptum est, quam natura ferre potest, morbum expectare debemus: id autem ostendit curatio. Et alibi, Anicula apud Sosileum veteri, non coxendicis doloribus vexari indicauit ipsa curatio: indito enim medicamento odorato, quod habebat vnguentum, & farinã, statim malum discussum est.

Secundo Aphor. 17.

Quarto De morb. vul. com. 3. part. 43.

In omnibus autem fere morbis quædam reperiuntur ſigna, quæ haud obſcuram rectæ curationis dare ſolēt ſignificationem, vt fracturæ brachii belle percurati certa indicia nobis exhibuit Hippoc. 1. De fract. p. 37. 38. Hecaton in Omilo. v. De m. v. in cap. 1. p. 30. notas habuit purgationis non perfectæ Leambinum 1v. De m. v. cap. 1v. p. xv. cum torminibus laborare medici arbitrarentur, & initium ſecundæ valetudinis medicamenta adhibita feciſſent ea quæ paulo poſt conſecuta ſunt ipſum, non bene curatum fuiſſe oſtenderunt. deiectionum quoque medicamentis petitarum notas ſubiecit Hippoc. 1. ſent. 23. cum ſcriptum reliquit eas multitudine minime extimas eſſe, ſed ſi per eas talia excernantur, qualia oportet, & ægroti facile ferant. Atque hæc quidem de notis, quæ morborum ſedes oſtendunt, & affectum. Nunc ad alia eſſet tranſeundum, niſi illud me reuocaret, quod maxime in dignoſcendis morbis, & partibus affectis, vtile eſt. Quid illud eſt: aliquando certa quædam cōſpici ſigna, quæ & morbum, & ſedem affectam ſtatim ante oculos ponunt. Aliquādo vero ita eſſe incerta omnia, atque ambigua, vt neutrum diſcerni poſſit. Nonnunquam etiam ex eorum genere ſunt, quæ raro admodum conſequi ſolent, quę adeo incertum morbum reddunt, & ancipitem ſedem affectam, vt cognoſci nullo modo poſſit, niſi ſi aut alterum, aut tertium quandoque ſignum expectetur, & obſeruetur: quam rem doctos quoſque medicos in curationibus expertos eſſe plus quam vellent, certo ſcio. Recentiora conſulto omittam, vetera commemorabo. Quo febris acutæ genere laborant Leophorbida vi 1. De m. v. cap. 1. p. 25. ſignis vix diſcerni poterit, aluus reddebat liquida biliosa, multa, rigor, ſudor acceſſit, tempus erat hybernum, ſopor interdiu vigebat, lingua Peripneumonica, id eſt, ſubalbida, os ſalſuginoſum, & ſiccum erat. In Lariſſa Hippoſthenem peripneumonia laborare falſo arbitrabantur medici, quod

Quinto De morb. vul. com. 1. part. 13.

quod viderent febrem ortam esse, tussi sicciori eum irritari, & spiritum densum esse. At non animaduerterunt, diu tussi nihil omnino eundem excernere, nullum stertorem habere, & denique febrem aliquando ex toto quiescere. Quid dicemus de eo, qui cum perspexisset Aspasii filium ventris magnam habere circum circa tentionem, liquida excernere, cito intumescere, putauit quippiam conuulsiuum habere? cum tantum vix in vno, aut altero hæc conuulsionem sequi animaduersum vnquam sit. Nonne etiam qui Chalcidonium curauit, quam in lubrica re versaretur liquido ostendit? Etenim cum perspexisset intra quatuordecim dies illum non fuisse purgatum, suppurationem necessario consecuturam non recte existimauerat. Possem Malienscm, & alios quamplurimos commemorare, quos de industria omitto, ne in re aperta, & haud difficili longior esse videar. Restat vt dicamus quo pacto intelligi possit, vtrum locus primo afficiatur, an vero ex alia parte laborante sequatur morbus. Iuniores dicunt, vtrum locus per se afficiatur, an per consensum: qua in re explicanda eo libentius versor, quod à nullo ante me (quod ego nouerim) res hæc tractata sit, quæ non leuissimam vtilitatem iis, quibus hæc studia cordi sunt, sint allatura. Hæc etiam ab Hippocrate notata fuisse testantur præclara illa: Quod societate naturæ iunctum, quodque per se est, obseruandum. Ad medicum enim hoc maxime pertinet distinguere, vt & reperire, & adhibere commode possit medicamenta quæ pro affectu sunt comparanda. Quatuor sunt hac in re explicanda verba subobscura: Idiopathia, Protopathia, Sympathia, Deuteropathia. Græca vero verba vsurpamus, quoniam nulla Latina, quæ his ce respondeant, inuenimus. Idiopathia est, cum pars quædam proprie est affecta, & perpetuo aliquo in loco malum est, quod à nulla alia parte proficiscitur; sed in qua semel consistit, in eam perpetuo incumbit.

Tertio Prorrhet. part. 7.

Quarto De morb. vul. com 1. part. 7.

Quinto De morb. vul. com. 1. part. 25.

Sexto De morb. vul. com. 8. part. 17.

Protopathia significat partem primo affici: Sympathiæ vero maxime contraria est Idiopathia, quam per consensum vocamus. Deuteropathia secundo affici partem significat, cum alia prius esset affecta, qua cum & hæc ipsa laborat, cum antea morbo minime vexaretur: vt iecinore vehementer laborante stomachum, & caput, & nonnulla alia membra secundò morbis tum longis, tum acutis, obnoxia esse videmus. cum vero morbus neque propriis signis colligi potest, neque diutius in parte affecta remanet, & aliis morbis superuenit, tunc partem neque per se, neque primo affici vere possumus affirmare. Qua in re illud maxime obseruandum, quod cum pars quæ hoc pacto afficitur, morbo vexatur, necesse est, vt maiore facto alterius partis malo, illius vitium vehementius increscat, & illo discusso, hic etiam quiescat. Nullus autem eorum morborum, qui ex altera parte laborãte aliquando subsequuntur, quod ex 111. De art. colligitur partic. x. priorem vnquam malum tollere aut digerere solet. Aliis autem partibus affectis, morbus superuenire solet bipartito, vel ob partium vicinitatem, vel propter eorundem societatem. Societas autem duplex est, aut generis, aut muneris: generis dicitur, vt neruus, qui habet societatem cum cæteris neruis: venarum est etiam quædam generis inter se familiaritas. Muneris vero, vt mammæ cum partibus genitalibus committuntur, qua de re plurimis Hippocratis, & Galeni auctoritatibus admonemur. Quibus inquit Hippoc. 111. De articul. partic. 1[illegible]. Infra septum transuersum gibbositas est, eorum nonnullis renum, & vesicæ morbi accedunt, quin etiam abscessus tardius multo ad suppurationem tendentes circa ilia, & ingu[illegible]ina oriuntur, & difficile admodum sanescunt; neutri vero gibbositatem tollunt. Quod vero morbi aliis morbis superueniant, aut humor, aut vapor in partes aliquas erumpens causa est: vt suffusio est, & dolores capitis, qui excitantur

Secũdo De morb. vul. sect. 1.

citantur vel ab humoribus, vel à vaporibus ad caput concurrentibus. Præterea vero & defectus materiæ, quam ab aliis partibus elaboratá aſſumere altera ſolita erat, vt vox iupprimitur ſpiritu illo retento, quę vocem & adiuuabat, & conformabat. Et cum prohibetur alicuius facultatis impetus, quæ ꝓpter affectum alterius partis, à qua manabat, impetus ille, ad alias partes deſcendit: quod minime eueniebat, cũ natura recte ſuo fungebatur munere: quę res perſpicua eſt in illius crurum reſolutione, qui apud Gephyram ex montano opere crura proiecta iactabat. Manus quoque dolent, cum laboramus, ſi ſuperiores thoracis partes affectæ fuerint, quod eueniſſe Agaſii puellæ ſcriptum reliquit Hippocrates. Hæc vt probe intelligatur illud maxime obſeruandum, duas eſſe præcipuas facultates quæ totum corpus regunt, & gubernant: quarũ altera ad animum pertinet, altera vero ad naturã: (quæ autem ad vitam tuendam ſpectant, cõſulto hoc loco prætermitto.) Illarum altera aliarum partium malis nõ obruitur, niſi & ipſa per ſe afficiatur, altera vero ſua aliquãdo nõ poteſt exequi munia, ipſa minime affecta. Nam inſtrumenta, quæ connumerantur ſub functionibus muneris naturæ, ab eaq; reguntur, ſecum quaſi habent contextã functionem muneris, vt lapis Magnetes vocatus, ſemper poteſt ferrũ attrahere. Sic huiuſcemodi inſtrumenta facultatem habent propriã, vt opus poſſint aggredi ſuum. At vero inſtrumenta, quæ in operibus cuſtodiuntur, ab ea facultate, quæ ad animum pertinet, vim illam quam habent, vt poſſint ſuis munerib. fungi, accipiunt veluti à quodam fonte, à quo perpetuo defluit. Principio enim caput ſpiritum à corde recipit, à quo fiunt (vt ita dicam) animales, & ab eodem in inferiora inſtrumenta tranſmittitur facultas quædam, quæ ſenſum, & motũ cæteris præbet. Quare his cõtexta facultas nõ eſt, ſed ex aliis manat partibus: vnde fit, vt huiuſmodi partes ipſis haud quaquã affectis nihilominus

Sexto De morb. vul. com. 3. part. 17.

Sexto De morb. vul. com. 4. part. 4.

opus ſuum excitare non poſſint, quod partibus, quæ ad naturam pertinent, euenire minime ſolet: quotieſcumque enim aggredi opus ſuum non poſſunt, actiones naturales ſemper primo, & per ſe afficiuntur. Hactenus hac de re ſcripſiſſe aliis fortaſſe ſat erit, mihi ſat eſſe non poteſt, qui non ſolum quid ſit idiopathia, & ſympathia demonſtrare propoſui, verumetiam quo pacto qui ex alia parte laborante conſequantur morbi, cognoſci poſſunt, oſtendere in animo habeo, vt qui medicinæ ſtudiis tenetur, poſſit mea diligentia hæc omnia facile, & reperire, & memoriæ mandare. Ea igitur quæ ex alia parte laborante, male afficiuntur, nobis poſſunt facile oſtendere, quæ conſequuntur, & antecedunt. Præterea magnitudo, & mediocritas affectus: his accedunt cauſſarum acceſſiones. Etenim ſi eis, quibus caligo quædam ante oculos obuerſatur, anteceſſerit ſtomachi dolor, facile diſcernemus ſtomachum primo affectum eſſe. Quod ſi vomitus inſequatur, & oculi non male ſe habeant, ea res morbum plane deteget. Eſt quoque obſeruanda duorum affectuum magnitudo, & mediocritas. Simile enim veri eſt, ex magnitudine morbi facile colligi poſſe partem per ſe, & primo affectam: ex mediocritate vero, quæ ex alia parte laborante conſequatur. Nam ſi vehemens eſt capitis dolor, morbum eſſe in capite facile poſſumus affirmare: ſin paruus, non recte fortaſſe illa morbo ſedes aſſignabitur. Præterea delirio aliquando vexantur, qui in febrem ardentem inciderunt, ſed non ſemper, ſed cum cauſſa illius per acceſſiones increſcit. Qua ex re aperte cognoſcitur delirium illud inter eos morbos nos connumerare non debere, qui primo & per ſe aliquam partem exercent: finita enim febre, delirium quoque finem habere perſpicimus. Nunc (quemadmodum principio propoſuimus) de morborum differentiis agendum eſt, quæ ſumuntur aut ex materia ex qua morbus naſcitur, aut à motu, aut tempore,

pore,aut ſede affecta. Materia vero erit aut humida, aut ſicca; calida vel frigida,vel ex his compoſita: præterea tenuis,vel craſſa. Peripneumoniam, & Pleuritidem, in quibus tum pulmo,tum thoracis partes morbo infeſtantur, cum nihil ab affectis excreatur partibus,ſiccas affectiones appellabant antiqui: ſic iecinoris,lienis,meſenterii,vel ventris mala, cum aluus nihil reddit,aut ſicca,& dura excernit,ſicca vocauerunt; eodem modo ſiccas inflammationes,ſic cerebri morbos ſiccos nominabant. Morbus dicetur aut acutus, aut longus,ſi eum qua mouetur, obſeruauerimus. Bilem vero moram non facere ſemper fere notauimus, pituitam lente agere, melancholiam cunctari. quapropter Hippoc.VII. ſentent.XXXII. ſi inter principia,quæ in vrinis ſubſideant tenuiora ſint,deinde biliоſa euadant acutum morbum ſignificant. Tempora quoque coctionis,& cruditatis conſiderare,ac diſtinguere oportet. Impeditur autem concoctio duobus modis: aut enim calor plane rem deſtituit,quam concoquere debebat,aut abundat: cum abundat, humores aduruntur:cum vero eaſdem deſtituit,propter eius imbecillitatem res cruda remanet. Locus autem eſt aut exterior,aut interior; in medio ſitus, aut in parte ſuperiori,vel inferiori,dexter aut ſiniſter. Ad morborum mores tranſeamus, quos iuniores haud inepte, aut bonis moribus præditos vocant,aut maligni. Mores morborum intelligimus,ex iis quæ morbum conſequuntur, quæ aut tuta ſunt, & minime pernicioſa; aut grauia,& periculoſa. Morbi maligni à Græcis κακοηθεῖς,qui periculum quidem oſtendunt, at ſpem ſalutis non adimunt.In his id maxime euenire animaduerſum ex primo De m. v. cap. 2. part. 25. aut inter initia aliquid ſemper illi remittant, ſed cito magis ac magis ingraueſcant, eorumque tunc impetus ſint vehementiſſimi, & violentiſſimi. Quæ autem conſequuntur, triplicia ſunt: quædam enim vnà cum vrinis, alui deie-

ctionibus, ſputis perſpiciuntur: quædam in affectibus corporis poſita ſunt, vt ſudores: quædam ad naturales, & animales appellatas actiones referuntur, vt vomitus, & delirium. Symptomata autem quæ à morbo oriuntur, aut bonis moribus prædita dici debent, aut maligna, quatenus ægritudini cõueniunt, & illius ſunt propria. Cauſſæ etiam idem declarare poſſunt: redditur morbus pernicioſus, ſi ex humore melancholico oriatur: tuta omnia erunt, ſi ex ſanguine: ſæpius vero nos terrebunt, non nunquam etiam à periculo tutum hominem demonſtrabunt ea ſymptomata, quæ ex reliquis duobus humorum generibus pendebunt. Morborum ortus (& cum dico ortus, intelligo quoq; tempus, in quo morbus inchoauit) ſubito an pedetentim inuaſerit, & ipſius deniq; forma conſideranda. Locus affectus morbi morem demonſtrat, in cuius cognitione perpendendus eſt diligenter illius partis vſus, & actio: ex horum enim animaduerſione facile poſſumus morem quoque morbi cognoſcere. Et quoniam non ſatis eſt cognoſcere formam vniuſcuiuſq; morbi, niſi etiam magnitudinem eius nouerimus, videtur de magnitudine eius dicendum. Non enim ſatis eſt ſcire morbum qui ægrotum fatigat, dyſenteriam eſſe, niſi eriam & febris, & doloris, & eorum, quæ cum ſtercore excernuntur magnitudinem obſeruemus. Magnus autem morbus tribus modis ſumitur: aut enim relatione ad alium morbum dicitur, aut cum maior eſt, quam vires ægrotãtis poſſint ſuſtinere: dicitur tertio ex propria eſſentia, vt & hominem, & equum, & bouem in ſua ſpecie magnum ſolemus appellare. Colligitur autem magnitudo morbi aut ex partis affectæ præſtãtia, aut ex affectus magnitudine intelligitur, aut deniq; ex eo quod malum ſit cacoëthe. affectus magnitudo cognoſcitur ex ſymptomatibus. Symptomata autem magna dicuntur, ſi quatuor concurrant. Primum quod affectus magnus ſit, deinde quod ſenſus partium acerrimus,

rimus, deinde quod neruorum, & arteriarum genus sit imbecillius, & sanguis, qui continetur in venis prauus. Postremo quod cerebrum, cor, iecur, stomachus, sint imbecilliora: num vero ex iis tantum? minime: verum etiam ex plurimis signis eiusdem generis simul coaceruatis, ex quibus non modo affectus species, & genus aperte cognoscetur, sed etiam magnitudo morbi intelligetur. Sic Hippocrates vt magnitudinē morbi qui Silenum occupauit, ante oculos poneret, scriptum reliquit inchoasse ex lumbis, capitis grauitate, & colli distentione. Paruus vero morbus ex vrinis, ex iis, quæ venter reddidit, quęque per carnes emittuntur, & siqua alia sunt, quæ corpus nostrum à naturali constitutione dilabi indicant, quod Hippocrates sicut cætera optime literis consignauit VII. sentent. LXXIX. perpendere oportet, quæ cum vrinis profluant, aut quæ venter reddat, & quæ ex carnibus emittantur, & si qua alia à naturali constitutione demoueri corpus significationem probent; namque si parum ab iis, quæ secundum naturam sunt, recedant, paruum morbum esse ostendent; si multum, magnum esse demonstrabunt; sin quamplurimum, iam talia pernicioſa erant. illud nullo modo prætereundum, quod aliquando notauit Hippocrates III. De Arti. part. 54. quod in re medica exercenda nonnulla obseruamus, quorum, quę grauiora videntur, periculum minimum habent; totum enim ipsa per se iudicium facile sustinent; quæ vero leniora apparent, quā maximum periculum ostendunt, atque hæc aut diuturnos morbos excitant, aut certe cum alia parte mala propria partiuntur, atque communicant. Et hæc de differentiis, more, & magnitudine morborum dicta sufficiant. Mox de cauſſis, quæ si à medico non intelligantur, frustra erit omne curationis cōsilium susceptum. Herophylus etiam summopere medicos hortabatur,

Primo De morb. vul. com. 3. part. 19.

vt ſumma diligentia cauſſas conquirerent, & quales & quantæ eſſent animaduerterent, & quo in loco maxime dominarentur; vt illis cognitis, ad curationem vniuſcuiuſque morbi commode tranſire poſſent. Cauſſam ita definit Galenus: Cauſſa eſt, quæ id efficit, cuius cauſſa eſt. vel hoc pacto: Cauſſa eſt, qua accedente afficimur, & qua ſeparata ſummouetur affectus. Cauſſarum quædam ſunt per ſe, quædam vero ex euentu. Cauſſæ, quæ ex euentu aliquid præſtant, ab iis quæ per ſe dicuntur, ſic poſſumus diſpicere. Affectus, qui à cauſſa excitatur, diligenter contemplandus eſt, vtrum ſimplex, & vnus ſit: præterea tempus quo ſuperuenit affectus. Etenim illud perſpicuum eſt, ab vna cauſſa vnum affectum excitari, niſi ſit alter per ſe, alter vero aliis conſequatur. Tempus quoque eſt conſiderandum: nam accedente cauſſa calida per ſe ſtatim calefaciet: quod vero ex euentu aliquid efficit, vt conſequatur, aliquo indiget temporis ſpacio. Cauſſæ ex euentu tripliciter ſumi poſſunt. Primum quando eſt aliqua cauſſa, quæ ita natura comparata eſt, vt ſedulo quidem ſuum poſſit exequi munus: quo tamen non fungitur, niſi medio aliquo interpoſito, vt Plethora, quæ quidem aptiſſima eſt ad morbum concitandum: ſed tamen niſi aliquo medio illum excitare nō poteſt: vnde dicitur cauſſa ex euentu. Secundo dicitur ex euentu illa cauſſa, quæ primo, per ſeque maxime ad ortum ipſius rei neceſſaria eſt: ſed tamen vtilis non videtur, vt locus: etenim ſine eo vel nihil gigni poteſt. Oportet enim corpus omne in loco contineri, nihil tamen ad alicuius rei generationem præſtare videtur. Tertio dicitur cauſſa ex euentu, cum aliquid quod effici neceſſe eſt, ab illa cauſſa non excitatur, ex qua res ipſa pendere ſolet, ſed à contraria, vt aqua frigida, quæ ſolet refrigerare, aliquando calefacit. harum cauſſarum quædam dicuntur προκαταρκτικαὶ, quas antegreſſas nominabimus, quædam προηγούμεναι, hoc eſt, antecedentes,

cedentes, quædam vero συνεκτικαὶ, id est, continentes appellabimus. αἴτια προηγουμενικὰ & προκαταρκτικὰ προκατέχοντα, quam antegressam appellauimus, illud maxime postulare videtur, vt & recens, & euidens sit, vt cruditas, ciborum copia, balnea, intempestiuæ exercitationes, ira, mœror, bubo, dolores, & omnes denique caussæ externæ. προηγούμενα vero sic ab Athenæo dicta, id est, antecedens intra corpus animantis continetur, veluti humores, crudiores succi, plenitudo. Hæ à nonnullis abditæ sunt appellatæ, & cõiectura cognoscuntur: συνεκτικὴ vero quam continentem appellauimus, accedente necessario morbus inuadit, eadem decedente morbus continuo soluitur; veluti in febre ardente ambulatio sub sole, antegressa caussa est, antecedens vero bilis; proxima, & continens putredo. Et si præcisa est in pulmone vena, caussa antegressa est, immodica ciborum, & potuum copia assumpta. Antecedens vasorum plenitudo, continens vero tenuitas tunicæ. Aliquando euenit, vt transitus spirituum, qui à capite transmittuntur ad partes inferiores, impediatur. Hinc necessario excitatur stupor, quod si remoueantur aliquando, quæ illis erant impedimento, quo minus partibus sensum præberent, morbus quoq; continuo tollitur. Possem sexcenta alia in medium afferre, in quibus haud obscura est caussæ continentis cognitio, quam etsi sciam veluti superuacaneam à nonnullis reiici: quoniam tamen multa reperiuntur clarissima apud Galenum, & alios præclarissimos viros testimonia, quæ hanc caussam necessario dari contendunt, idcirco eam etiam inter caussas connumerare volui. Quis est autem qui non videat, non vnam tantummodo caussam continentem in pulsibus dari, sed etiam tres, facultas, instrumentum, & vsus? Et si quicquam harum detrahas, arteriarum pulsus incolumis nullo modo esse potest. Omitto pulcerrimum illum locum contra Iulianum, in quo etiam caussam istam describit. Prætereo etiam

quædam in ſecundo De humana natura commentario. Quid dicam de Stephano Athenienſi ſummo & medico, & Philoſopho, qui à doctiſſimo viro nuper nobis eſt egregie reſtitutus ? is nonne inter cæteras cauſſas continentem etiam enumerauit? Plura poſſem in medium afferre, quæ hanc eandem poſſent ſententiam comprobare, niſi certo ſcirem ea vulgo nota eſſe. Illud tamen minime ſilentio inuoluere decreui, quod à doctiſſimis viris eſt præclare animaduerſum, quod in iis tantummodo morbis perſpicitur cauſſa continens, in quibus aliquid additum eſſe, & adiunctum dicitur, non in iis in quibus nonnihil detrahitur. Hinc illud Hippocratis in libro De ſpiritu: Medicina omnis in appoſitione, & detractione conſiſtit. Intemperies qualitatis ſolius oritur abundantia, aliæ ex materia excitantur ſuperuacua, in compoſitione partium ſextus digitus aliquando connumeratur, in obſtructione perſpicuum eſt, quod materia ſuperat: qui vero in diminutione conſiſtunt, cauſſam continentem non habent, quod nunquam ſic eueniat, vt aliquo accedente morbus ſequatur, eodem decedente malum diſcutiatur. Cauſſæ vero cum adſunt, aut aliquid efficiunt, aut non: cum nihil efficiunt, quamuis ſint confirmatæ, vt Plethora, ad eam partem artis medicę pertinent, quæ præſeruatiua appellatur. Sin aliquid efficiunt, medicus non ſolum ad curationem ſuum debet dirigere conſilium, verum etiam ad præſeruationem. Quare permixtum medici conſilium his duobus dicitur. Nam quod effecturæ erant cauſſæ illæ, id iis labefactatis facillime tollitur, qua in re præcipua eſt præſeruatio. Morbum vero qui inſtat, & ſubſiſtit, medicus debet curatione adhibita diſcutere. Huic permixto ex curatione, & præſeruatione proprium nomen non eſt inditum. Hinc fit, vt de huiuſcemodi re medici quamuis doctiſſimi aliquando digladientur. Hi curationem appellari debere cõtendentes, illi vero præſerua-

seruationem affirmantes. Causſa vero quæ aliquid efficit (omitto de induſtria ineptas quaſdã hac de re medicorum nonnullorum lites) aut quaſi pertranſiens minime firmum in particula relinquit affectum, aut diutius ibi commorans ea deinde decedente morbus ſtatim ſoluitur, aut ea ablata alte iam morbus graſſans difficile admodum depelli poteſt. In Pheris mulier diu capite vehementer laborauit. Nihil medicina proficiebat, quod cauſſa, quæ dolorem concitabat, intus maneret: cum vero menſtruis profuſis eadem reiiceretur, mulier leuabatur: morbus enim nondum firmior erat redditus. Cauſſæ vero, quæ in corpore noſtro reperiuntur, morbum demonſtrant, externæ vero cauſſæ ad ea, quę prius recte inuenta ſunt, veluti cumulus quidam accedunt, quo rei demonſtratæ fides firmior, & certior habeatur. Externæ cauſſæ ſunt ſex; res non naturales à iunioribus medicis vocatæ, qui infinitum hoc nomen finxerunt, vt res, quæ in corpore humano minime perſpiciuntur, notarent, & internoſcerent, nõ quod & ipſæ naturales nõ ſint. Harum primus aër eſt, de quo pluribus in locis cum Hippocrates, tum vero Gale. optime diſſeruit. Locos nihil eſt quod ſubſcribam: notos enim omnibus eſſe arbitror eos, in quibus multa de aëre, & locis memoriæ mandauit. Secundus, ſomnus & vigilia, quę & ſi interiores corporis partes non occupent, neceſſariæ tamen appellantur corporis humani affectiones. Cum his congruunt illa Hippocratis, Labores, otia, ſomni, vigilię ſunt animaduertendæ. Et idem, Labores, cibi, potus, ſomnus, res venereæ, omnia mediocria. Tertium locum obtinent perturbationes animi, vt ſunt gaudium, mœſtitia, dolor, & reliqua huiuſmodi. Sic Hippocrates, idque non ſemel, Cura, & attentiſſima cogitatio eſt animi veluti deambulatio. Et paulo ante, Iracundia, vt in capite, corde, & pulmone calor, & humor contrahantur cauſſa eſt; lætitia vero & hilaritas euocat, & educit.

Quinto De morb. vul. com. 1. part. 11.

Sexto De morb. vul. com. 8. part. 14.

Sexto De morb. vul. com. 6. p. 3.

Sexto De morb. vul. com. 6. p. 3.

Sexto De morb. vul. com. 5. part. 9.

Secundo De morb. vul. sect. 4.

Idem, Curandum aliquãdo vt ægroti ira incendantur, vt calor amissus recuperetur, & succi in vniuerso corpore distribuantur, quod etiam in lætitia, metu, cæterisque id genus obseruandum est. Quartum occupauit motus, & quies, quarum alter à veteribus vitæ humanæ comes appellatus est. Quintum, quæcumque

Secundo aphor. 22.

replere dicuntur, aut exinanire. Quos enim morbos repletio excitat, euacuatione sanantur, & quicumque nimia euacuatione inuadunt, repletione finiuntur. His adiungitur cibus, & potus, de quibus agit Hippocrates in libris qui De victus ratione inscribuntur. Sub his studia, quæ vulgo exercitia vocantur, comprehenduntur. Illa vero in singulis externarum causarum generibus obseruanda: primum vt diligenter perpendamus, qua maxime vi, ac facultate morbos excitare soleant: deinde vt consideremus vniuscuiusque corporis affectus. Namque hoc perpetuum est, quod in iis, qui consentiunt affectibus, parata, ac prompta est læsio: contrarii vero, ac inter se pugnantes quantum viribus, ac magnitudine contrarietas potest sustinere, tantum resistunt, ac deuinci non patiuntur. Hæc ego exilius persecutus sum, quæ Galenus fusissime pertractauit: cupio enim studiis iuuenum potius obsequi, quam calumnianti lectori morem gerere. Nunc tempus est, vt de causis internis disputemus. Internæ vero causæ sunt tres, aut aliquod quatuor humorum, aut imbecillitas partis, aut vicinia partis affectæ. Quatuor humores si bene se habent, conseruant corpus; sin minus, illud ægrotet, necesse est. Nihil est, quod hoc loco nonnulli expectent, vt de omnibus causis, quę possunt reddere humores deprauatos differamus: hoc enim pertinet ad eum, qui totam artem tractare sibi proposuerit, non ad illum qui loca tantummodo & vestigia, quibus ad caput ægritudinis peruenire possumus monstrare, & notare in animum sibi induxerit. Imbecillitas vero partium quadripartito oritur, vel vomitu,

vomitu, deiectionibus, sudoribus, longiori inedia, vigiliis, vel denique ob vasorum inanitatem, vel ob sanguinis eruptionem, vel ob dolorem, qui ab Hippocrate Labor appellari solet, vel ob virium irritationem, vt sunt morsus quidam ventris, & intestinorum, vel ob intemperiem partis alicuius aut cum materia, aut absque materia. Vicinia partis affectæ (de qua modò dicendum est) inter illa duo numerantur. Etenim si magnus est morbus, solet ille eiusdem ordinis, & viciniæ partes malè habere. Nanque ore stomachi laborante, cor quoque vehementer affligitur, in iecoris magna inflammatione singultus insequitur. Vtero laborante spiritus retinetur, & neruorum distentio sequitur. Quoniam verò non satis est de causis ipsis disseruisse, nisi etiam quo pacto cognoscantur, tradiderimus, hanc partem intactam non relinquam, sed summatim ponam. Cognoscuntur autem causæ, aut ratione artificiosa, aut absque ratione artificiosa. quod tradit Galen. IV. De victus ratione p. LV. ratio, quæ arte nititur, ducitur ex iuuantibus & nocentibus, ex causis efficientibus, ex iis quæ consequuntur, ex excretis, & curatione denique ipsa. Nemo est, qui nesciat, ea, quæ prosunt, aut nocent, necessaria esse ad cognitionem causarum. Etenim eorum quæ nocent, cognitio, simul & causarum habet notitiam: immò verò nocentium cognitio, causarum est comprehensio: Quæ quoniam superius cuiusmodi essent, exemplis satis demonstraui, hìc amplius de his scribendum esse non putaui. Efficientes causæ idem demonstrant, vt si antè præcesserint aliqua, quæ talem possent humorem gignere. Hęc autem sunt ætas, anni tempora, regio, victus ratio, mali succi consueta generatio, humor minimè excretus, postremò præterita purgatio. Si enim adolescens ægrotat, sanguis vt plurimum morbum excitabit. Et si ver fuerit, eundem dolorem afferre verisimile erit. Si regio calida sit, calidiores excitat affectus. Cibo-

rum verò, & potionum hæc quidem hunc humorem, illa verò alterum gignere possunt. Ex meracis potionibus frequenter assumptis morbi ex sanguine oriuntur. Itaque apud Hippocratem facilè cognoscitur Sileni morbus: eum enim ex nimio vini potu ægrotasse testatur. Et adolescentulum, qui in Mendaciûm foro decumbebat, facilè ex ætate morbo acuto laboraturum verisimile erat. Perpendendum præterea, num ex eorum numero sint, qui facilè malum succum generent: cognosces id, si ægrotum interrogaueris, soleátne aut scabie, aut leprà, aut pruritu crebrò vexari. Item an erysipelas, aut herpes, aut denique vllus, quod ex malo succo nascatur, morbus eum inuaserit. Considerandum deinceps, num aliqua excretio retenta sit. Etenim Alcippus, cùm hæmorrhoides sanguinem funderent, curatus, grauissimis morbis correptus est. Postremò illud nullo modo prætereundum, num ægrotus quotannis medicamento vti solitus sit. Etenim si medicamentis purgationes fieri solitæ sint vere, aut autumno, illis intermissis homines grauissimis morbis vrgentur. Multi etiam ab exercitationibus conquieuerunt, quibus nonnunquam se credere erant soliti; alii frictionem, aut balnea, quibus quotannis vti solebant, abiecerunt: quidam verò post balneum vino dulci sumpto, vomitum amarunt, ad quem cùm non amplius confugissent, non contemnendas excitarunt ægritudines. Ex iis verò quæ consequuntur, in causarum notitiam peruenimus. Rubræ enim pustulæ, atque rotundæ, paruæque ex bile oriuntur, quales vidit Hippocrates in Sileno die octaua eius ægritudinis. Latæ verò, & quæ pruritum non excitant, quales Simonem occuparunt, ex frigidiore humore nascuntur. Et si carnes gustanti salsæ videntur, humoris redundantiam indicant. Et lingua eundem colorem obtinet cum iis, quæ in ægroto superant, humoribus. Ea quoque, quæ excernuntur, causam indicant, in qui-

Primo De morb. vul. cõ. 3 p. 19. Tertio De morb. vul. cõ. 2. par. 5.

Quarto De morb. vul. cõ. 4. p. 32.

Primo De morb. vul. cõ. 3. p. 19. Sexto De morb. vul cõ. 2 p. 10. Sexto De morb. vul. cõ. 5 p 17. Sexto De morb. vul. cõ. 5. p. 16.

in quibus & quantitas, via, motus, & quæ, cum iis admiſcentur, animaduertenda, vt paulò antè demonſtrauimus, dum de hac eadem re verba faciebamus. Curatio denique veluti teſtis accedit rectæ cognitionis cauſarum. Et hæc dicta ſufficiant de iis notis, quæ cauſas demonſtrant. Nunc de differentiis cauſarum agamus. Differentia verò in re ſignificante oſtendit nobis ſimilem differentiam in re, quæ indicatur. Etenim ſi cauſę morbos excitãtes magnæ fuerint, morbus quoq; magnus ſit, neceſſe eſt. Sin paruæ, paruꝰ. Et ſi benignæ, benignus morbus naſcetur. Idem poſſem facilè oſtendere de iis, quæ cauſas oſtendunt, quæ paulò antè à nobis fuerunt commemorata. Eadem eſt enim horum ratio atque illorum. Atque de cauſis, de illarum notis, & de differentiis ſatis dictum videtur. Nunc de morborum euentu, quoniam ita ordo ipſe poſtulat, præcipiendum videtur. Neque verò quenquam latere arbitror, quàm difficile ſit, futura præſagire. In præſenſionibus optimi quique medici maximè offenderunt. Et Deos etiam ipſos de futuris conſultare memoriæ prodidit Homerus. Tota autem prognoſticorum ratio breuiter omnino tradi poſſet. Quoties enim morbi vis cum ęgrotantis viribus confertur, facilè de morborum euentu dicere poſſumus. Etenim ſi morbus onere nocet, ægrotum verò imbecillitas occupauit, interitus periculum oſtẽditur. Qua de re ſic Hippocrates, Perpendendum eſt, an ægrotus poſſit ea victus ratione ſe ſuſtinere vſq; ad ſtatum morbi. Morbus autẽ aut cognoſcitur ex loco affecto, aut ex affectu. Vires verò triplices ſunt, aut animi, aut vitæ, aut naturæ, quarum vnicuiq; proprium munus eſt aſſignatum. Verum tamen illud eſt, animi imbecillitas periculum magnum non ſolere continere: aut enim diutius non permanẽt, aut ſymptomatum ratione cõſequuntur. Cæterę corporis vires ſi eæ fuerint, vt vſque ad vigorem poſſint reſiſtere, ſine dubio ægrotus conualeſcet: Si verò fran-

Primo Aphor. 9.

guntur, ægrotum deficere necesse est. Illud efficiet naturæ robur: hoc verò magna morbi vis. Naturæ robur cognoscetur aut ex causis, aut ex iuuantibus & nocentibus, aut ex actione læsa, aut ex iis, quæ excernuntur, non solùm ex parte affecta, verùm etiam ex toto corpore, aut ex corporis qualitatibus. Reconditæ enim aliquando partes corporis frigent, exteriores verò vruntur. Robur verò morbi ex natura morbi cognoscetur, & ex symptomatibus. Sed quoniam est altera præsensionum ratio, in qua eò, quò peruenire volumus semitæ tritæ reperiuntur: quæ & si paulò erunt longiores, tamen quoniam minimè ancipites, atque arduæ sunt, eas omnino sequi decreuimus; tùm quoniam à Galeno primùm munitæ, tùm quoniam & ab aliis post ipsum fuerunt semper comprobatæ. Hac in re tradenda meum officium me cumulatè præstitisse arbitrabor, si viam magis & rationem indicabo, quàm si singula verba Galeni subscripsero. Ergo cum de morborum euentu nobis differendum sit, perscrutandum maximè erit, vtrum ægrotus ex illo morbo periturus sit, an potius conualiturus. Præterea verò modum, & tempus mortis, & salutis pronunciandum. Hæc autem tria cognoscemus, si iudicia morborum animaduerterimus. Sed neque iudicia perspicere possumus, nisi morbi statum cognoscamus, quod rei firmamentum, & summa est. Vnde longè mea quidem sententia errare videntur illi, qui De præsensionibus scribere aggrediuntur, neglecta illa via Galeni, quam semper eruditissimus quisque secutus est. Et quoniam de status cognitione nobis agendum est, id à me expectari arbitror, vt de principii, & incrementi cognitione agam. Quæ etiam tradidit Hippocrates, cùm inquit, Morbi status ex incrementis cognoscitur. Incrementa verò ex circuitibus, ex quibus iudicia quoque indicata habemus. Et cùm dico principium, omissis aliis ipsius significationibus, ea velim, vt intelligatur totius morbi

Secundo De morb. vul. sect. 1.

pars,

pars, quæ coctionis indiciis definitur: quod quatuor potissimum notis percipitur. Prima est ipsa morbi Secũdo De hum. p. 7. species, de qua sic Hippocrates. Morbi constitutionem contemplator, habita quoque ratione eorum, quæ statim apparent. Febres enim ardentes, pleuritis, & reconditarum partium inflammationes, breuia admodum habent principia. Morbus comitialis, renum dolores, & coxendicum longiora. Circuituum incrementa secundum locum occupant. Quod & Hippocrates animaduertit, Considerandæ accessiones, & ex iis, quæ maiores. Illas autem cognoscemus, si animaduertemus, an increscant, vel potius inclinent morbi: an altera altera breuior, an longior, grauior, vel leuior sit accessio. Quemadmodum enim nauium gubernatores expectato solis ortu ex eo statum cæli notare solent; sic & medici animaduersis accessionibus ad morbi principii cognitionem sine vllo errore perueniunt: Tertium tempus anni. Perspicere oportet morbum, & vnam quamque temporis constitutionem, dicebat Hippocrates. Et idem alibi, Anni tempus, in quo citius, aut tardius, & tempus, in quo excitatus morbus est, pluuium fuerit, an squalidum, calidum, an frigidum, venti destiterint, an sæuierint Morbi enim æstate infestantes breuius, hieme verò longius principium habent. His adiunguntur ea, quæ consequuntur, quæ pòst apparentia vocant: hæc Hippocrates τὰ ὑποφαινόμενα appellauit. Constitutionem contemplator, habita ratione eorum, quæ statim apparẽt. Quicquid tandem excernitur, vrinæ qualésnam sint, qualis corporis collapsio, coloris mutatio, spirandi difficultas. Quæ excernuntur, si concocta sunt, principia morborum circunscribunt: coctiones enim semper finiti principii manifesta sunt signa, & euentus secundos, non aduersos indicant. Quod pulchrè obseruatum, & notatum etiam est ab Hippocrate in suis sententiis. Et secundo De morbis vulgaribus. Increscunt

Sexto De mor. vulg. com. 8. partic. 19.

Tertio De morb. vul. com 3. par. 88.

Sexto De morb. vul. com. 8 p. 19.

Libro 2. De humo. part. 2.

Primo Aphor. 12. Sectio. 1.

mentum verò morbi ex eiusdem acceſſionibus deprehendi poteſt, quod & ſcriptum reliquit Hippocrates his verbis, Incrementa verò ex ipſis morborum circuitibus, ex quibus iudicationes etiã ipſæ cognoſcuntur, atque ex acceſſionum, quæ in circuitibus fiunt, inter ſe collatione ſi citius accedant, aut non: ſi diutius durent, aut non: ſi magis affligant, aut non. Hæc tria ſi in vno & eodem ægroto reperiemus, continuò morbi incrementum prædicere poterimus, cuius finis, principium eſt iudicii. De quo inferius diſputabimus. Statum verò quatuor etiam ſunt quæ indicant. Primæ, acceſſioni deferendæ ſunt, quæ ſi anticipet, aut diutius duret, aut vehementior, & maligna ſit, morbi ſtatum oſtendet. Deinde ponenda eſt morbi ſpecies: Hanc autem cognoſcemus, ſi ea, quæ propriè morbum conſequuntur, & eius naturam, & definitionem conſtituunt, perpenderimus, vt in altero Athenienſi vomitu, & deiectionibus, inteſtinorum torminibus, manifeſtè morbus cholera appellatus demõſtratur. Tertio loco ſymptomata numerantur, quæ ſi multa, diuturna, grauiora, & maligna excitentur, morbi ſtatum oſtendunt. Sin his contraria conſequentur, declinationem potius demonſtrabunt. Idem poſtremo loco comprobat morbi remiſſio, & declinatio, in qua acceſſionis tempus, aut breue, aut certè vix vllum eſt. Et ipſa acceſſio lenior, & ſymptomata, ſi quæ non receſſerint, nullo in metu ſunt. De ſignis remiſſionis agendum non arbitror, tum propterea quòd nullum iudicium ſit in remiſſione: tum quoniam ex contrariis ſignis ſtatus facilè colligi poteſt. Hactenus egimus de principio, incremẽto, & ſtatu morborũ: nunc tempus eſt, vt ad iudicia tranſeamus. Iudicia aut ægrotantes ad ſalutem perducunt, aut mortem afferunt: quæ ſaluti ſunt, bona dicuntur: quæ iugulant, mala. In bonis vel malis iudiciis abſceſſus erumpunt, aut κατ' ἔκρηξιν aut κατ' ἀπόδοσιν. κατ' ἔκρηξιν fiunt, cùm ea, quæ excernuntur, emittuntur

Quinto De morb. vul. com. 1. p. 9.

emittuntur aut per deiectiones, vrinam, sudorem, aut per sanguinis ex naribus profluuium, hæmorrhoidas, & si qua alia sunt. κατ' ἀπόδοσιν verò fiunt, cùm abscessus, aut superiores aut inferiores corporis partes occupant. Bonum autem iudicium est, quod saluti subitò prospicit ægrotorum, quod fit aliqua excretione aut abscessu. Perfectum illud est, quod nullus metus sequitur, & omnia ægrotis salutaria sunt. Primùm enim optima illa iudicia habentur, in quibus potius excernuntur humores, quam in quibus abscessus subsequuntur: deinde in quibus alienus humor abundans euocatur: deinceps in quibus idem emittitur καθ' ἕξιν: postremò quæ facilius ægroti substinent, & quæ cùm concoctione fiunt, & in diebus iudicatoriis appellatis secuta sint. Hæc omnia concurrere debent in absoluto naturæ iudicio, in quo siquid horum desideretur, minimè perfectum, aut integrum appellabitur. Cætera autem aut perfectè à morbo non liberant, aut paulatim morbum discutiunt: quæ si ad salutem contendant, morbus depellitur, aut excretione, aut abscessu, aut planè sine iudicio, in quo nihil omnino excernitur. Iudicia verò quæ iugulant, quatuor connumerantur. Primum è regione, primò iam dicto respondet, in quo subita morte ægrotus corripitur; aut in iudicio, aut sine iudicio: si in iudicio, aut excretione, aut abscessu. Secundum quidē necē non affert, sed ægrotus in eo pessimus est. Tertiū verò, cùm paulatim mutatio morbi fit in marasmum, à quo tandē ægrotus consumitur: quod aut cum iudicio imperfecto solet euenire, aut sine iudicio, in quo mortē subesse denuntiat. Quartum est subita quædā rerum cōmutatio: in quo cùm neque aliquid excernatur, neq; vllus subsequatur abscessus, exitium ægroto cōparatur. Iudicium verò, quod tutissimum est, aut præsens est, aut futurum. Signa quæ futurum iudicium denunciāt, aut præsens ostēdunt, sunt octo. Primū est cōcoctio. Secūdum est, quod in aliquo

die fiat, in quo de ægrotis iudicetur. Tertium, quòd in aliquo die denuntietur, & indicetur. Quartum morbi ſpecies. Quintum morbi mos. Sextum, quòd quicquid excernitur, morbi formæ conueniat. In febre enim ardente, aut ſanguis è naribus profluet, aut poſt vehementem rigorem ſudor ſubſequetur, & calidum eundem per totum corpus habebis, aut vomitus erit, aut venter perturbabitur. Futuri ſtatus præſentio ſeptimum eſt. Octauum verò virium robur. Futuri verò iudicii notæ erunt, morbi natura, qui aut ex amara bile, vel atra, vel pituita, aut ſanguine exortus eſt. Anni tempeſtates: cum enim morbus inchoauit, aut æſtas erat, aut hiems, aut ver, aut autumnus. Ægrotantis ætas: quæ ſi calidior ſit, celeriter concoctionis ſigna expectanda ſunt: ſin frigidior, tardius. Magnopere enim natura, & ætas ex primo De fracturis p. 42. ab ætate differt. Temperamẽtum corporis, de quo idem æſtimandum eſt, quod de ætate diſſeruimus. Regio, victus ratio, acceſſionum circuitus, concoctiones, quæ etſi magnę ſint, & in diebus, quæ indicare ſolent, fiant, futuri iudicii certè notæ ſunt. Futuri ſtatus præſentio, & quæ mox conſequuntur. Poſtremò virium robur: vires autem aut integræ, aut mediocres, aut imbecillæ erunt. Si integræ, & morbum calidiores humores excitarunt, excretionem futuram oſtendunt: ſin frigidi, aut abſceſſus conſequentur, aut concoctio. Si vires mediocres ſunt & calidiores humores, ſæpe excretiones, rarò concoctionem, aliquãdo abſceſſus expectandi ſunt. Sin frigidi humores, ſæpe concoctiones, rarò excretiones, aliquando abſceſſus futuros pronunciandum. Sin imbecilles vires fuerint, & calidi humores, abſceſſus erumpent: ſin frigidiores, aut concoctioni natura ſtudebit, aut mors euidens erit. Quoniam verò aut iudicium moderatum eſt, aut cùm naturæ & morbi inter ſe pugnantium conflictatione, aut certè morbi quædam ſolutio, hæc quoque ſuis indiciis cognoſcenda.

ſcenda. Primum erit morbi ſpecies, quæ ea, quæ ipſum propriè conſequuntur, oſtendet. Secundum magnitudo morbi, quæ ex ſymptomatum magnitudine cognoſcetur. Tertium mos morbi. Quartum temperamentum. Quintum ætas, regio, victus ratio, de quibus plura ſuo loco diximus. Huc accedit motus, qui ex tempore partium acceſſionis comprehenditur, futuri ſtatus præſentio, vires. Quoniam verò ſatis oſtendimus, quo pacto indicia tum præſentia, tum verò futura cognoſcere debeamus, nunc conſequi videtur, vt de modo mortis, aut ſalutis quærendum nobis ſit. Modum autem cognoſcemus, ſi quale futurum ſit iudicium obſeruauerimus. Quale verò futurum ſit iudicium, rectiſſimis rationibus aſſequemur, ſi oculos nunquam à morbi ſpecie dimouerimus: ſi locum affectum, & indicia ea, quæ aut vomitum, aut ſudorem, aut excretionem, aut profluuium ſanguinis non longè abeſſe demonſtrant, obſeruauerimus. Ex morbi ſpecie, quo pacto morbus excernatur, cognoſcemus. Etenim febris ardens ex ſanguinis per nares eruptione finitur, rigore, ſudore, vt auctor Coacarum prænotionum pulcherrimè ſcriptum reliquit: & multis in locis Hippocrates. Sedes etiam affecta iudicationis modum ante oculos ponit. Etenim ſi iecoris pars caua inflammatione laboret, aut infima aluus excernet, aut ſudores orientur, vomitus nonnunquam prodibunt: ſin gibbæ aut ſanguis fluet ex naribus, vel ſudores ſubſequentur, aut vrina copiosè deſcendet. Et morbi quidam, qui infra pectus excitantur varices, & aluus perturbata ſoluet, quod Hippoc. 1 1 1. De art. p. 1v. v. hiſce pæne verbis tradidit; morborum, qui infra pectus fiunt, nonnullos ſubſecutæ in cruribus varices finiunt, præſertim illæ quæ in vena poplitis oriuntur, excitantur etiam & in vena, quæ in inguinibus eſt. Iam vero plures & diuturna Dyſenteria morbo liberauit. Signa verò, quæ ſolent vnumquodque iudicium indicare breui-

ter prosequemur. Profluuium sanguinis narium demonstrant imagines, quæ ante oculos obuersantur, oculi illacrimantes, rubri, præcordiorum sine dolore contentio, & retractio, spirandi difficultas, capitis dolores grauiores, pulsantes, extendentes, narium pruritus, rubor circa faciem, quæ habet Hippocrates in suo libro De præsensionibus. Illud non ignorandum, quòd aliquando erumpit per nares sanguis in iudiciis cùm capitis tantummodo grauitate, vt in Methonis morbo; quem febris vehemens inuasit, perspicimus, & in quotidianis curationibus experimur. Vomitum verò, cordis morsus, capitis dolor, perturbatio, vertigines, inferioris labri quasi quædam agitatio, sputum tenuius, nausea. Et nonnunquam ex primo De m.v. ca. 3. p. 23. extremorum partium refrigeratio vt in Cleonactidis ægritudine apparet. Hæc quoque ex Hippocrate sumpta sunt loco citato, & secundo De victus ratione in morbis acutis. Delirii futuri notæ sunt capitis dolores, lumborumque, vigiliæ cum surditate. quod si duos, aut tres, aut x. dies hæc cum febre perdurarint, certiores multo delirii notas se habere arbitrantur quæ Hermocrati euenisse testatur Hippoc. 111. De m.v. com. 1. p. 5. & ex moderato, sedatoque homine contumeliosa responsa mentem lædi quoque significare nouum non est, ex 11. Prorrhet. p. 1x. Vomitus etiam insequuntur absque hisce omnibus signis, vt in mulieris, quæ in lictore lecto se continebat, historiæ meminit Hippocrates. Sudorem verò prorupturum inde maximè colligi potest, quòd venter contrahatur, vrina minimè feratur, quòd exteriores corporis partes, præsertim verò vultum rubicundiores & calidiores sentiantur, quòd vapor quidam calidior profundatur, cùm antea esset conclusus, quòd pulsus vndas modò accedentes, modò recedentes imitari videantur: quod denique ægrotus sudare sit assuetus, vt Timocharus · nonnunquam sudores morbos

Primo De morb. vul. com. 3. p. 2.

Primo De morb. vul. com. 3. p. 30.

bos finiunt nullis dictis indiciis insequentibus, vt in Cleonactide notat Hippocrates: Et in Melida, in cuius ægritudine & menses pauci prodierunt, & pauca venter reddidit: nonnunquam verò cum vrinarum maxima copia, vt in Pericle in Abderis scriptum reliquit, & in Anaxione in Abderis, & in Philistide Heraclidæ vxore VII. De m.v.com.3.p.22. notatum antiquissimus auctor reliquit, nonnunquam etiam cùm sanguinis ex naribus profusione, quod & in virgine in Abderis legitur apud eundem. Ventrem verò omnino perturbari debere, signa sunt, si vomitus comprimantur, si sanguis è naribus minime feratur, si sudores non subsequantur. Si denique venter, & partes circa vmbilicum flatu in tumore sint pungant, vrinæ turbidæ descenderint. quod ex VII. De m.v.com. 2.p.1. colligitur. Aluus verò profluit aliquando, & illis deficientibus & insequentibus: præsertim cum perfectè non iudicet, quemadmodum in Herophilo in Abderis idem diligens admonuit Magister: & in Clazomenio. Abscessuum verò notę sunt, quod neque morbus soluitur, neque vrina procedit multa, neq; subsidet, sed tenuior est, & crudior. Propria verò abscessus post aures illico erumpentis indicia sunt, spirandi difficultas, quæ quidem hominem occupet, deinde desinet, quam grauitas capitis, ac dolor subsequatur, grauis somnus, ac surditas. Aliquando etiam nullis præcedentibus signis subsequuntur abscessus post aures, vt Andreæ ante Pleiadum ortum contigit. sed quid? nonne eidem in cruribus nescio quid abscessit per nullum indicium ante enunciatum? VII. De morbis v. comment. 1. particula 49. Vt autem abscessus liberet, tria hæc concurrant necesse est ex sententia Hippocratis. Principio vt fiant cùm morbus maximè feruet; deinde, vt febris desinat; postremò vt ægrotus illos possit sustinere. Hæc omnia indicia & plura etiam connumerauit Hippocrates in eodem Clazomenio, quem

Quinto De morb. vul. cō.2.p.34.
Primo De morb. vul. cō.3.p.23.
Primo De morb. vul. cō.3.p.31.
Tertio De morb.vul. cō.3.p.77.
Tertio De morb.vul. cō.3.p.79.
Tertio De morb. vul. cō.3.p.78.
Tertio De morb.vul. cō.3.p 80.
Primo De morb. vul. cō.3.p 27.
Quarto De morb. vul. cō.4.p 14.

non audisse scribit, dolore capitis, & colli conflictatum fuisse, præcordia sursum contracta habuisse, aluum adstrictam, vrinas perpetuò tenues processisse. Verum tamen tubercula circa aures aliquando cum tussi, nonnunquam cum perturbata aluo, vt adolescenti lienoso innasci ab antiquissimis scriptoribus VII. De m. v. cap. 3. p. 2. pulchre obseruatum est. Quòd si morbus diutius durabit, neque vllum ex his signis paulò antè expositis subsequatur, & in interioribus partibus, aut grauitas, aut contensio sentiatur, vel inflammatio, aut dolor oriatur, abscessum in inferioribus partibus expectato. Menstrua ferri debere in iudicio haud obscurę notæ sunt, summa quædam lumborum grauitas, dolor, contentio. In quadam tempestate XVII. perpetuo eadem proueniisse obseruauit Hippoc. De m. v. cap. 3. p. 32. & Cleomenis vxor VII. De m. v. cap. 2. p. 55. quam Fauonio perflante lateris dolor occupauit IV. die profusis menstruis liberata est. Epicharmi quoque vxor V. De m. v. cap. 2. p. 56. cum graui admodum dysenteria laborasset, vbi peperit, ac rite purgata esset illico sanitatem recepit. Illud iterum repetendum est, quòd vel secundorum, vel aduersorum euentuum signa aliquando adeò sunt obscura, atque obtenebrata, vt ad salutem ne, an ad pernitiem ægrotus perducatur, penitus perspici non possit. Quæ res efficit, vt etiam præstantissimi medici De morborum euentu iam mutire non audeant, ne in plebeculæ voculas incidant. Quæ si hominem superstitem esse viderit, cui medicus omnia signa ad perniciem esse dixerit, eum contemnit, deridet, extrudit ex ædibus. Quæ cum non satis sciat, qualis sit ars hæc, continuò temerè clamat, Deum tantummodo futura scire, medicos omnes stultos. Cæterùm accersere se quidem, ait, medicos, non quo de salute aut morte ægroti pronuncient, sed quo, quid opus facto sit, imperent: nam illud quidem paruipendit: hoc medici officium esse

esse arbitratur. Quid ego plebeculæ respondeam habeo: sed ad omnia respondendum non est. Pleni verò sunt Hippocratis omnes libri earum rerum, quibus hæc facilè possem diluere: ad illos ego eos reiicio, qui & illa intelligere, & de illis optimè possunt iudicare. Cæteros nihil curo: illud tantùm subiiciam; Hoc malum ad salutem conuersum est, quòd ego perniciosum esse prædixeram: quid ergo? Ego in Prognosticis ratione ducor, non euentis. falli aliquando turpe non est: semper decipi id notam habet: nunquam enim aberrare diuini hominis, & cælestis est: rarò decipi humanum est. Præter spem aliquid euenit, ignoscendum est: siquidem rationem sequutus sum, cui soli insistere debet medicus. Sin eam contempserim, aliquo præcipitem me dandum censeo. Nulla etiam cum ratione medicinæ præcepta perpetua sunt. Ars ipsa coniecturalis est: in qua quædam impedita, multa obscura; omnia ferè lubrica reperiuntur. Desideratur præterea IV. liber De iudiciis Galeni, in quo cuncta ab eo cumulatissime explicata, & ante oculos posita erant, in illo vero, (vt censeo) ostendebat naturam in iudiciis aut ordinatè, aut inordinatè mouere, vel lentè, vel acriter, vel critice, vel symptomatice. Inordinatè mouet, vel ob morbi vexationem vel ab iis, quæ extra sunt, vel ab iis quæ in interioribus corporis partibus latitant, excitata. extra sunt & medicus, & qui ægrotum adseruant. Intrinsecus autem vrget morbi accessio, forma morbi, symptomatum magnitudo; celeritatem morbi cognoscimus ex morbi magnitudine, causis, tempore accessionum, anni tempestate, regione, ætate, corporis totius habitu, & temperie: ex iis quæ prosunt, & nocent, ex iis quæ excernuntur aut secundum dignitatem, aut facultatem eorum, aut communiter & proprie. Contrarias ob causas iudicia differuntur, morbi scilicet formam, tarditatem, causas minus acriores, symptomatum inopiam & pau-

citatem, ægroti temperiem. Iudiciorum autem exitus aut noti sunt, aut ignoti; noti sunt cum natura plurimum potest; ignoti, cum in vexanda natura morbus stimulos admouet; hinc multa præter opinionem in iudiciis eueniunt. Iudicia cognoscuntur aut ex symptomatibus, aut ex euentis, aut signis. Signa sunt aut certa aut incerta, dubia, aut aperta; insignia & maiora; aut obscura, & minora; fida vel infida, vel eiusdem generis, vel eiusdem speciei, vel neque genus, vel neque speciem habent eandem; hæc vel bona, vel mala esse possunt, vel maiora, vel minora, vel plura, vel dignitate excellentia. conferenda non sunt non modo bona cum bonis, & mala cum malis, sed bona cum malis & è contra. sed quid hoc tantum? signorum etiam gradus constituendi I v. cum bonorum, tamen malorum. bonorum iudiciorum primus gradus sunt bona, salutaria, superstes, oportet, vtile, prodest, commoda, conducit, soluit. I I. melius, securius, valde prodest. I I I. optima, placidissima, securissima, secura, commodissima. I v. valde magni momenti. In primum malorum gradum ascendunt mala, magnum malum, absurdum, maligna, valde mala, minus grauia; praua, admodum periculosa, non bona, damnare, minus securum. in I I. veniunt peiora, valde mala, magis periculosa, minus periculosa, magnoperè pernicioſa, non valde mortifera. In I I I. pessima, pernicioſa, terribilia, mortifera, mors, valde mortifera, magis mortifera, magis terribilia. in I v. mortem proximam, & vitam, valde pernicioſa, terribilia maximè, maligniſſima, pernicioſiſſima, timor, desperatus homo. Media etiam quædam signa adinuenit, inutilia scilicet, incommoda, difficilia, suspecta, quæ morbum magnum, & paruum demonstrant, morbus incoctus, & longitudo morbi, signa præterea abscessus, distentionis, delyrii, inflammationis,

mationis, doloris, furoris, animæ defectionis, dyſenteriæ aquæ inter cutem, inteſtinorum leuitatis, parotidum, puris eruptionis, recidiuæ, ſanguinis è naribus effuſio, ſuppuratio, doloris capitis, vomitus, vteri doloris, paraplegiæ, maniæ, cæcitatis, ſudoris, rigoris, in medium attulit. His explicatis ad Hippoc. hiſtorias fortaſſe decurrit, vt illa veluti quædam ceteris teſtimonia accederent, & totam ſuam doctrinam planè confirmarent. Pluribus non agam, ne cætera breuiter tradidiſſe videar: quoniam non reperierim aliquid, in quo mea exultare poſſet oratio. Igitur ad illud, quod reliquum eſt, tranſeamus. Quoniam verò non ſatis eſt ſcire, vtrum ægrotus moriturus ſit, an non, niſi etiam diem & horam noueri mus, & prænunciauerimus: quo pacto illud facere poſſimus, deinceps dicendum eſt. Cognoſcemus verò ægrotum, vel ad mortem, vel ad ſanitatem peruenturum ex collatione roboris morbi, & naturæ inter ſe. Robur naturæ, vel imbecillitatem ex naturæ propriis functionibus, ex bono, vel malo temperamento earum partium, ex quibus vires oriuntur, cognoſcemus, vt cordis, iecoris, cerebri, & teſtium. Pulſus quoque maximè vires demonſtrant, qui diligentiſſimè ſemper fuerunt obſeruati ab iis, qui huius artis fuerunt & inuentores & authores. Morbi verò robur, vel infirmitas vel ex ſpecie morbi cognoſcetur, vel ex eius magnitudine, vel ex ſymptomatibus, vel ex ipſius morbi motu, & denique concoctionibus. Hora verò mortis pronuntiari poteſt, ſi acceſſiones obſeruauerimus: nanque ſi tempora acceſſionum perpenderimus, & nouerimus, & quæ vel noctis, vel diei acceſſio grauior futura ſit, & quæ ſit eiuſdem acceſſionis hora, facilè reperiemus, qua potiſſimum hora vires vel effundentur, vel ſufficient, & quo tem-

poris momento mors sit denuncianda. Atque hæc de morborum euentu. Nunc quibus ex rebus curandi ratio ducenda sit, aperiendum est: Has iuniores indicationes vocant, trito iam, & vsitato vocabulo, quòd nos vsurpare statuimus, vt tota hæc tractatio melius intelligatur. Indicationes tametsi propriæ Dogmaticorum medicorum sint, communes tamen esse videntur etiam Empiricis, quemadmodum in nostra Empirica demonstrauimus. Indicatio à Græcis ἔνδειξις appellatur, quæ quemadmodum à demonstratione, fine & scopo differat, nunc ostendemus. Indicatio à demonstratione differt, quòd demonstratio perspicua, ac certa quæsitæ rei patefactio sit. Indicatio verò est quædam quasi rudis & obscura rei significatio. Huc accedit, quod illud quod indicat vnum significat; at quod demonstrat, cum sit vnum plura consequuntur. Finis verò ab indicatione plurimum distat, adeò vt neminem fore putem, qui id nõ nouerit. Finis enim est, cuius causa omnia administrãtur: & tunc verè finis dicitur, cum artifex ipsum attigerit: Scopꝰ verò est quidẽ finis, sed nõdum ab artifice assecutus, sed cõstitutus tamen, & qui in eius adhuc hæret mẽte, & illũ spectans, videt, quò cuncta rectè faciẽdi consilia referenda sint. Quam differentiã cum nonnulli minus animaduertissent, arbitrati sunt alterũ pro altero vsurpari posse: qđ etsi aliquãdo verum sit, non tamen ꝑpetuum est. Diximus de scopo & fine, nũc de scopo & indicatione tractãdum. Scopum pro indicatione sępissimè sumitur à Galeno: sed est tamẽ quædã dissimilitudo, qua alterum ab altero pspicuè secernit. Scopi ea est natura, vt facilè possit indicare, indicatio verò scopũ subsequtur, & quasi ea superuenit, & ex illo orit, & ab illo tanquã à fonte emanare videtur, & πρὸ ἀκολουθίαν λογικὴν vocare solitus est aliquando Galenus: vtilis est autẽ indicationum cognitio, quoniam præbet nobis facultatem inueniendi remedia, quibus id assequi possimus, quod ab indicatione

tione oſtenditur. Indicatio ſic deſcribitur à Galeno: Indicatio eſt veluti quædã ſignificatio eius, quod poſt illam conſequitur: vel hoc pacto: Indicatio eſt veluti antecedentis alicuius cum ratione eius, quod conſequitur obſcura quædam demonſtratio, quæ quid faciendum ſit, optime oſtendit. Indicationum quædam ſunt generales, quædam vero ſingulares. Generales finem oſtendunt, quem tantopere medici cõſequi ſtudent, nec tamen vnquam attingunt: ſingulares vero materias inueniunt, hoc eſt auxilia, quibus morbos poſſint depellere. Auxilium autem eſt, quod ſumma vtilitate ægrotantibus adhibetur, conſtans qualitate, quantitate, ordine, & occaſione. Præterea indicationum quædam ſunt ſimplices, quædã compoſitæ: ſimplex indicatio vnum ſemper indicat, idque ſimplex; compoſita vero, compoſitum. Et indicationum quædam conſeruari, & tueri, vt vires: quædam vero tolli, & ſanari poſtulãt, vt morbus, à quo prima ſumitur curatrix indicatio. Morbi genus, remedii genus indicat, ſpecies vero ſpeciem, magnitudo vero quantitatem demonſtrat. Indicatio generalis ſumitur à morbo, quę primo quidem, vt tollatur, indicat, deinde ſuæ affectionis indicat auxilia, quam etiam imperiti nouerunt. Reliquæ vero indicationes à cauſſis ſumuntur, quę nõ generales proponunt indicationes, ſed curationem perſcribunt, quas ſoli medici nouerunt, vulgus plane ignorat, qui medicum eo conſilio adducit, non ſolum vt morbum propulſet, ſed vt recte atque ordine ægritudinem depellat. Hoc autem præſtare nemo poteſt, niſi qui cauſſas morborum plane nouerit: Quarum quemadmodum non vnum eſt genus (aliæ enim ſunt antegreſſæ, aliæ antecedentes, aliæ continentes) ita & non omnes vno & eodem modo indicant. Antegreſſę enim cauſſæ conſeruationem poſtulant: Antecedentes vero in morbis iam factis euerſionem. In iis quæ nondum morbum fecerunt, medici opus προφυλακτικὸν

postulant. Indicationum quædam sunt contra indicantes, quæ ἀνταδείξεις vocantur, quædam vero ἀναδείξεις. Ea quæ simul indicant, sunt vt vires, natura, ætas, anni tempora, regio, consuetudo, & si qua alia sunt. Contra indicans est, quod vtile quidem ostendit, cæterum id fieri, quod affectus maxime postulat, non sinit. Hactenus demonstrauimus quid sit finis, quid scopus, quid indicatio: nunc quod reliquum est, ea quæ indicant, enumeremus. Ea sunt morbus, caussa, consuetudo, ætas, regio, anni tempora, cõtrarietas, vires, quæ tripartito enumerantur, aut animi, aut vitæ, aut naturæ. Hæc vtilia sunt nõ solum ad demonstrandum quidnam faciendum sit, sed etiam ad cibos ægrotis proponendos. Tempora vero morborum, de quibus fortasse aliqua posset existere dubitatio, nihil indicare aperte multis in locis ostendit Galenus. Verum non illa tantummodo indicant, sed sunt alia quædam, quę ipsę indicare videntur, quæ si diligenter obseruauerimus in curandis morbis, nunquam fere errare poterimus. Hæc similem postulant animaduersionem, vel actu, vel potestate. Primum veniat in medium pars affecta, quæ vel similium partium est, vel dissimilium: si ex partibus similibus constat, calefaciendi, refrigerandi, siccandi, humectandique rationem ostendit: sin dissimilium, tum locum, per quem materia est euocanda, tum vero excernendi rationem demonstrat. Huc accedit, & vsus medicamentorum, quæ à parte affecta humorem possint extrahere: & ipse magis, minusq; modus vtendi. Deinde essentia, à qua quidã nullam indicationem sumi posse affirmarunt: verum falsi sunt, quemadmodum multis in locis Galenus demõstrat: indicat autem medicamentorũ commutationem. Tertio loco temperamentum partis enumerandũ est, quod spiritibus, partibus solidis, & carnosis constat, quarum singulæ aut secundum qualitatem, aut secundum quantitatem considerantur. Qualitas est optimum calidi, frigidi, humidi,

humidi,& ſicci temperamentum; ſolidarum partium quantitas eadem manet, caro ſupercreſcit. Præterea vero corporis temperamentum duplex eſt: aut enim nobiſcum ſimul natum eſt, & ingenitum, quod originale à quibuſdam vocatur, aut ex victus ratione, medicamentis, locorum mutatione nobis comparauimus, quod aduentitium vocatur. Indicatio ſumitur ab eo, quod præſens eſt: corpus enim humidius minus ſiccans medicamentum poſtulat: hoc denique non ſolum particulæ menſuram præſcribit calefaciendi, refrigerandi, ſed etiam aliquid horum coniunctim cum alio faciendi. Temperamentum vero partium omnium, vt ſubtilius conſideretur, monuit & Hippocrates cum dixit, Pilos, colores cutis, venas, neruos, muſculos, carnes, oſſa, medullam, cerebrum, à ſanguine viſcera, ventrem, bilem, alios humores articulos diligenter perpendendos. & alibi natura à natura, & ætas ab ætate differt. Nunc de ſitu partium & ſocietate (idem enim ſignificare ſcriptum reliquit Galenus) dicendum eſt, quę modum vtendi medicamentis oſtendit, & quo pacto ſolidarum partium intemperies curanda ſit, & humorum vitium excernendum, vel contemperandum, quemadmodum res ipſa poſtulabit. Etenim qui in exterioribus partibus corporis intemperie laborant, iis medicamenta, quæ intemperies requirit, imponemus: quibus autem reconditas magis partes intemperies oppreſſerit, in iis lõgum reſpiciendum ſpacium eſt, quod pertranſire debent medicamenta. Iam vero & viam, qua humores ſunt inducendi demonſtrat. Etenim niſi illud compertum haberemus, cauo iecinoris ſubiici ventriculum, & ieiunum: tum ieiuno tenue inteſtinum ſuccedere: id vero colon excipere, ac colon, quod appellãt rectum, vtique iuuenire non potuiſſemus; iecur, & per aluum, & per vomitum excernere ſolere ſuperflua. Cæterum aptior multo prior eſt euacuatio, tanquam

Quarto De morb. vul. com. 4. part. 19.

vſu iam callentibus inteſtinis, iecoris ſuperuacanea tolerare. Idem oſtendit materiæ impetus, & qua maxime parte euacuanda ſit. Hæc vna & eadem videtur eſſe animaduerſio, atque ea, quæ à figura ſumitur. Meatus vel canales oſtendunt viam, qua humor expelli debet: ventriculus vomitu, inteſtina deiectione exinaniuntur. Hinc illud apud antiquos notatum, & diligenter obſeruatum, in affectibus gulæ, non ſtatim eſſe medicamenta deuorãda, quemadmodum in affectibus ventriculi. Hæc igitur indicatio, vtendi modum præſcribit. Præſtantia actionum, quam nobilitatem, & ignobilitatem vocant iuniores, indicat, illi primum parti medicamenta adhibenda eſſe, quæ cæteris præſtantior eſt. Et maxima cura partium præſtãtium, quemadmodum ventriculus eſt, vel iecur, vt robori conſulamus, admonere videtur. Actionis ſpecies demonſtrat, quatenus cuiuſq; partis robur tueri, & conſeruari debeat. Illam ſequitur ſenſus: etenim quæ pars maximo ſenſu prædita eſt, vt malo citra dolorem ſubueniamus, eniti debemus. Quæ vero ſenſum habet hebetiorem, aſperiora illa remedia ferre poterit. Poſtremo vicinia, & partium veluti coniunctio, quam cum ſitu nonnulli merito coniunxerunt. Propinquitas vero locorũ, præſertim præſtantium, nos admonere videntur, vt dum alteri prodeſſe conemur, alteri ne noceamus: vt ſi vnguento perungere iecur velimus, ne ventriculum offendamus, cauendum. Coniunctio eandem indicat animaduerſionem, ne dum partem affectam remediis iuuare tentemus, parti alteri, qua cum conſortium habeat, aliquod afferamus detrimentum. Quando vero Indicationes omnes ſecum conſentiant, & quando inter ſe diſſentiant, diligenter perpendere debemus ex Galeni ſententia 11 1x. Meth. 1x. cunctis enim conſentientibus indicationibus vnum protinus ſtatuendum, & deliberandum eſt; diſſidentibus vero, quæ plus roboris habent, quę plures ſint, anteponendæ: ita tamen vt con-

vt contrarias minime contemnamus. Hactenus egimus de iis omnibus, quæ curationem antecedere videbantur. Ea autem erant cognitio præsentium, præteritorum, & futurorum præsensio. Præsentium cognitio quid aliud obsecro est, quam affectuum inuentio, præteritorum notitia, caussarum inuestigatio, quę affectum demonstrant. Illa autem cognoscuntur, caussis efficientibus intellectis, vt suo loco demonstrauimus. Hæc necessario primo posuimus, quo facilius intelligatur, medicum absque illorum perceptione nullam medicamentorum vtilitatem sentire, nec efficaciora ex arte posse explorare. Qui enim scire poterit medicus, qua ratione ægroto succurrendum sit, morbi, & sedis affectæ & caussarum cognitione neglecta? Dabit ille efficax medicamentum, id aut ægrotum liberabit, aut certe non nocebit. Si leuabit, quæro quî scire id poterit, cum nullum eius generis remediorum experimentum antea habuerit? num Deus, aut diuinũ aliquod numen ei iureiurando id futurum affirmauerit? Sin non nocuerit, accusandus quidem non erit, quod id, quod vnusquisque efficere debet medicus, præstiterit: ne quemquã medicamentis offendat. Aut vt iuuet (quod à præstanti medico maxime requiritur) quod eorum notitiã superuacaneam esse contendit, sine qua nemo mortalium reperire potest, cur hoc potius quam illo vtatur medicamento, efficere nullo modo poterit. Si vero tam Diis hominibusque inuisus sit, vt (quod crudele est) ægrotum stangulet, nihil medius fidius caussę est, cur recuset, meritas statim tergo pœnas pendere. Sed hæc missa aliquãdo faciamus: & ad curationis rationem potius, quæ vltimum locum obtinet, transeamus. Morbus maxime opponitur sanitati. Sanitas autem, quæ per essentiam est, aut spectat ad intemperiem, aut ad formationem partium organicarum, aut ad magnitudinem, aut ad numerum, aut ad situm, aut ad vnitatem. Eodem modo de morbo

dicere possemus. Horum (& si non omnium) curandi rationem,& legem breuiter,vt consueuimus, tradere debemus. Principio ordiemur à morbo,qui ab intemperie oriri videtur. Intemperies autem multiplex est; aut enim simplex est,aut composita: hæc aut cum materiæ, aut sine materiæ concursu. Ab ea primum incipiamus,quæ simplex est,& sine materia. Auctor nobis est Aristoteles , quemadmodum essentia à sibi simili gignitur,ita quoque & euentum gigni. Etenim calor à calore,humiditas ab humiditate,siccitas à siccitate gignitur. Idem de compositis dicēdum est. Et quoniam non sumus nescii,nonnunquam euenire,vt causſa calida refrigeret,frigida vero calefaciat: idcirco hoc in loco maxime adnotandum videtur, omnem causſam ex euentu,ad causſam per se esse transducendā. Quæ autem sint causſæ ex euentu, paulo ante, cum de causſis disseruimus,demonstrauimus. Reducitur autem causſa ex euentu ad causſam per se, cum causſa, quæ per se dicitur, ita natura comparata est, vt refrigeret, ex euentu vero calefaciat,vt est aqua frigida: eamque iudicamus causſam calidam , propterea quod calefacit. Simplicem intemperiem causſæ simplices immutant, quæ quatuor sunt, calida, frigida,humida, & sicca. Ergo si calida est intemperies, causſæ calidæ antecesserint,necesse est. Quæ tot à medicis enumerantur,motus,putredo,obstructio,vicinia caloris,alimentum calidum. Frigidæ vero,propinquitas frigidorū ciborum & potuum quantitas, & qualitas, stipatio, & rarefactio: his accedit ocium & quies. Siccæ vero,curę,vigiliæ immodicæ, aër siccus,aquæ nitri,sulphuris,aluminis,bituminis,aut aliquo alio modo medicamētis permixtæ,quæ aut potui dantur, aut exterioribus corporis partibus imponuntur. In hac vero intemperie duo concurrant necesse est: primum vt corpus rarefactum vehementius resoluatur : deinde vt minus nutriatur. Humidæ vero causſæ sunt ciborum humidorum copia,

copia, immodicæ potiones, viuendi ratio delicatior, animi ſecuritas, balneorum ex aquis dulcibus vſus frequens, præſertim poſt aſſumptum cibum, vita otioſa, temperamentum corporis humidius, humectandi facultatem habentia medicamenta. Compoſitæ intemperies ex ſimplicibus facile cognoſcuntur, quas omnes via illa, & ratione inuenire poterimus, quæ à nobis diligenter tradita eſt, cum quo pacto cauſſæ eſſent cognoſcendæ præcipiebamus. Intemperierum, ſiue ſimplicium, ſiue compoſitarum facilis eſt curatio, ſi illud aureum Hippocratis non exciderit, cõtrariorum contraria remedia eſſe. Quod tamen à nonnullis acerrime oppugnatum eſt; quorum rationes, quoniam leues, atque infirmæ ſunt, omittamus. Nos hanc crebro habeamus in ore ſententiam veterum auctoritate comprobatam, à Galeno pulcerrime explanatam, firmiſſimum totius curandi rationis fundamentum. omnia vero curantis conſilia quod Galenus tradit 1111. Method. com. 111. eo ſpectare maxime debent, vt corpus ſimilare alteretur; etenim morbus ipſe ex intemperie ortus eſt, ſigillatim aut tota curandi ratio in victus ratione recte atque ordine inſtituenda, medicamentorũ copia, & eorum optimo vſu vertitur. ſiccitas curatur ex Aëtii lib. 9. com. 36. cum compreſſos meatus laxando, tum ad proximas partes alimentum depulſum ad proprias adtrahendo, & victus ratione humidiori vnumquodque membrum propria humiditate complendo. His ſuccedit intemperies appellata cum materia, quæ aut in loco genita eſt, in quo morbum facit, aut aliunde fluit. Aliunde vero materies fluere poteſt, aut à toto corpore, aut ab aliqua eius parte: Defluxus autem ex 1. De fractur. part. 25. materiæ vnã tantummodo viam affectat, vt à ſuperioribus partibus ad inferiores feratur, quod contingit aut propter vias latas, & canales, per quos tranſire debet talis materia, aut propter ſitum, in quo multæ materiæ fieri poteſt coitio.

Coitus autem ex 1. De fractur. part. 35. prompte fieri potest omnibus in partibus, quæ affectis locis vicinæ sunt, sed magis extremis membrorum particulis, quod paruæ & carne nudatæ cum sint, defluentem à locis affectis materiam facile suscipiunt. Præterea vero materies, aut paulatim fluit, aut subito tota simul concurrit, aut tracta est. Trahitur autem aut dolore, aut calore, aut facultate expultrice valida, quæ quoniam sui copia illam male habebat, extrudit: aut quoniam corrupta, illam vexabat, aut vtraque ratione: quod & Hippocrates scriptum reliquit, Loca alterius loci humores noxios assumunt, aut ob dolorem, aut ob grauitatem, aut ob aliud quippiam. Tot igitur modis aliunde confluere materiæ impetus potest. Quæ aut in vnam tantummodo corporis particulam erumpit, aut in plures, aut totum occupat corpus. Ergo nobis proponitur affectus præter naturam, qui quoniam curari debet, per contraria medicamenta adhibita, curationem exequimur. Contraria enim curantur cõtrariis. Qui affectus aut simplex est aut multiplex: Simplicem appello affectum, in quo vnius tantummodo generis morbus reperitur: multiplicem vero, in quo multi ac varii. Iam vero siue simplex sit affectus, siue multiplex, ad illius curationem omnibus rebus instructus venire debet medicus, qui aut victus ratione prodesse tentat, aut medicamentis. Victus ratio constat ex sex rebus non naturalibus appellatis, cibis, & potionibus, motu, & quiete, somno & vigilia, excretis, & retentis, aëre, animi passionibus. In cibis & potionibus aut assumendis, aut proponendis duo in primis animaduertenda sunt: alterum cibi ipsius, & potionis natura, alterum vero vires ægrotantis. Cum enim idem sit, quod nutrimentum postulet, & idem quod concoquat, & digerat: idcirco ad vires maxime respiciendum est. In ratione autem victus præscribenda, illud in primis medico perpendendum est, vtrum ægrotus cibo sit subueniendus

Sexto De morb. vul. com. 3. part. 41.

necne.

necne. Deinde, an quodlibet cibi genus sit proponendum, vbi de ciborum potestate commode poterit differere. Tertio, an semel tantum in die dandum sit alimentum, an vero sępius. Quarto in loco de quantitate dicendum est, quam facile consequetur, si ad indicationes respiciat. Quinto, occasio demonstranda est, qua omissa, non est aliquando locus cibo. Sexto, vtendi ordinē debet subiicere: & quid primo, quid secundo capere debeat ęgrotus, illis ostendere, quorum hęc cura est. Etenim, qui de alimentis agit, (quod traditur in libro De bon. & vi succ. cap. 10.) illud semper ante oculos habere debet, primum vt cibus optime concoquatur, deinde vt in totū corpus diuidatur, postremo vt ad vnamquamq; corporis nostri particulam nutriendam aptus sit, ac idoneus. at hæc in vniuersum probantur. at in parte ex IX. Aëtii, cap. xxx. illud protinus perpendi solet, ne cibi reliquiæ, id est, alui sordes sicciores euadant, neque ventriculo cibi, qui concoqui debent, defatigationem, laboremque afferant, ne venter ciborum qualitatibus lædatur, ægreque eos concoquat, ac conficiat; neque nimiam humiditatem afferant; ne denique per eos humores praui non modo in ventriculo, verum ne in toto quidem corpore gignantur ac coaceruentur. Postremo ad parandi modum transire poterit. Hippoc. 11. De vict. rat. part. 36. perpendendas esse tradit vires, morbi rationem, hominis temperamentum & ægrotantis. In victus ratione seruanda consuetudo, quibus ex VII. Method. cap. VI. addere facile potes, & naturarum proprietates, quę & ad duo redigi commode possunt, ad vires scilicet; & morbi, vel robur, vel vigorem; ex virium natura ciborum quantitatem inuenimus. huic adiungitur, & consuetudo, & naturarum proprietas, & regio, & tempus VII. Meth. cap. VI. & sumendi ordinē à corporis temperamento. qualitatem, & parādi rationem 11. Meth. cap. 5. à morbi ratione tempus præbendi quoties dan-

dus sit consuetudo ostendet. Inuenta victus ratione, qua debet curari intemperies cum materia, animaduertendus scopus, ac primum medici consilium. Consilium autem ipsius esse debet, vt materiam extrahat. Verum statim tritum iam ac vulgatum præceptum occurrit, vt antequam materiam morbum facientem detrahamus, vniuerso corpori prospiciamus. Principio enim vniuersa, deinde singula quæque sunt adhibenda. Purgato ex arte toto corpore, considerandum est, an materia morbum excitet, aut excitarit, aut sit ipsum excitatura. Si factura sit morbum, & nondum fecerit, satis superque erit prohibere, ne noua producatur materia, quod ad eam partem medicæ artis spectare, nemo dubitat, quam προφυλακτικὴν appellant. Hoc autem præstare facile poterit medicus, causas reiiciendo, quæ morbum afferebant, de quibus iam pridem disputauimus. Si excitauit, & excitat morbum, aut materia adhuc fluit, aut non: si non amplius fluit, locum tantummodo, in quo materiæ coitio facta est, respicere debemus, ad quem quo pacto curationis omne consilium dirigere oportebit, paulo post dicemus. Si fluit, primo prohibere debemus ne noua gignatur materia, quod ad conseruationem pertinet. Hoc autem faciemus, si causas morbos afferentes labefactauerimus. Deinceps ne quæ iam genita est, ad locum affectum concurrat, curandum. Concurrere autem potest aut ab exterioribus corporis partibus, aut ab iis, quæ superpositæ sunt. Quæ à superioribus partibus confluit materia ad locum, aut propter latitudinem meatuum, aut propter copiam materiæ in inferiores partes transmittitur. Copia vero materiei aut à facultate expultrice validiori excernitur, aut ꝓpterea quod partem maxime grauat, aut propterea quod corrupta vehementer eam lædit: quemadmodum antea admonuimus. Sed vel hoc, vel illo modo fiat, medicus debet quantum potest eniti, vt si materia vehementius profluat,

profluat, aut ad contraria reuellatur, repellatur, aut deriuetur, aut attrahatur, aut extrahatur. Reuellemus vero aut ad eam partem, quæ cum altera innectitur, aut ad eam, quæ materiam transmittit. Verum hac in re illud maxime animaduertendum est, vt aut in eum, in quo prius sita erat, redeat locum, aut vt alium mutet. Quod si locus, in quo prius erat materia collocata, nobilior sit, nullo modo reuellendum est. De reuulsione Hippocrates multis in locis: Materia, quæ facile detrahitur, reuellenda. Et alibi, Reuulsio ex superioribus partibus ad inferiora, ex inferioribus ad superiora. Repellent autem adstringentia medicamenta, quibus nonnullis in morbis tamdiu vti debemus, quamdiu cognouerimus, aliquid crassius superesse. Etenim cum ea medicamenta tenuiorem humoris partem subtrahant, & crassiorem dissipare non possint, necesse est ad digerentia aliquando transire, vt ea, quæ reliqua est, facilius extrahatur materia. Deriuabimus vero, si in propinquo loco succedat: quod & constituit Hippocrates: Deriuandum inquit. Et in libro De humoribus, deriuatio in caput, in latera, quo maxime materia vergit. Attrahemus aut frictionibus, aut iis quæ dolorem excitant. Materiam extrahemus aut obscure, si partes quasdam deligabimus, & illis frictionem adhibemus, aut aperte. Aperte & ex arte materiam euocabimus, si ad tria potissimum respexerimus, à quibus indicationes sumi antea dicebamus. Vires, locus, & materia. Hippocrates enim quæ euocantur, quo maxime natura vergit per loca, ex quibus illam extrahere vtile est, dissipari iubet. Etenim si vires imbecilles fuerint, non est ἀθρόως extrahenda, vel medicamentis, vel sectione venæ materia, sed paulatim, quæ vitio non caret euocanda, deinceps viribus ipsis subueniendum, quas omnino optimus artifex tueri debet. Vocant medici huiusce modi curationis rationem, propterea quod sensim fiat, Epicrasim,

Sexto De morb. vul. com. 2. part. 8. Primo De hum. 13.

Sexto De morb. vul. com 2. part. 7. Primo De hum. p. 13.

Primo Aphor. 21.

non proprie curationem. Et quoniam in purgationis, & venæ sectionis mentionem in præsentia incidimus, non alienum esse arbitramur, de vtraq; aliquantulum disputare,& quæ probatissimi auctores,Hippocrates & Galenus,& alii nonnulli,de ambabus optime senserint,diligenter,breuiterq; quemadmodum antea fecimus,indicare. Qui vero de horum auxiliorum genere recte,atq; ordine disputare desiderat, is illud protinus debet intelligere, qui morbi materiæ detractione egent,& qui non. Deinde obseruationes sunt notandæ, ad quas dirigi consilium curantis debet. Tertio loco, qui sanguinis missione: etenim multi reperiũtur morbi,qui quidem euacuationem postulant: verum non continuo missionem sanguinis. Quarto loco,qui illam possint sustinere. Quinto,consideranda occasio,à qua non solum in hoc auxilii genere nõ sunt vnquam deiiciendi oculi,verum etiam in cæteris aliis. Sexto loco, quæ venæ sunt incidendæ perpendendum. Postremo animaduertendum, vtrum diuidendum sit auxilium: multi enim sunt,qui magnam sanguinis detractionem qualem morbus ipse requirere videtur,nõ sustineant: sed melius ipsis succurritur, si non semel totus effundatur. Cum autem plenitudo duobus modis intelligatur,altero quo ad vires, altero κατὰ τὸ ἔγχυμα,vtraq; euacuationem postulat, siue ea in homine sano conspiciatur, siue in ægrotante,siue in toto corpore,siue in quibusdam tantummodo partibus. Eadem enim solent aliquando obseruari plenitudinis indicia in partibus, velut capite,iecore,liene,ventriculo,septo transuerso, quæ in toto corpore animaduertuntur,modo sensum grauitatis, modo vlceris excitare. In ore etiã ventriculi nonnunquam grauitatem, nonnunquam absurdum aliquem sensum ægroti percipiunt. Dolores quoque qui vel ab humorum copia excitantur, vel à flatu, vel ab acriori humore euacuationem indicant. Ergo in omnibus hisce morbis materia detrahenda est: verum

non

non protinus vena incidenda. Ea vero quæ in venis incidendis sunt obseruanda, quinq; esse tradidit Hippocrates: Vires, morbi magnitudo, ætas, ægrotantis temperamentum, eiusdem consuetudo. Verum senex vel multitudine indicationum obrutus, vel potius quod artem absoluere in animo non haberet, omnia persecutus non est, quę diserte admodum postea posuit noster huiusce artis perfector Galenus. Illæ vero sunt decem. Prima est quãtitas & qualitas plenitudinis: quantitatem autem cognoscimus ex propriorum indiciorũ magnitudine: qualitatem vero ex colore, vel ex iis quę coloribus sunt coniuncta. Secunda est virium robur: tertia est totius corporis habitudo: quarta est anni tempus: quinta est regio: sexta est victus ratio præcedens: septima, consuetudo: octaua exercitiorum vsus: nona excretiones consuetæ; decima est, si ægrotus tenuior est, aut plenior. Vndecimam ex Hippocrate adiungo, morbi magnitudinem. vbi igitur adesse viderimus plenitudinis signa, & vires ferre poterint, in contentionis affectu audacter venam incidito: & eo magis, si inflammationis suspicionem malum nobis iniiceret. Illud autem perpetuum non est, quod vbi plenitudo adsit, illico sanguis mittendus sit: accidit enim aliquando vt crudior humor intus concluſus sit: qua in re perpendendum, quid vires sustinere queant, & quantum humoris sit coaceruatum. Verum non hoc solum, sed etiam tempus in quo mittatur sanguis. Etenim si hybernum fuerit, aut regio frigida, aut corporis temperamentum frigidius, sanguinis detractionem pati non poterit. Eadem sanguinis detractione optime succurritur ineunte vere iis, qui sputo sanguinis edito, & malo finito, ea thoracis, & pulmonis constitutione præditi sunt, vt si in eam partem plusculum concurrerit humoris, protinus aut venarum ora rupta, aut reserata sanguinem fundãt. Eadem ratio est eorũ, qui in comitialem morbum, aut apoplexiam solent statis quibus-

Quarto De victus rat. part. 19. & 25.

dam temporibus incidere: & eorum, quos quotannis aut peripneumonia, aut pleuritis, aut angina solet inuadere. Idem obseruandum est, si hæmorrhoides non fluant, aut importune curatæ sint. Hoc remedio si vsi fuissent illi medici, quibus Alcippus traditus fuerat, neque læsa ei vnquam mens fuisset, neque febre laborasset acuta. Quare illud generatim intelligendum est, quod quos singulo quoque anno, vel æstate, vel ineunte vere, morbi ex plenitudine occupant, illud idem experiri remedium vetus non est. Sanguinis quoque detractionem requirunt inflammationes, erysipelata, & huiuscemodi morbi, qui ex materiæ coucursu gignuntur. Oculorum præterea morbos, podagram, arthreticam, melancholicã affectionem, aut medicamentis, aut venæ sectione curabis, prout ratio morbi postulabit. Porro venæ sectio non solum cum vtriusque generis plenitudo sit, sed etiam cum nulla adsit initio inflammationis, quæ ex plaga, dolore, & partium imbecillitate excitatur, summopere prodest: & si magnus morbus in metu sit, sanguis quoque detrahendus, quamuis plenitudinis signa nulla obseruauerimus: habita tantum ratione ætatis, tempestatis, & virium. Totam autem missionis sanguinis rationem in tres aliquando retulerunt indicationes: morbi magnitudinem, vires, & ætatem. Pueris vero & senibus mitti non debere, nouum non est. Vidi tamen bonos medicos homini, qui sexagintaquinque annos excesserat, sanguis in magno morbo vt emitteretur curasse, ægrotumque liberasse. Pueris vero post septennium in magnis morbis, & haud viribus imbecillibus mittitur quoque sanguis. Cognoui ego multos haud postremos medicos, qui & ante septennium in morbis periculosis pueris venam inciderunt: quæ res tantum abest vt nocuerit, vt etiam valde profuerit. Mulieribus vero vtero gerentibus minor copia sanguinis mitti debet, quam quantum & vires, & morbi magnitudo postulat.

Quarto De morb. vul. com. 5. part. 41

postulat. Quod si quis pro ratione morbi sanguinem profluere siuerit, & fœtum & mulierem iugulabit. Quibus sanguinis detractione opus est, nisi si aut quædam ciborum corruptio, aut eorundem tarda concoctio adsit, aut quod cibi in ventriculo contineantur, incidenda vena est. Neque vero in hac re efficienda, dies nobis aut expectandi, aut numerandi sunt: verum hoc auxilium obseruationibus iam dictis adhibitis nunquam non tutum ab omnibus est habitum. Si febris tamen vehemens vrgeat, expectãda eius remissio est, siue noctu, siue interdiu futura sit. In doloribus quoq; vehementius infestantibus, aut in inflammationibus eorum remissionem quoque obseruare oportet. Quod si nihil horum obstiterit, mane cum ægrotus experrectus est, & horam vigilauerit, tunc sectionis venæ tempus opportunissimum est. Si venam auersionis caussa incidas, e directo partium, ad quas sanguinis copia confluet, mittendus est. Contra si quis fecerit, nihil iuuabit. Affecto liene, vena illa incidenda est, quæ inter medium & annularem digitum sinistræ manus continetur. Pleuriticis missio sanguinis è directo laborantis lateris adhibenda est. In oculorum morbis, angina humeralis vocata inciditur. At septo transuerso, iecore, liene, ventriculo laborante inferior. Quod si hę obscuriores fuerint, ad aliquam ex mediis decurrendum est. Quibus autem vires infirmæ sunt, illis si tantum sanguinis detrahas, quantum postulabit morbus, liquido ægrotantes præcipitabis: idcirco iterum, ac tertio mittendus est. Sunt etiã morbi, in quibus ducendus est sanguis, quousq; animus deficiat ægroto. quos nihil opus est hîc discriminatim ponere: cum hinc capita tantũ rerũ sint captanda, nihil præterea. Humores vero in purgatione euocamus, aut præseruationis, aut euacuationis ratione. Quibus vero medicamentum cõuenit, hos vere, aut autumno purgare oportet. quos ergo aut podagra, aut articularis

morbus, aut ſcabies, aut lepra, aut elephantiaſis, aut cancer, aut impetigines, aut melancholia inuaſerunt, his medicamentum potui dare conuenit. Sanis vero mirifice nocet: à medicamentis enim imbecilliores redduntur, colliquantur, conuelluntur. Tres dicuntur eſſe purgationis gradus conſtituti: in primum venit ea, quę optima dicitur purgatio, quæ naturæ opera, virtute felicitateque fit. id autem in abſolutis fidis, tutis, manifeſtis, bonisque iudiciis euenit. Secundum aſcendit illa, in qua naturam ſociam, atque adiutricem medicus habet. hoc in perfectis, infidisque iudiciis contingit. In tertium peruenit, quæ in imbecillitate naturæ: idem tentat medicus. Infirmior vero à viribus eſſe ſolet in periculoſis iudiciis, obſcuris, ac iis, quæ ſine ſignis exercẽtur. In ratione aut purgationis perſcribenda illud imprimis medico animaduertẽdum eſt, vtrum ægrotus purgandus ſit; deinde, an quodlibet medicamenti genus ſit dandum: tertio an ſemel tantum, an ſæpius: quarto loco de quantitate diſputandum eſt. quinto de occaſione, poſtremo ad parandi modum tranſire poterit. Deiectiones autem non multitudine æſtimandæ ſunt: ſed conſiderandum, ſi talia excernantur, qualia oportet, & ægroti facile ſuſtineant. Ægroti vero facile ferre ſolent, ſi deiectiones neque ſanguinem admiſtum habeant, neque ſpumoſæ ſint, neque animæ defectum afferant, neque ægroto vllam exhibeant moleſtiam. Eadem vero nos reſpicere debere in purgationibus, atque in ſanguinis detractione omnibus manifeſtum eſſe arbitror. Quæ validiores vires poſtulant, atque ipſa ſanguinis miſſio, quoniam medicamenta vires frangunt, corpora interturbant, atque tandem veneni qualitate prædita ſunt. Quocirca ſi vires haud erunt validiores, per Epicraſim tentanda erit euacuatio. quam ex x. Method. cap. 1. non ſcientia comprehendimus, ſed coniectura aſſequi ſolemus Ea vero quæ antea nobis non ſemel totum effundendum eſſe

Primo Aphor. 23.

Quarto De morb. vul. com 4. part. 5.

esse sanguinem ostendebant, eadem nunc in deiectionibus medicamentis petendis respicienda sunt. Præbendi medicamentum tempus est, cùm venter ieiunus est. In iis morbis quos febris consequitur, remissio expectanda est. Tunc autem detrahendi maximè sunt humores in acutis morbis, cùm diffunduntur, aut cùm turgent: quod optimè dispicies, cùm videbis humores modò hunc, modò illum locum in corpore occupare. Tunc verò vno in loco consistere eos non posse cognosces, cùm modò in hac, modò in illa corporis parte dolores excitabuntur. Ventres purgare oportet in morbis, cùm matura fuerint. Per deiectionem quidem illos excernere debemus, cùm primùm humores constitisse in inferiori ventre nouerimus. Quod intelligemus, si neque anxii erunt ægroti, si capite minimè grauati, si febris calor infractus, aut post accessiones cessarit. Ad vomitum verò confugiendum in accessionibus, si anxii erunt ægroti, si caput dolebit, si vehementius vexabuntur. Medicamenta non præbebimus in principiis morborum, quoniam natura sua sponte humores non expellit, quod VII. De m. v. cap. 2. p. 21. notauimus, nisi si vrina aut nebulosa, aut crassa feratur, aut humores concocti fuerint. Quid si in morborum initiis huiusmodi vrina descendat? omitto initia, si in incremento, si in statu talis destillet, an leuioribus nostris medicamentis deiectiones ac arte peti posse censebis? Quòd si tenuis descendat, & natura nondum coctionem molita sit, collyrium in aluo indemus, cùm grauitatis sensus in lumbis excitabitur, aut cùm spiritum malè olentem reddet aluus. Hæc ego breuiter ex Hippocrate, quæ alii aut assequi non potuerunt, aut certè non scripserunt. Ad locum autem spectabimus, si quo loco materiæ coitus factus est, & per quem euocari potest, considerauerimus: quam rem tenebimus, si positum partium & figuram perpenderimus, de quibus egimus, cùm de indicationi-

Primo Aphor. 22.

Quinto De morb. vulg. com. 2. p. 24.

Quarto De victus rat. part 45.

Quarto De victus rat. part. 37.

bus differuimus. Materia verò aut facilè potest excerni, aut non, aut concocta est, aut non, aut emitti commodius potest per ventrem, vesicam, asperam arteriam, gulam, quàm alia via. Hactenus de materia, quæ iam genita est, & in locum confluxit. Nunc consequens est vt de illa agamus, quæ locum occupauit, & in membro inhæret. Hæc autem aut euocabitur, aut auertetur, aut repelletur. Euocabitur autem aut sudore, aut vrina, aut vomitu, aut transpiratione, aut per ventrem, aut denique (vt vno verbo concludam) via tutiori aliqua expelletur. Quæ via, & meatus ex suis indicationibus à nobis suo loco traditis facilè cognosci possunt. Potest etiam materia reprimi astringentibus & refrigerantibus medicamentis, quibus quædam eius fit auersio, vel potius extractio. Auertemus autem aut deriuando, aut reuellendo. (Auersio enim genus est reuulsionis & deriuationis) sed reuulsio fit ex locis oppositis. Deriuatio fit ex vicinis, quod ab Hippoc. lib. De humorib. traditum est. Reuulsio materiæ, quæ vno in loco concluſa est, minimè conuenit, sed deriuatio: illa vti decet, quando humor vehementius fertur. Repellentia verò vsurpabimus in morborum principiis: qua in re illud maximè animaduertendum, quòd materia illa, quæ erumpit in partem aliquam, si nec copia grauat, nec qualitate lædit, tunc auertere, reprimeréq; rectè possumus adstrictis, refrigeratisq; illis particulis, quæ ante locum affectum positæ sunt. Etenim συνεχῶς τὰ μὲν, τὰ δὲ μὴ iubebat Hippocrates. Sin verò vitiosus succus abundat, vel in toto corpore, vel in aliqua eius particula, materiam corrigere, & mollire debemus. Nam aliquando humorum concoctiones expectandę sunt, quod & admonuit Hippocrates. Sin id humoris culpa accidere non poterit, medicamentis illam extrahemus. Antea de materia quæ iam genita est, & locum occupauit verba fecimus: Nunc quo pacto curationis consilium ad locum dirigatur, breuiter aperiendum est.

Primo De hum. p. 13.

Sexto De morb. vul. com. 2. p. 1.

Primo De hum. par. 20.

est. Locus autem, ex quo materia profluit, aut dignitate cæteris antecellit, aut non. Si ea in qua materia fertur, neque potior, neque nobilior sit particula, ad eam quæ mittit, reuellenda est. Sin inter eas habetur, quæ primum dignitatis locum teneant, ambabus simul cõsulendum, ei semper particulæ succurrendo, quæ materiæ transitum præbuit. Hoc autem præstare vnusquisque facilè poterit duobus modis; & si omnes aditus, qui à natura sunt, arte aperiantur, vt materia possit commodiùs dissipari, quemadmodum docuit Hippocrates, cùm εὔπορα ad medicam artem maximè pertinere tradidit, & si omnes corporis partes ad bonam habitudinem perducet, maximèq; si ad locum affectum respiciat. Respiciet autem, si prohibebit, ne locus attrahat, prohibebimus, & dolori occurrendo, si is vehementius premat, & calorem partis affectæ refrigerando, & oppositam partem calefaciendo. Refrigerabimus partem affectam, aut per se remediis frigidis, cibo, & potu, aëre, & reliquis eiusmodi: aut ex euentu, si ægrotum adhortabimur, vt se cõtineat à motu, à sermone, à tussi, prout morbi ratio postulare, & tempus pati posse videbitur. Ne locus recipiat, curabimus, si intelligemus, quot modis materia concurrere possit ad locũ, & quib. ex partibus: quæ res à nobis antea tradita est, & testimonio Hippocratis comprobata: quare ad locũ illũ lectorẽ reiicio. Verùm ne eã, quæ cõfluit, locus statim recipiat, duplici ratione prohibebimus. Altera est omnib. fluxionibus cõmunis, quippe quæ adstringentib. materiã reprimit, quod aptissimè fieri potest cibo, & potu, & medicamentis, quæ aut deuorantur, aut extrinsecus imponuntur. Altera, quæ & ipsa omnibus partib. communis est: quæ ad bonã perducuntur habitudinẽ, ex ipsius nimirum loci temperamenti mediocritate. Principiò igitur ad totũ corpus respiciẽdum & perpendẽdum, an plethoricũ, an cacochymum

Sexto De morb. vul. cõ. 1. par. 1.

sit, & num in ventriculo maxima humorum copia coaceruata sit. Tertiam ego addo rationem, quæ ex euentu prohibere potest, ne locus recipiat: id adeò efficiemus, si illa pars, in qua humor decumbit, & iniuriæ opportunior est, cùm sit demissior, vt sublimior collocetur, curabimus. Qua in re Hippocratem secutus sum, qui partem vulneratam ac fractam ita ægrotum vult collocare, vt nouæ materiæ locus minimè fiat capax, sed potius materiæ cursus auertatur. Etenim si fractura, aut vlcus quoddam in pede ortum sit, & ex aliis partibus humores in ipso decumbat, & hanc ob causam pes vehementius intumescat, quis est qui nesciat, ipsum sublimem statui oportere? cõmodissimum est enim vt loci affecti materia non modo ad partes, quæ cum illis coniunctæ sunt, depellatur, verum & in longissimas corporis partes vt secederet, curandum maximè esset ex Hippoc. 11. De fracturis p. 11 v. & vt summã manum cubiti gibbo inferius non habeat, cui fractum est, iubet Hippoc. ne in summam manum sanguis erumpat sed supprimatur 1. De fracturis p. 22. Illud restat vltimum quod à medico præstandum est, ne locus præbeat exitum. Id autem curabimus, si duo illa consequemur, vt aut locum obstruamus, aut adstringamus. Præbet autem exitum aut vena rupta, aut vulnerata: quam glutinare, aut aliquo alio modo obstruere necesse est, si profluuium sanguinis coercere velimus. Claudemus aut linteis, aut emplastris, aut digito ipso. Adstringemus autem aut medicamentis, quæ id efficere poterunt, aut cibo, aut potu. Medicamenta autem aut exterioribus partibus imponentur, aut deuorabuntur. Hactenus egimus de methodo medendi inflammationes, scirrhos, erysipelata, tumores omnes, & humorum profluuia. Atq; ea ad omnem morbi genus optimè conuenire arbitramur. eadem ad singulos quosque morbos transferenda sunt; illorum enim curatio tandem aliquando tradenda est, ad

Lib. De vlc.

quam

quam vnam omnes meas cognitiones semper retuli. vt igitur prima extremis respondeãt, quoniã morbi omnes, aut similares sunt aut instrumentales, aut communes, primo quoque tempore de similaribus in nostris egimus Anthologiis, quæ quoniam aut simplices sunt, in quibus vna tantummodo qualitas elucet, aut duæ implicitè; ordo sanè postulare videbatur, vt antea de simplicibus, postea de iunctis ageremus. Quarum curationem in 1. lib. concluſimus, 11. De inæquali intemperie inscripsimus; & quoniam in solis, coniunctisque qualitatibus materiæ aliquando concursus cognoscitur, de iis morbis à nobis dicendum erat, quos aut sanguis, pituita, aut melancholia, aut icores, aut vapores, aut denique acriores humores afferre possunt. 111. liber igitur De Bilis morbis, 1v. De Melancholia, v. De pituitæ, v1. De morbis, quos vapores procreant, v11. De morbis, qui ab acrioribus humoribus concitantur agit, 1 1x. De instrumentalibus pertractabit, De obseruationibus scilicet, 1x. De inflationibus, & scirrhis, x. De morbis in situ, x 1. De morbis in numero, & quoniam morbi communes ad continuitatis dissolutionem referuntur, in x 1 1. De distentionibus, in x 1 1 1. De vlceribus, in x 1 v. De sanguis in pfluuiis, in x v. De morbis, qui alia parte excernente concitantur peragemus, qui à Galeno aliquando conscriptus est. In vnaquaque vero ægritudine admonemus medicum, vt ad ægrotum accersitus illico an mulier an vir in lecto iaceat, animaduertat; deinde eius temperamentum, naturam corporis, ac vires consideret; morbi signa, & cauſſas inueſtiget, indicationes respiciat. His peruisis, de ægroto cognoscat, quonam potissimum tempore cibum sumpserit; & perpendat, an clyster, an balanus conueniat. Attendendum præterea an corporis meatus patefacti sint. morbus cognoscendus an humidior, an siccior sit, quibus perspectis ad victus rationem instituendam pro-

perare debemus non illam veterem, ac putidam quæ non nisi sex res non naturales appellatas inculcat, sed nouam quandam quæ singulis morborum generibus apprimè conueniet. ea vero eruenda est vel ex Hippoc. vel ex Galeni, vel ex Platonis, vel ex Aristotelis voluminibus. In ea autem quando vomitus causa aliquid dandum sit præcipere debemus à frictionibus cogitationes nostræ abducendæ non sunt. Posthac attentando perspicere debemus an magnus morbus, an paruus sit. periclitamur vero leniora remedia. in eorum sententiam ire non possum, qui hanc viam, & rationem curandi e re medica sustulerunt, neque enim quod Hippoc. in dolore lateris tantummodo leniora quædam remedia expertus fuerit, continuò cæteros morbos attentare minus necesse est. Postremò curationem ita aggredi debemus vt primum me maxime approbante, de sanguinis detractione cogites. Sanguis autem effunditur, aut præcisa vena, aut hirudinibus, aut cum curbitulis affixis, quæ protinus incidere debemus: in quo auxilio animaduertendus est & locus, & modus & tempus; quod & de frictionibus dictum puta; deinde an medicamentum conueniat, an aptiores humores facere debeas, tecum ipse perpendes. Parabis autem syrupis appellatis, iusculis, aut apozematibus, in quibus quantitas, modus, forma, quando & quomodo præbenda sint videndum. Humores autem extrudes aut lenioribus aut asperioribus medicamentis: & quoniam dum humores ad medicamenta idoneos reddimus, ad clysteres aliquando decurrendum est, accuratius cogitandum an leniores, an asperiores præscribendi sint. in quibus & materia, & quantitas, & tempus, & modus obseruandus. Deinde ad olea vnguenta cataplasmata, fotus, sacculos, Antidota, tabulas, epithemata, & si qua alia sunt, deueniendum; postremo ad cerota appellata omnes

nostras

noſtras cogitationes adducimus, quæ vel in toto corpore vel in parte tantummodo ægritudine affecta imprimi ſolent. Hæc ego indicare vobis maxime volui, vt quam potiſſimum vel ab incunabulis in arte medica rationem inierim, vobis oſtenderem quæ cum ratione inuenta; & authoritate iampridem comprobata ſit, nihil mirum ſi vbi fundata hæc, & conſtituta ſit, haud difficile mihi fuerit curationem rectè atque ordine collocare quæ vel propediem D.V.M. volente & adiuuante in lucem edetur. Nunc de febrium curationis ratione differendum eſt, in qua tradenda eundem ordinem ſeruabimus, quem antea in cæteris rebus tenendum decreuimus. Febris igitur putrida curanda eſt (nam de aliis febrium generibus nunc non agemus, propterea quòd arbitramur harum ratione, & lege optimè deſcripta, facil. & Ephimeram, & Ethicam, & quamcunque aliam, ſub eandem coniicere nos poſſe.) Febrem autem omnem putridam ex putredine ortum ducere manifeſtum eſt. Putredo autem gigni non poteſt, niſi tranſpiratio prohibeatur. Prohibita tranſpiratio obſtructionem creat. Hanc verò excitat humorum copia, craſſities, & lentities. Hæc diligenter ſunt perpendenda, propterea quòd his optimè cognitis vnuſquiſque facilè perſpiciet, quodnam primùm & magis, quodnam minus, & ſecundo loco, quodnam adhuc tertio, atque deinceps, præſidium ſit vſurpandum. Diſcutienda ergo febris eſt, quæ & ipſa morbi quædam ſpecies eſt. Ergo contrariis maximè ſubmouenda eſt. Calori autem opponitur refrigeratio, putredini excretio, refrigeratio, ventilatio, & ſemiputridorum concoctio: retentioni tranſpirabilium eorumdem excretio ex altera parte reſpondet. Obſtructioni recluſio, copiæ humorum paucitas, craſſitiei tenuitas, glutinoſitati vero friabilitas. Veruntamen eadem via,

& ratione harum febrium curatio tradenda est, quæ superiora quoque tradidimus. Ergo disiungendæ sunt morbi causæ, quibus distributis, ac separatis facilè deinceps quo pacto causæ sint cognoscendæ, & morborum differentias docere poterimus. Morbos igitur constituamus, febrem & putredinem. Cognito morbo, ordo antea à nobis propositus postulare videtur, vt de differentiis morbi disseramus. Febrium autem eædem sunt differentiæ, ac aliorum morborum. Magnitudo febrium obstructionis magnitudinem ostendit; nam qui ex maiori obstructione febrem habent, maior febris consequatur, necesse est; qui minorem, minor: obstructionem autem subesse facile demonstrabit, quod euacuatio haud satis magna consequuta sit; & quod simile sibi, & congruens febris remissio diutius perdurarit, quod testatur Galen. 8. Meth. cap. 4. Putredinis verò quoniam aliæ, atque aliæ, eas connumerare decreuimus. Putredo vel intra vasa vel extra continetur. Si intra vasa, continuam accendit febrem: sin extra vasa, intermittentem. Neque intermittentium, neque continuarum febrium genera, & signa omnia enumeramus, ne cuncta Galeni volumina (dum methodum proponimus) compilare velle videamur. Præterea febris vel inflammationem alicuius partis mouet, vel non. Etenim si in aliquibus partibus erit inflammatio (veluti in pulmone, iecore, ventriculo) maligna febris vocabitur. Sin in aliis, non item. Postremo vel causa putredinis adest, vel non, quod notauit Galen. 11. Method. cap. VII. Traditis differentiis morborum, nunc de causis pauca quædam dicamus, necesse est. Causæ verò sunt, obstructio, prohibita transpiratio, copia, crassities, humorum lentities. Hæ verò causæ eadem ratione cognosci possunt, qua & cęteræ, quæ antea à nobis traditæ sunt, adiunctis & iis, quæ ducere nos possunt in cognitionem harum causarum, vt est ætas, consuetudo, temperamentum corporis,

poris, victus ratio, & cætera, quæ à nobis antea diligenter fuerunt enumerata. De differentiis harum causarum nihil est etiam quòd agamus, propterea quòd eadem methodo superius à nobis tradita facilè poterimus differentias cognoscere. Nunc de febrium curatione est agendum. In omnibus curandis morbis semper medico propositus esse debet agendorum ordo. Ordinem autem cognoscemus, si tria hæc considerauerimus. Primum causam eius, quod paulò pòst futurum est, vt putridorum concoctio, causa erit, vt totius corporis refrigeratio consequatur, & febris tollatur. Secundum est eius, quod rationem obtinet, sine qua non. Etenim putredinem remouere non possumus, nisi prohibita transpiratio tollatur. Tertiũ verò eius, quod maximè vrget. Neque vero medicinæ decreta (quod in com. De fracturis p. 44. animaduersum est) veluti leges fixas, quibus necessario omnes constringimur, perpetuo seruare oportet, præsertim si diligenter cuncta administrata non sint. Ergo qui febrem curare desiderat, is putredinem tollat, necesse est. Hinc fit, vt duo potissimum à medico prouidenda sint; alterum, vt putredinem iam diu factam submoueat: alterum verò, vt eam, quæ adhuc fit, euertat. Putredinem verò gignit impedita transpiratio, quam duobus modis tollere possumus: altero vt eam, quæ iam facta est, protinus curemus: altero verò, vt ei quæ futura est, celeriter occurramus. Qua prohibebimus ne conficiatur, si confluxum humorum partes obstructium aut auertamus, aut euocemus. Id verò præstabimus, si totum corpus curabimus. Quòd autem in methodo resolutiua vltima loco inuentum est, id primum erit in curatione peragendum. Etenim ostensum sæpenumero à Galeno est, si hisce auxiliis vti velimus, quæ obstructione liberant, non detracta prius humorum copia, fore vt non modò nihil proficiamus, sed etiam affectum maiorem reddamus. Subtracta igitur humorum copia, ad curandam obstructionem accedendum. Et quoniam obstructio curari non potest, nisi prohibita transpiratio tollatur, idcirco tota curatio ad sti-

pationem dirigere debemus. Stipatio verò aut obstructis exilibus meatibus, vel conniuentibus, aut toto corpore densiore facto gignitur. Obstruuntur meatus aut ab humorum crassitie, quæ ab interioribus partibus in particulam confluunt, aut lentitie, aut copia. Illud etiam adiunguntnonnulli, posse etiam adnasci quædam, quæ in quadam progerminent particula, quæ obstructionem efficiant, vt caruncula est. Quòd quidem ad obstructionem attinet, rectè: sed ad febrium obstructionem minimè pertinet. Extrinsecus verò erumpunt humores propter iram nonnunquam, quę feruens ἀθρόως extruditillos, qui deinde stipationem facilè possunt efficere. Corpus autem immoderatè densatur, aut ex vehementi refrigeratione, aut ex siccitate, aut ex conniuentia meatuum, quæ gignitur ex horum densatione. At sublatâ stipatione, & remota quæ transpirationem prohibent, ad obstructionem remouendam accedemus. Verùm quoniam, quæ hæc efficere possunt, calidiori facultate prædita sunt, verendum maximè est, ne hisce remediis maiorem febrem reddamus. Itaque ad ea, quæ absque vehementi calore, ægrotos obstructione liberare possint, decurrendum. Quæ vbi detersa, desectáque est, aut per ventrem, aut vrina, aut sudore humores emittere oportet. Quod verò reliquum est moderatis motibus, & refrigerante, & humidiore victu ad bonam habitudinem perducemus. Quòd si quid remanserit, quod corruptum fuerit, detrahemus: quòd facilè, animaduersa prius qualitate, vel humoris specie, efficere poterimus: si perpenderimus, quò maximè natura vergat, vrinane, ac ventris proluuie, vomitu, sudore, & postremò sanguinis profluuio, id quod vel grauat, vel aliquo alio modo naturam male habet, tentet discutere. Hæc pauca de febrium curandi ratione dicta sint. Nunc quoniam sæpissimè euenire consueuit in morbis, vt sanguis venæ coitu resoluto effundatur, idcirco non malè me meam operam posuisse existimabo, si hanc etiam methodum literis persequar. Prorumpit autem de vena sanguis, aut patefacto ore vasorum, aut

tunica

tunica eorum præcisa, aut transcolatus, & sudoris modo transmissus. Tunica verò vasorum (& cùm dico vasa, intelligi velim venas, & arterias) proscindi potest, aut vulnere vt telo, quod eas facilè possit adaperire, aut contusione, re graui scilicet, & dura, aut erosione, aut ruptione. Ruptio autem euenit, aut tensionis vi, aut actionis vehementia, aut succorum copia, aut casu ab alto. Patefiunt autem ora vasorum, aut ab internis causis propter vasorum ipsorum imbecillitatem, aut propter prauum sanguinem, qui ad eorum ora impetu ruat; aut ab externis, quod contingere potest duobus modis; aut efficacioribus medicamentis, aut ab igne. Supprimitur autem sanguis, aut propterea quòd amplius ad locum non confluit, aut quòd compressa capita venarum sunt, & aliquo modo præclusa, aut vtraque de causa. Profluere autem sanguis prohibetur, aut animi defectione, aut vi, aut quòd euocetur, aut quòd ad contrarias reuellatur partes, aut cùm ad vicinas deriuatur, aut refrigeratione partis affectæ, & totius corporis, aut propter partis collocationem, vel figuram. Clauditur autem ipsa diuisio, si vel vasa, quæ antea præscisa fuerant, aut conglutinentur, aut obstruantur. Conglutinantur vel adstrictione, vel refrigeratione, vel deligatura, vel vinculis. Obstruuntur autem, quæ erant adaperta, aut ab externa causa, aut linamentis, medicamentis, emplastris, spongiis, crustis admotis; aut partibus iisdem quæ circa vlcera sunt: quod in quibusdam vulneribus euenire solet: aut ab interna, vt sanguine concreto aliquando vena obturatur, aut medicamentis, quæ refrigerant, & constringunt. Hæc quoque breuiter, vt cætera, idem, qui hactenus certissimum nobis ducem & authorem se præbuit, literis consignauit, cum scriptum reliquit: Sanguinem venarum sistunt hæc, animi defectio, figura aliò spectans, interceptio, linamenti in orbem circumuolutio, appositio, & deligatura. De ratione curandi dolores breuiter agamus. ab iis autem, quæ perspicua sunt, incipiendum. ea dolorem inferunt, quæ confertim vel calefaciunt, vel refrigerant, vel naturæ continuationem immu-

tat; quæ autem continuationem immutant, vel contundunt, vel incidunt, vel erodunt; vbi vero nihil extrinsecus incidat, talem necesse est causam in corpore excitatam esse, quæ nos excruciet. Primum itaque considerandum, qua potissimum vi prædita sint. ergo vel ruptionem, vel contusionem, vel erosionem ponemus. Ruptio ex distentione, contusio ex grauante, erosio ex mordente qualitate consequitur. Distentio aut à copia humorum excitatur, aut à flatu. contusio ab aliquo corpore, vel duro, vel magno, vel graui accidere solet, erosio ex aliqua causa, quæ vim erodendi obtineat. Horum causæ, vel in spiritibus, vel in humoribus, vel in solidis partibus reperiri solent; quicquid enim horum vehementius excalfactum fuerit; vel refrigeratum, continuò dolorem mouet. Quo autem pacto, aut humorum copia, aut flatus, aut erodens aliqua causa, quæ intus in corpore lateat, dignoscenda, ac discernenda sit, ex iis, quæ sæpius tradidimus, intelligere vnusquisque facilè potest. Qui venenum sumpserunt, hisce vti remediis conuenit ex Aëtio lib. IX. cap. XIV. principiò vomitum excitamus, deinde ad ea, quæ obtundunt, decurrimus, postremò ad ea, quæ plane extinguunt, quæ vomitus causa sumuntur, adhibentur illico, sin minus paulo post. quæ vero restinguunt, vel acriora omnino sunt, quam ferre possit natura vel (vt vulgo loquuntur) aromatica. Veruntamen hisce prius, nisi si vel animus deficiat, vel vires fractæ planè videantur, vtendum, quam ad ea, quæ obtundunt, deueniamus. Et hæc satis de medico apparatu, quem summo meo confectum labore, quoniam mihi magno semper fuit adiumento, æqualibus etiam meis maximam aliquando vtilitatem allaturum spero, & opto. Nam Galenus quidem ab Hippoc. præceptis ducto principio, cuius multa ille volumina explicauit, atque ornauit, talis tandem euasit, vt cuncta dein in arte medica per se pulcherrime inuenire, & summa cum laude tractare potuerit. Veruntamen hoc illi viderint, ad quorũ manus hoc peruenerit volumẽ. Nunc Deo optimo maximo volente, & adiuuante ad alia nos confera-

conferamus, quæ maiorem vtilitatem pollicentur: quæ si alacri animo prosequemur, breui longè plurima, & lectione dignissima, quæ iampridem exarata, nondum autem absoluta sunt, maximè vos velim à nobis expectare.

Deo Vni, & Trino sempiterna Laus, & Gloria.

METHODVS OMNIS IN CONSPECTVM ADDVCTA.

Morbo contraria est dispositio secundum naturam, quæ sanitas appellatur. *Hæc autem pag. 77.* { *aut ad intemperiem, aut ad formationem partium organicarum, aut ad magnitudinem, aut ad numerum, aut ad situm, aut ad vnitatem refertur.*

Morbus est contrarius sanitati lædens actiones: *quæ* { *aut animales, aut vitales, aut naturales sunt. pag. 10.* } *Hæc* { *aut auferuntur, aut imminuuntur, aut deprauantur.*

Morbi autem, qui corpus nostrum infestãt, pag. 16. { *aut interiores corporis partes, aut exteriores occupant.* } *Qui* { *aut per se sunt, pag. 11. aut per consensum.*

Qui per consensum sunt, pag. 11. { *aut vestigia altius non imprimunt, aut diutiº nõ subsistũt,* } *Qui per se* { *aut facti sunt, aut fiunt.*

Qui facti sunt { *aut firmi sunt, aut non.* } *aut terminantur causa reiecta, aut subsistunt ea ablata.* } *Qui fiunt,* { *aut consistunt, aut minuuntur.*

Hi autem cognoscuntur, pag. 16. { *aut scientifica notitia, aut coniectura artificiosa.* } *Hæc autem conficiuntur signis, pag. 17.*

Quæ { *aut maxima sunt, aut minima, pag. 18.* } *aut pathognomica, aut assidẽtia.* } *aut eiusdem generis, aut eiusdem speciei, aut neq; genus habent idẽ, neq; speciem, pag. 21.*

Quæ eiusdem generis, & speciei sunt, pag. 22. { *aut propria sunt, aut impropria.* } *Argumentationũ, pag. 23.* { *quædam Rhetorum, quædam Dialecticorũ, quædam Medicorum sunt propria.*

Rhetorũ, { *ex enumeratione partium, ex similitudine* } *Dialecticorum,* { *Sorites.* } *Medicorum* { *Epilogismus, Analogismus.*

Morborum perfecta cognitio consistit { *aut in loci affecti, aut in affectuum, aut in eorum differentiarum, aut morum, aut magnitudinum, aut causarum* } *denique cognitione.* { *aut per se, aut per consensum.*

Notæ

- *Notæ quæ morborum ſedes oſtendunt, pag. 25.*
  - *actio læſa,*
  - *quæ lædunt, & proſunt,*
  - *quæ excernuntur,*
  - *poſitus partium,*
  - *propria ſymptomata,*
  - *quæ partib. adnaſcantur,* — *aut particulæ affectarũ partiũ ſunt, aut partes in ipſis contentæ, aut excrementa, pag. 27.*
  - *cauſæ,*
  - *quæ antè præceſſerunt,*
  - *color,*
  - *tumor,*
  - *partium ſocietas,*
  - *doloris ſpecies, pag. 33.*
  - *doloris magnitudo. p. 37.*

- *Ea, quæ excernuntur, conſiderantur, pag. 30.*
  - *aut ſecundum magnitudinem,*
  - *aut ſecundum locum,*
  - *aut ſecundum tempus,*
  - *aut ſecundum quantitatem,*
  - *aut ſecundum qualitatem,*
  - *aut ſecundum excernendi modum.*

qui cognoſcitur, pa. 30.
- *aut ex poſitu partium,*
- *aut ex conformatione earundem.*

Dolores pag. 34.
- aut certis quibusdam partibus inhærent,
  - aut certa quædam sedes assignatur, pag. 34
    - Stupidus,
    - pulsatiuus,
    - mordax,
    - pungitiuus,
    - stimulans.
  - aut latè diffundũtur, pag. 35.
    - extensus,
    - distendens,
    - latus,
    - æqualis,
    - lacerans,
    - grauis,
    - turgidus,
    - profundus.
- aut fixi sunt, pag. 36.
- aut penetrant.

Affectuum notæ, pag. 38.
- actionis læsæ differentia,
- loci natura,
- doloris proprietas,
- species eorum, quæ excernuntur,
- quæ morbis consequuntur,
- color,
- quæ præcesserunt,
- causæ,
- quæ lædunt, & prosunt,
- tumor,
- curatio.

Locus, an per se, an per consensum afficiatur, cognoscitur, pag. 48.
- aut ex iis, quæ cõsequuntur, & antecedunt,
- aut ex magnitudine, & paruitate affectus,
- aut ex accessione causarum.

Morborum differentiæ sumuntur, pag. 49.
- aut à materia,
- aut à motu,
- aut à tempore,
- aut à sede affecta.

Mores pag. 50.
- aut ex symptomatib.
- aut ex causis, (tu,
- aut ex morborũ or-
- aut ex loco affecto.

magni-

magnitudo morbi pa. 50. { aut ex partis affectæ præstantia, / aut ex affectus magnitudine, / aut quod malum sit cacoethe. } { aut symptomatum magnitudine, / aut ex plurimis signis eiusdem generis simul coaceruatis. }

Causſæ, pag. 54. { aut adsunt, { aut aliquid efficiunt, / aut non. } / aut decesserunt, { aut aliquid in corpore reliquerunt, aut non, / aut diutius ibi commorantes, cum decedunt, morbus soluitur, / aut iisdem ablatis morbus remanet. } }

Harum pag. 51. { quædam per se, / quædam per accidens. } Præterea, pag. 53. { aut antegressæ, / aut antecedentes, / aut continentes. }

---

aut externæ, { aer, / somnus & vigilia, / perturbationes animi, / motus, & quies, / repletio & inanitio, / cibus & potus. } Cognoscuntur causſæ, pag. 57. { ex iuuantibus & nocentibus, / ex causſis efficiẽtibus, / ex iis, quæ cõsequuntur, / ex excretis, / ex curatione. }

---

aut internæ, pag. 56. { aut aliquod quatuor humorum, / aut debilitas partis, / aut vicinia partis. } { Differentia in re significante ostendit nobis differentiã in re, quæ indicatur. pag. 59. }

Euentum morborum cognoscimus, si crises perpendimus, pag. 60. { Hæc vero cognosci non possunt, nisi status intelligatur, pag. 60. } { Status percipi non potest, nisi principium morbi cognoscatur. }

- *Principium morbi intelligitur, pag. 60.*
  - *ex specie morbi,*
  - *ex circuitum incrementis,*
    - *Incrementum vero, pag. 61.*
      - *ex morbi circuitibus,*
      - *ex accessionum inter se collatione.*
  - *ex tempore anni,*
  - *ex iis, quæ consequuntur.*

- *Status, pa. 61.*
  - *ex morbi accessionibus,*
  - *ex morbi specie,*
  - *ex symptomatibus,*
  - *ex morbi remissione, ac declinatione.*

- *Iudicia, pag. 61.*
  - *aut salutem afferunt,*
    - *aut subito morbo liberant,*
    - *aut non integre,*
    - *aut paulatim, & longiori tempore.*
  - *aut iugulant,*
    - *aut subito occidunt,*
    - *aut deterius se habent ægri,*
    - *aut mutatio fit in marasmum,*
    - *aut subita mutatio ad peius sine excretione.*

- *Iudicium*
  - *aut præsens pag. 63.*
    - *concoctio,*
    - *morbi species,*
    - *morbi mos,*
    - *excretio,*
    - *vigoris prænotio,*
    - *virium robur.*
    - *aut in die indicatorio,*
    - *aut in die iudicatorio.*
  - *aut futurum.*
    - *morbi natura,*
    - *tempus anni,*
    - *victus,*
    - *temperatura,*
    - *ætas,*
    - *regio,*
    - *accessionum circuitus,*
    - *concoctio,*
    - *vigoris prænotio,*
    - *quæ mox apparent,*
    - *vires.*

Vires,

- *Vires*, p. 64.
  - *aut integræ*,
    - *frigidi*,
      - *calidiores humores, excretionem.*
      - *aut abscessus,*
      - *aut concoctio,*
    - *calidi humores.*
      - *sæpe excretiones,*
      - *raro concoctiones,*
      - *aliquando abscessus,*
  - *aut mediocres*,
    - *frigidi humores,*
      - *sæpe concoctiones,*
      - *raro excretiones,*
      - *aliquando abscessus,*
    - *calidi humores, abscessus,*
  - *aut imbecillæ.*
    - *frigidi*
      - *aut concoctio,*
      - *aut mors.*

- *Iudicium cognoscitur*, pag. 64.
  - *ex morbi specie,*
  - *ex magnitudine morbi,*
  - *ex more morbi,*
  - *ex temperamento,*
  - *ex ætate,*
  - *ex regione,*
  - *ex victus ratione.*
  - *ex motu.*

  Modum vero mortis cognoscemus, si quale futurum iudicium sit, scietmus.

- *Quale vero sit iudicium cognoscemus.* pag. 64.
  - *ex morbi specie,*
  - *ex indicijs,*
    - *vomitus,*
    - *sudoris,*
    - *deiectionis,*
    - *sanguinis profluuii ex naribus,*
    - *abscessus.*
  - *ex loco affecto,*

Dies vero cognoscitur, pag.69.
- ex robore naturæ & infirmitate.
  - ex commodo temperamento corporis,
  - ex propriis actionibus,
  - ex pulsibus.
- ex robore morbi, & infirmitate.
  - ex specie morbi,
  - ex magnitudine,
  - ex more,
  - ex motu,
  - ex concoctionibus.

Indicationum
- quædam generales,
  - compositæ,
    - indicantes,
    - simul indicãtes,
    - contra indicantes.
  - simplices.
- quædã singulares.


- Quædam tolli,
- Quædam conseruari postulant.

Indicant, pag.74.
- morbus,
- causſa,
- vires,
- ætas,
- anni tempus,
- regio,
- consuetudo,
- contrarietas,
- pars affecta, pag.74.
- partis essentia, pag.75.
- temperamentum,
- situs partium, pag.75.
- meatus, pag.76.
- præstantia actionum,
- actionis species, pag.76.
- sensus,
- vicinia.

Intem-

- Intemperies à qua morbus oritur
  - aut simplex
    - aut morbũ facit,
    - aut fecit,
    - aut factura est, pa. 82.
  - aut cum materia, pag. 79.
    - aut in loco genita est,
    - in quo morbum excitauit, pag. 79.
      - aut à toto corpore,
      - aut ab eius partibus.
        - aut exterioribus.
          - aut propter vias latas,
          - aut propter situm.
        - aut superioribus.
    - aut aliunde fluit.
      - aut paulatim,
        - aut in vnam partem,
        - aut in plures,
      - aut tota simul,
        - aut in totum corpus.
          - aut quoniam corrupta est,
          - aut quoniam grauat,
          - aut vtraque ratione.
      - aut tracta.
        - dolore,
        - calore,
        - vi expultrice valida expellitur.
  - aut sine materia,
  - aut composita.

- *Hæc vero materia*
  - *aut locum occupat, pag. 90.*
    - *aut euocatur,*
      - *sudore,*
      - *vomitu, aut aliqua alia via,*
      - *ventre,*
    - *aut repellitur,*
    - *aut auertitur,*
      - *aut deriuando,*
      - *aut reuellendo,*
  - *aut non. pag. 82.*
    - *aut reuellenda,*
      - *aut ad partem, quæ cum altera connectitur.*
    - *aut repellenda,*
    - *aut deriuanda,*
      - *aut ad eam, quæ materiam transmittit.*
    - *aut attrahenda,*
      - *aut frictionibus,*
      - *aut dolorem excitantibus.*
    - *aut extrahenda.*
      - *aut obscure,*
        - *aut frictione,*
        - *aut deligatione.*
      - *aut aperte.*
        - *aut sectione venæ,*
        - *aut purgatione.*


Locus autem pag. 91.
Curandum,
aut nobilior
aut ignobilior.
ne attrahat
remouendo dolorem,
refrigerando partem,
calefaciendo contrarium locum.
aut per se,
aut per accidens,
adstringentibus,
ad bonam habitudinem partem reducendo,
vt pars sit sublimior.
aut victus ratione,
aut medicamentis.
ne recipiat. pag. 91.
aut obturando,
linteis,
emplastris,
digito ipso.
medicamentis,
aut exterioribus,
aut interioribus.
ne præbeat exitum.
aut adstringendo,
cibo & potu.

AVCTOR LECTORI S. D.

Methodos curandarum febrium, & profluuii sanguinis, ornatissime Lector, quas huic coniungere debebam, consulto omisi, ne totum opus iterum retexere velle viderer. Tu (si ad eas partes sæpius adire nimius tibi labor videbitur, in quibus adeo à nobis suo quæque ordine, & modo collocata sunt, vt quæcumque de iisdem rebus voles, statim tibi possint occurrere,) quod nullo negocio per te facere potes, illas describe atque tibi appone eas, reperies pag. 92, 98.

Sunt præterea de ratione victus perscribenda haud valde multæ ex Galeni sententia obseruationes, quæ non solum à te diligenter notandæ, verum etiam memoriæ mandandæ sunt. pag. 81.

Et ne quid aliud tibi in hac parte desiderandum esset, adiunximus haud longam de sanguinis detractione methodum. pag. 83.

Huc accessit purgationis breuis ratio, & lex, non quo volumen esset ingentius, sed ne quos in illius tractatione non parui momenti locos Hippocratis à cæteris hactenus plane præteritos illustrauerim, tu solus ignorares. pag. 87.

FINIS.

REI MEDICAE STVDIO STIPENDIVM II,

I. BAPTISTÆ DONATII

LIBER QVARTVS DE IVDICIIS;

Qui in Galeni voluminibus plane desiderari videtur.

Omnibus medicinæ studiosis apprime vtilis ac necessarius.



FRANCOFVRDI
Apud Ioannem Wechelum,
M D X C I.

IOANNES BAPTISTA DONATIVS CANDIDO Lectori S.

LIBRVM *hunc quartum* de Iudiciis, *in Galeni voluminibus adhuc desiderari, probare tibi nõ debeo, humanissime Lector; qui hoc optime per te scias. Etenim cum in illis, quos habemus, ita rem ipsam Galenus persecutus sit, vt rudiores nihil omnino amplius desiderari posse arbitrentur: medica vero scientia instructi habeant etiam quod vehementer requirant, quod tamen quale illud sit, plane explicare non possunt: ea re factum est, vt illi ad ignaros erudiendos magnopere apti non fuerint; in animis vero peritorum tantum informatam quandam illius rei, qua de agunt, imaginem, ac cogitationem reliquerint. Quapropter pauci admodũ reperti sunt, qui librorum illorum lectione instructi, ac eruditi, de morborum euentibus antehac ex arte certam coniecturam facere ausi sint. Nimirum deerat, quod exquisita quadam ratione id, quod proposuerat, erudire atque docere posset. Quare fundamenta quidem præclare iacta apparent, operis vero perfectio atq; absolutio desideratur. Quod ex ipsa re intelligi nullo negocio potest: etenim cum in primo De iudiciis libro, quæ & quot morborum essent tempora ostendisset, de signis, quæ iudicia afferunt, & de concoctionis notis longum sane sermonem instituit: quippe quæ morborum tempora maxime possint distinguere. In secundo, quo pacto primo quoque tempore morbi naturam cognoscere possimus, singula febrium genera percurrendo luculenter docuit. Egit autem potissimum de febribus: quoniam illæ, cum vulgo homines corripere, tũ vero acutis morbis haud raro superuenire soleant. Reliqua (pleuritidẽ excipio, qua de in priori) præteriit vel quod, cum de illis luculenter*

dixisset, de cæteris satis dictum putarit, vel quod in quarto volumine ea subtilius persequi in animo haberet. In tertio, quæ bona, quæ mala, quæ perfecta, quæ imperfecta, quæ salutaria, quæ pestifera iudicia sint, docuit: qua ratione continuæ febres, quotidianæ, tertianæ, quartanæ iudicia afferant, demonstrat. Phreneſis, Lethargus, Iocinoris, Lienisque inflammatio, quem præcipue exitum habere soleant ostendit. Qui ex iudiciis euadunt, cuncta pertrazsire tempora: qui vero extinguuntur ad morbi imminutionis tempus nunquam peruenire tradit. Item morbos acutos humorum emissionibus potissimum, longos vero abscessibus finiri præcipit. Signa rigoris, sudoris, vomitus, sordium ventris, profluuii sanguinis, menstruorũ, ac denique abscessuum diligentissime persecutus est. Quis est, qui nõ plane videat hoc loco Hippocratis historias veluti testimonia & grauiores quasdam huiusce totius doctrinæ confirmationes maxime desiderari? Namque vt in singularibus, quæ sub sensum cadunt, nosmetipsos exerceamus, maxime auctor Galenus est, vt, quæ ante generaliter didicerimus, optime dignoscamus: neque enim vniuersales viæ ac rationes ad certam, definitam, rectamque alicuius rei cognitionem satis esse possunt. Generalis enim methodus sine vlla in singularibus exercitatione optimũ artificem reddere nullo modo potest: quæ res omnibus in rebus tibi clarius eluceſcet: eaque tantam habet quibusdam in rebus vim, vt vniuersalem methodum discere vel vnius anni spatio nemo non possit: at nisi in ea diutius, sed quid diutius? nisi toto hoc vitæ spacio se diligentius exercuerit, in artis vsu mirifice offendat necesse est. Testes sunt Dialectici, Rhetores, Musici: demonstratum vero est cum in aliis voluminibus, tum vero in methodo medendi duplicem esse eorũ, quæ quæruntur, inueniendi viam: altera, ratione ad notitiam peruenit tum generalis, tum vero communis cuiuslibet singularis speciei: altera autem à singularibus ad commune, vniuersaleque progreditur. Atq; ex his vniuersale conflatum est. Artificis vero munus atque opus omne in singularibus exercetur:

ercetur: quæ vt ex arte tractentur, exercitatio necessaria est ei, qui prius vniuersale inuenerit. Præterea & ad prædictorum vniuersalem doctrinã singularia vtilia sunt; sunt quoq; & ad discentium captum veluti exempla quædam. Quapropter ipse quoque Galenus in cunctis fere, quæ edidit voluminibus, non vniuersalia modo, verum etiam singularia persecutus est ex libris Hippocratis: præcipue vero Epidemiorum historias diligenter perpendit: in quibus cuncta exposuit, quæ ab initio ad finem vsque ægrotis superuenere. in libris quoque De difficultate spirãdi omnes percurrit, qui in Epidemiis durius spiritum ducebant: in libris De diebus, quæ iudicia exercent, quicumque iudicia subierunt. Itemque in cæteris eadem ratione. Sed quid? Galenus ipse cum non satis luculenter cuncta, quæ ad iudicia spectare viderentur, tradidisse perspiceret, in eo, quod tertium subsequi debebat, volumine, nonne rem omnem ita se absoluturum pollicitus fuerat, vt quod cæteris deesset, supplere velle videretur, quibus nos aptiora minime appeteremus? Doctis enim ea satis esse putabat: ignaros vero multa quoque expectare & optare posse fatetur; quæ tametsi in vnius Anaxionis historia in primo libro De iudiciis se cumulatissime præstitisse non ignorarit: attamen post illa quartum illud volumen ex se promere pollicitus est. At quid in hac re diligentius demonstranda amplius laboramus: an hoc inauditum, aut cuiquam nouum esse potest, qui libros Galeni vnquam perlegerit? Quid plura? nonne hoc idem ab ipsomet Hippocrate diligentissime obseruatum est? Nam cum vir ille doctrinam omnem, quæ futura prænunciat, libro Prognosticorũ egregie complexus esset, quoniam generalia præcepta dare non satis esse perspiciebat, ad ea docenda ac præcipienda, quæ in operibus ac exercitatione quadã continerentur, animum adiunxit. Quare ægrotos in Epidemiis notatos nobis conscribere aggressus est, qui veluti exempla essent eorum, quæ alibi quidem generaliter, sed tamen luculente ab eo tradita ac præcepta fuerant. Id postremo, vt plane credam, faciunt ipsius Galeni

commentarii in libros Hippocr. De morbis vulgaribus: in quibus cum ad ægrorum historias ventum est, eius narrationes (quod ad iudicia & materiæ maturitatem pertinet) semper mihi visæ sunt (ne mentiar) paulo exiliores: nimiũ enim satietatem longæ orationis effugisse videatur, necesse est: nisi eum ita excusemus, vt iudiciorum notas omnes in quarto illo libro studiosius memorasse dicamus. Quod si quis est, qui hac de re amplius dubitet, is sciat Galenum testificari in libris De iudiciis scriptum reliquisse vires iudiciorum diligenter perpendendas esse, easque inter se studiosius conferendas: sunt enim quædam indicia, quæ etsi praua sint, magis tamen & minus suscipiunt, quorum vires vocabulis distinguere ac notare necesse est. Neque vero tantummodo signorum vires, quæ inter se similia sunt vt bona cum bonis, aut mala cum malis nos conferre debere tradidit, verum etiam bonorum cum malis collationem faciendam esse testatur. Hoc loco quæro, num in hisce tribus voluminibus, quæ habemus, hæc scripta sint? præterea alibi tradit symptomatum magnitudinem, quæ ex eorum potestate sumitur, exactius dignoscendam esse: at vero qua ratione hæc ab illa, quæ cogitatione percipitur, distinguenda sit, in libris De iudiciis persecutum esse memoriæ mandauit. Diuinus videlicet vir, cum in primis casus humanos extimesceret, metueretque, ne iniuria temporum eius scripta aut corrumperentur, aut amitterentur: ne, cum hæc in suis voluminibus desiderarentur, aliquis illa imprudenter se præteriisse suspicaretur, hæc aliis in libris testata relinquere voluit. In alio vero libro de singulorum, quæ in Prorrheticorum particulis scribuntur, Symptomatum vi ac potestate paucis quidem docuisse commemorat, in illorum prima ac secunda narratione: longiori autem oratione in Prognosticorum commentariis, vberius quoque, ac fusius in libris De iudiciis, & symptomatum caussis se persecutum esse testatur. Quo in loco hæc in libris De iudiciis vberius præcipit Galenus? Iam vero in commentariis De morbis popularibus scriptum reliquit, cuncta

quæ

quæ de iudiciis & de diebus, qui iudicia afferre solent ab Hippoc. literis consignata sunt, accurate ac diligenter in duob. illis voluminib. a se collecta fuisse. At quo in loco hæc ab eo citata sint, maxime quærimus. signa, quæ iudicia antecedunt, & ex quib. illa cognoscimus, similia, aut dissimilia esse quo in loco tradidit? Quo denig in libro ab eo dictũ est fieri posse, vt in aliqua sede affecta concoctio absoluatur, morbo toto haud quaquam ad maturitatẽ perducto? nullo profecto. Non omittam & illud, quo in libro Galenus tradiderit praua signa, & minime pernicioſa, si absque signis maturationis desierint, ac redeant, continuo hominem non tollunt. Quæ vero pernicioſa sunt, si redibunt, ægrotũ perimere nullo negocio possunt. Postremo, num meminit de vrinis fermentatis? Quis est igitur, qui nõ fateatur multa in libris hisce, qui ad manus nostras peruenerunt, de iudiciis deesse. Cætera omittam: quoniã in ipsius rei tractatione, facile vnusquisq intelligit, quot, quantaq ab eruditis in hisce libris desiderari possint. Interea haud ignoro nunquam IV. illud volumen conscripsisse Galenum: memini eum in propriorũ librorũ enumeratione tres tantummodo à se de Crisibus editos testatum reliquisse: at id tamen in animo aliquando habuisse contendo. Principio quod ita concluserit tertium illum librum, vt & secundum de facultatibus naturalibus, in cuius item extremo pollicetur, id quod restabat in tertium coniecturũ. Deinde, quod multa alia quoq desiderẽtur in Galeni voluminibus, quæ deinceps ab ipso literis consignata minime fuerũt. in libro enim V. De curandi ratione plane desideratur, quonam pacto Aneurismata curari cẽueniret. tota De luxatione tractatio, & De vulneribus ventriculi in VI. omnino deest. in X. de pestiferis febribus se diligentius perquisiturum profitetur, quod minime perfecit. in extremo XIII. nonne & de Varicibus & de iis omnibus, quæ ad Chirurgiã maxime pertinent, se postremo loco acturũ promisit? Quæ tamen non præstitit; credo, quod à nullo sit admonitus. id certe notamus in libris De san. tuenda: cũ enim eos amicis legendos tradidisset, ab illis

admonitus in extremo addidit ex malorum ſucco medicamentum: quod paulo ante in IV. *ſcilicet volumine ſe deſcripturum profeſſus, pollicitusque fuerat. Poſtremo quod id res ipſa (vt comprobauimus) luculente demonſtret. Neque vero priſci illi medici eruditiſſimi viri, ſi quid in antiquorum ſcriptis præterea deſiderabatur, continuo ea reiicienda, aſpernanda, repudiandaque putarunt: quod homines ex Ariſtotelica illa diſciplina omnes in medium aliquid afferre maxime vellent, tametſi illi minime id, quod volebant, aſſecuti viderentur: omnibus enim congeſtis inter ſeque collatis veritatem, quæ hiſce in rebus maxime deliteſcere ſolet, emergere ſentiebant. At nos homunculi, delicatuli, in ſcribendoque minime exercitati, ſi quid diminutum in probatiſſimorum auctorum ſcriptis reperimus, ea non veluti vnius peccati volumina damnamus, ſed veluti multorum maleficiorum iudiciis conuicta continuo explodimus. Huius libelli deſiderio multos ad aliam florentem magis ſcientiam confugiſſe animaduertimus, Aſtronomiam ſcilicet, cuius auxilio nixi, quæ prænunciant, prorſus perſuadendum eſt futura: prædictionis enim illius rationem nunquam non exploratam eſſe arbitrantur. Quod tametſi verum eſſet, & à Galeno in libris, De diebus, quæ iudicia exercent traditum: non eſt tamen, cur ab arte noſtra continuo deficere debeamus: nam, etiam ſi Galenus illud non ignorauerit, non illico futurorum prædicandi ratio, & via aliunde petenda nobis eſt: etenim imperfectam eſſe hanc ſcientiam fatendum eſſet, quæ omnino abſoluta eſt, quæ ſuis principiis nixa, alieni indiga ad futurorum prædictionem peruenire minime poſſet. Tunc autem alicuius adiumento indigere dicimus vnamquamque ſcientiam, cum altera alteræ ſubiecta eſt: at Aſtrologia nullo modo cum re medica coniuncta eſt. Cohærere vero, ac maxime conſentire debere artis vniuſcuiuſq; theoremata, nemo eſt qui neſciat. Neq; vero vlla huic arti inſtrumenta parat aut materiã politiorem, perfectioremq; profert: ſolent autem artes, quarum opus in faciendo eſt,*

quæque

quæque altera alteram continet, alterutrum præstare; raro enim euenit, vt altera alterius ope non plane indigeat. Physici principia probat Metaphysicus. nihil tale Astrologia. Veruntamen Galenus scriptum reliquit Astronomiæ præceptis non obscure pronunciari posse de ægrorum euentis. Quid tum? Galenus dum se iactat Astronomum esse, dum variis instructum scientiis se venditare studet, famam illius scientiæ, quantum potest, eleuat. Qua in re ab hac nostra scientia minime nos studet abstrahere, sed omnes in hac eadem doctrina sitas, & locatas spes nostras nos habere vult, hanc spectemus, nullam præterea. Etenim hæc scientia hæret Philosophiæ, a qua sua ducit principia; vbi enim desinit Philosophus, inde exordia sua sumere medicum nouimus. Turpe vero, atque adeo nefarium esset tantæ scientiæ iactis fundamentis, dum futurorum signa inuestigamus, naturam minus habere virium, quam vt signa, quibus futura prænoscimus, efferre possit, arbitrari. Ego vero ex Galeni, & Hippocratis primum voluminibus, deinde ex cæteris rei medicæ scriptoribus ea, quæ ad hunc librum restituendum opis aliquid afferre posse videbantur, studiose ac diligenter collegi & notaui; & vt doctorum virorum iudicio liber hic dignus esset, qui in manus hominum perueniret, vehementer laboraui: Quid præstiterim, per vos facile cognoscetis. Quod si forte a nonnullis minus probabitur, mea me facti conscientia consolabor; qui primus in re maximi (ni fallor) momenti non modo meam sententiam simpliciter vobis aperuerim, sed etiam, quæ desiderari videbantur posse, sedulo in medium attulerim.

IOANNIS BAPTISTÆ DONATII DE IVDICIIS LIBER QVARTVS,

Qui in Galeni voluminibus adhuc desiderari videtur.

Desiderari hunc librum, & scribendi occasio. CAP. I.

CVM liberales artes, optimaque studia, quæ ad vsum vitę maxime necessaria semper habita sunt, miserè multa iampridem afflixerint, tum in primis optimorum librorum auctorumque, qui præclariss. quasque disciplinas alius alio studiosius, ornatiusque certatim excoluere, iactura propè funditus perdidit. In philosophia, quæ vna ceteras alias amplexu suo doctrinas continet, cuique ingeniosissimi quique nunquam non dediti fuerunt, quàm multa desiderantur? In Mathematicis, in quibus diligentissimè elaborasse scimus omnes, qui philosophi haberi voluerũt, difficile est enumerare, quot à studiosis exoptentur. Quid de Musicis, Grammaticis & rerum gestarum monumentis quæ studiosius conseruari ac custodiri à nobis solent, dicemus? Quorum volumina propè infinita temporum iniquitate, & iniuria miserè adempta nobis sunt? Ceteras disciplinas omitto; ad hãc nostram professionem animum meum cõuerto; in qua quamplurima doctissimorum virorum monimenta funditus perierũt, quos nihil omnino, quod ad vsum hominum pertineret, prætermisisse verisimile est; quod vel scientiæ peruestigatione, aut vsus ratione à singularib. ingeniis euidenter comprehendi, & literis consignari posset. Hic ego non Themisonis, non Thessali, non Erasistrati,

Erasistrati, non Asclepiadis scripta desiderarim, quanquam minime contemnenda, sed Herophili, Dioclis, Philotimi, Mnesithei, aliorumque multorum percupio, qui longissimè ab aliorum decretis disiuncti, cum Hippocratis verò, hoc est veritatis placitis cõiuncti artem ipsam mirũ inmodum collocupletarunt. verumtamen his quoq; æquo animo fortasse nobis carẽdum esset, si vnius Galeni volumina, quẽ plurima eloquentissimè, & ornatissime scripsisse nouimus, integra ad manus nostras pueniissent: sed præterquam quod multæ fœdæq; quẽadmodum in ceterorum auctorũ libris in illis maculæ irrepserunt; tum verò nonnulla etiam miserè amissa videm⁹, quę incredibile est, quam magna studiis nostris adiumẽta attulissent. Quamobrem cum multorum iactura librorum summa fraudent vtilitate studiosi, tum verò interitu quarti libri De iudiciis mirificum ꝑfectò damnum contraximus; nã, cum tota De iudiciis tractatio perneceſsaria sit, tum verò eiusmodi est, vt ea nobis ad maximos honores pulcherrimos aditus patefaciat: etenim vt plurimum fit, eos, quorum salus ꝑpè desperata est, saluos posse facere, multò profectò præclarius, atq; honorificentius nullum malum ad salutem conuerti, nihil in morbis aduersis vnquam accidere medico non præsentiẽte ac prædicente. Galeno quid spei, quid metus subesset, in omni morborum genere semper prædicẽdo magnas tum fortunarum, tum dignitatis accessiones factas esse legim⁹; qua vero id ratione prẽstaret monimẽtis consignauit litterarum. Verum pnicioso bonis litteris fato nescio quo factum est, vt ea manca atq; imperfecta ad nos peruenerint. Quare nihil mirũ si ex illis haud magnum fructum cõsequi potuerim⁹; fastigiũ enim inchoato operi deest. Testes sunt superioris ætatis medici, qui ita in re medica versati sunt, vt nullam prorsus huiusce doctrinę partem vnquam attigisse videãtur. Sed quid ego veteres commemoro? quib. omnino danda venia est;

iam tum enim & Arabum erroribus, & temporum iniuria deceptis effugere ac vitare offensionem minime licebat. Quotus quisque nunc medicorum inuenitur, qui futura in morbis prænunciet, vt ars, ideſt ratio ipſa medica poſtulet? Cum igitur quanto detrimento ac damno rei medicę fuerit huiuſce libelli calamitas, perſpicerem, cum exiſtimationis etiam iactura aliqua tentaui, ecquid hoc potiſſimum in genere poſſem conſequi: & quamuis res ipſa quantum ingenii, & induſtriæ, quantum eruditionis, ac facultatis poſtulet, intelligo; tamen quoniam egregium aliquod ac eximium me negocium ſuſcepiſſe confido, ſi non beneficæ voluntatis, at magni certè animi prędmium bonis viris approbantibus me laturum eſſe ſperabo. Quod ſi qui forte in vnius Anaxionis hiſtoria omnia ſingularia complecti, & in vna ſententia Hippocratis ceteras contineri atque ineſſe contendant, quod *Qui vtramuis recte norit ambas nouerit*, in eoque obſtinatè perſtent; tametſi morem, conſuetudinemq; Galeni illi planè mihi ignorare videantur, qui preſsè, anguſteque vt Ariſtoteles (ad cuius exemplum ac regulam nos reuocare, atque hæc dirigere velle videtur) ſed vberius ac fuſius de vna quaque re pertractare conſueuerit, nimis pugnax contra eorum ſententiam eſſe nolo: eoſque oro, vt has noſtras vigilias, vel potius vindemiolas, ſi non comprobare, at ſaltem minime vituperare in animum ſibi inducant; atq; me ſi non doctum, at ſaltem laborioſum exiſtiment, qui hanc curam ſuſceperim, mihique hanc operam ſumpſerim, vt liber hic quartus *De iudiciis Galeni* ſi nō protinus reſtituatur, at hoc ſaltem perfectum ſit, vt hæc, quę ex Galeni voluminibus meo ſummo labore ac vigilantia collegi, atq; hoc pacto in hoc libello quaſi illigaui, incluſi, conieci, non librum quartum De iudiciis magni illius Galeni (id enim, vt arbitror, fortaſſe pleroſque offendit) verùm de ſignorū viribus, quibus medici in ægrorum curationib. certa quadam

via

via ac ratione futura prædicunt, commentariolum vel per me pariant, atque gignent. Quapropter si hæc inscriptio ab omni eos molestia vindicabit, ea tantum abest, vt existimationem (si quæ à me hac in re parta est) aliqua ex parte violatam esse existimem, vt potius ad illam hoc facto maiorem quandam factam esse accessionem cẽseam. Non enim lectores quid inter initia pollicear sequuti videbuntur, sed rem ipsam eos quæsiisse vtilitatemque libelli maxime spectasse apparebit, quam nunquam non attendere debent; in quaque dum hæc litteris consignabam, animum meum nunquam non fixum, ac locatum fuisse res ipsa (vt spero) apertius demonstrabit.

Quæ antea cognosci oporteat. CAP. II.

PRINCIPIO Physicum esse oportet, qui ad huiusce libelli lectionem se conuertet; hocque pro certo sibi illum persuadere necesse est, naturam omnino sufficere, & summa quadam prouidentia corporibus nostris prospicere, item propriis etiam motionibus ordinatis, si quid aliud ipsam vti: nec contra quicquam versute moliatur, atque iis, quæ ab arte admouentur, nunquam subdole sese opponat. Vulgò enim apud Philosophos illud notissimum est, naturam cũcta agere impulsu Dei optimi maximi intelligentiarumque, quæ omnia ordinatim, consultoque regunt, gubernant, moderantur, tuentur. Horum quædam ex libris De particularum corporis humani vsu intelligi nullo negocio possunt: diuinitus enim ibi ostensum est summum naturæ in animali fingendo artificium. Quædam verò in animantium conceptibus, incrementis, absolutionib. & partu contemplari licet: namq; vniuscuiusque animantis conceptionis & generationis suæ tempus definitum accuratè seruatur, natura scilicet motus definitos semper ciente: nec nõ & post partum vnumquodque animal crescit, viget, & decrescit finitis quibusdam

temporibus. Iam verò qui libros perlegerit De facultatibus naturalibus; itemque alios, qui ſigillatim de ſingulis naturæ functionibus perſcripti ſunt, dilucidè perſpiciet, quantum prouidentiæ ſimul ac ordini naturæ motus præditi ſunt. Quod ſi hæc crediderit, miretur artificium pariter, & ordinem naturæ, recordatus iterum quantum ipſa ſuperetur prouidentia & ordine à cæleſtibus, nullo ferè ordine hæc inferiora moueri putabit; atque pulchrum omne (ſi quod modò in hoc mundo inferiori eluceſcit) atque omnis ordo, atque omne artificium ex ſuperioribus naturis emanare intelliget, inordinatum atque erraticum ex materiæ ratione, quæ hic eſt, ortum ducere percipiet. Deinde cum innumeri ægrotis caſus protinus ſuperueniant, qui tametſi aliquid continuò mali præmonſtrent, illis tamen nos naturam ſe ipſam, quoad eius fieri poteſt, tueri, incolumemque ſeruare præcinimus: etenim vt mundum ipſum aliquando contremiſcere, interdum imbribus turbinibuſque pænè opprimi, ſæpe incendi, exurique notamus, quæ quamuis mala ſint, tantum tamen abeſt, vt quicquam de eius incolumitate detrahant, vt etiam eadem conuenientiæ, conſeruationiſq; eius cauſa commodè euenire ſummi quiq; Philoſophi cenſuerint: ſic tametſi quàm plurima hunc paruum mundum ſymptomata circumuallent, nihil tamen in eodem accidere arbitrandum, quod non hunc, quoad eius fieri poſſit, conſeruet, cuſtodiat, incolumemque tueatur. Natura enim perpetuò, quod è re noſtra eſt, eligit, ſuique ſemper conſeruatrix rectè dicitur. ex iis enim: quæ in vnaquaque re fieri poſſunt, id ſemper eligit, quod melius & præſtantius eſt. Poſtremò eundem optimè exercitatum eſſe in materiæ concoctione & cruditate ſpicienda ac dignoſcenda cõuenit, ſine qua aut vix, aut ne vix quidẽ hæc pcipere qſquam poterit: omnis enim hæc tractatio ex illa aut pendere aut certe adiumento illius ad ſui ipſius confirmationẽ indigere videtur.

Natura

Naturam cuncta in corpore moderari, & quando ordinate, & quando inordinate moueat, ac de iudiciis quædam. CAP. III.

CVNCTA quidem certè animalia, quòd sentiant & moueantur, & ab anima & à natura regi, gubernariq; manifestum est. Natura gignit, auget, nutrit concoquit, id verò mouere est; ea enim corpora, quæ nunquam non eodē in statu posita ac defixa sunt, protinus quiescere, eadē labefactata turbataq; cum videm⁹, pristinam conditionem minime retinere, & dimota esse continuo dicimus. Cum autem in corporibus nostris qualitatum commutatio accidit, illa secundum qualitatē moueri dicimus, motusque ille alteratio vocatur. Virtus verò ea, quæ hoc præstat, alterare & mouere planè videtur, quo tempore munere aliquo fungitur, & opus manifestò tractat natura. Opus id appello, quod actio ipsa conficit; actio verò quod est in agitatu, & actiuus motus, à nostris appellatur: causam, quæ antecedit, & opus nauat, facultatem, naturam & vires denique vocamus, quas non nisi ex alterius comparatione intelligere solemus. Naturam sanè primum suis naturalibus virtutibus caliditate scilicet, frigiditate, humiditate, & siccitate agere animaduertimus; deinde ceteris qualitatibus, quæ ad tactum referuntur, nunquam verò non habet indulgentem, & sibi deseruientem propriam vniuscuiusque partis humiditatem. Nulla certè pars non suis qualitatibus agit, qualitates temperiem custodiunt, & constituunt; propter vero propriam temperiem, vnaquæque pars certam, exploratamque obtinet muneris functionem. Alterare vincere est, alterari vinci, ac superari. Cum natura igitur materiam versat, ac commouet, tempora morborum cōmutantur; morborum enim tempora causarum cōmutationes sunt, in quibus conditas etiam esse res futuras demōstrare debemus. Nunquā verò nō ciet

motus in corporibus natura necessarios, & in iudiciis; qui quidam motus sunt repentini exprimentes & repellentes humores, qui morbos excitant (omnis enim pars corporis nostri, cum aliquid extrudere conatur, principiò in vnum se colligit, ac contrahit, moxillico impetum facit; qua in re laboris multum sustinere solet) aliquando ordinatim, aliquando verò incompositè eamdem mouere videmus. Tunc autem ordinatim mouere solet, cum ipsa plurimum potest, & arbitratu suo materiam moderatur, ac regit. Incomposiri verò atque adeo nobis minime noti eius motus sunt, aut cum à morbo vehemẽtius vexatur & exagitatur, quod & in morbis qui ad salutem perducunt, interdum euenire notauimus, sæpe in pestiferis; aut cum eius vires opprimuntur, quod in pernicioſis semper contingit: etenim si omnino fracta atque abiecta est, tantum abest vt in vigore aut in statu iudicium edere nitatur, vt ne inter principia quidẽ morbo se opponere audeat. Illud argumẽto est, quòd in toto morbi tempore non multa ægrotum symptomata circumuallent, quæ res afflictam ac prostratam naturam demonstrat; nunquam enim non profligatæ naturæ is adiunctus est casus. Quòd si quando prælium inire velle videatur, paulo post tamen pugna sedatur, atque illico succumbit. Natura enim in operibus tota occupata est, atque de muneris eius functione, quid illa sibi velit, coniectura augurandum. Naturam autem irruere ac insultare maturrimè conatur ob morbi vexationem grauissimam, qui eam stimulat, affligit, nec vnquam quiescere patitur: quam rem cum ferre amplius non possit, illico, quod stimulat, ac vexat propulsare ac propellere conatur. quemadmodum ex iis, quæ ventriculum mordent, vexant, refrigerant, onere premunt, siue alia quauis ratione exagitant, intelligere facilè possumus; nam quæ in stomacho innatant, vomitu potissimum pelluntur, quæ verò in inferiorem partem descenderunt,

venter

venter reddit. Atque hæc maxima est immaturi iudicii nota: quæ enim in tempore accidũt iudicia, cum morbus consistit, & cum materia maturitatem consecuta est (tametsi nullus admoueatur stimulus) in ardentibus & magnis morbis maximè exerceri videmus. quæ verò intempestiuè eduntur iudicia (hoc enim modo vocat Hippocrates cuncta, quæ antequam morbus consistat, iudicia exercentur) acrioribus stimulis natura incitata sit, & in ea virium roboris plurimum reperiatur necesse est. Quamobrem plena certaminis iudicia & tanto minus commoda ea accidere obseruamus, quantò acrior naturæ stimulus extiterit; nec non materia longius abest à maturitate.

Quando citius, aut tardius natura mouetur; & quæ iudicia citius exerceantur, & quæ tardius.

CAP. IIII.

NATVRA verò agitatur ac stimulatur, cum corporis nostri partes humores in eo inclusos refrigerant, calefaciunt, siccant, humectant, grauãt, erodunt, fœdo odore mouent: virtus autem illa, quæ aliena, atque ea quæ ipsam agitant, reprobare atque extrudere potest (quemadmodum in libris De naturæ virtutibus demonstratum est) eo potissimum tempore vires suas ostendere solita est, cum ea, quę alterat, suo officio functa est. Ita enim natura comparatum est, vt ea virtus, quæ expellere dicitur, vnde à nostris *expultrix* est appellata, tunc quoduis exequi ac præstare commodè possit, cum ea, quæ *alteratrix* vulgò vocatur, munere suo secundum naturam perfuncta sit. Verumtamẽ antequam materia maturitatem assequuta fuerit, protinus quæ aduersa sunt nonnunquam reprobare conatur, vt nonnunquam perfecta cõcoctione moram interponit, & lente agit propter imbecillitatem. Vtrumque in eodem ventriculo considerari nullo negocio potest, qui maxime vexatus concoctionis tempus mi-

nime expectat, sed protinus ea etiam, quæ nulla re lacessunt, cum iis, quæ eum male habent, expellit, & eorum, quæ iampridem maturitatem habuerunt, lentè, quod superuacaneum est, nonnunquam propter virium imbecillitatem depellit: at cum validior est, & secundum naturam se habet, illud semper spectare videtur, vt postquam concoctionem molitus sit, id, quod superfluit, depellat; ita vt nunquam opus suum anteuertat, nunquam in aliud tempus referat. Ceterum vt in ventriculo, ita & in vnaquaque corporis nostri particula virtutem superuacaneorum expultricem inesse omnibus exploratum esse arbitror. Ea iudicia in morbis affert, ac cum omnia in animantis corpore maturitatem perceperunt, optima iudicia subsequitur. Non nunquam verò plena contentionis ac certaminis humoribus nondum maturitatem assecutis eduntur iudicia, quæ recidiuas parere solent. At in quibus natura egregiè valida est, nunquã (quod sciam) alicuius ægroti salus desiderata est: namq; nullus ægrotus ad sanitatem perduci potest, nisi si natura morbum vicerit, nec perire, nisi si illam morbus superarit. Quapropter morbi omnes sua vi magnitudinem quandam obtinẽt, quæ vel naturæ vires opprimit, vel ab illa planè vincitur; natura si viribus antecellit, optabilẽ exitum morbus habebit; sin morbꝰ naturam infirmiorem redigit, ægrotus protinus vitam cum morte cõmutabit. Morbi, qui breui iudicium subituri sunt, inter ipsa initia nullo negocio cognoscuntur; etenim febris ipsa, si ad sanitatem hominem perductura est, placidissima erit, sin interemptura, molestissima, & quæcumque horum indicia antecedent; in altero cuncta saluberrima, in altero verò deterrima consequuntur: nullum autem iudicium exercetur nisi aut victa, aut victrici natura. Itaque in placidissimis morbis nullo negocio natura ipsa superat, in difficillimis autem illico superatur. Hinc fit, vt contrarii maximè sint morbi, qui citò iudicia subeunt;

eũnt; ſimiles verò ac pares, quorum indicia longius ducuntur. Minime autem latebit nos vter eorum propius periculo ſit, ſi perpendamus, quantum vnicuique virium, aut roboris ſit: etenim vt in morbis breuioribus non nunquam natura, nonnunquam morbus ſuperat, ita cum neutrum magnopere antecellit, veluti ſi pares hoſtes pugnarent, victoria longius ducatur neceſſe eſt. In palæſtræ ludo, qui Palæſtrites peritiores habentur, facile vbi alterum altero præſtare animaduertunt; illi, qui præſtat, victoriam prænunciant; ſin neuter antecellit, diutius pugnaturos prædicunt, nondum planè cognoſcentes vter eorum victoriam conſequuturus ſit, temporis aliquo tamen ſpatio id priuſquam ceteri cognoſcunt; quippe, qui vel minimam præſtantiam nullo negocio animaduertant. Artis enim periti eo maxime diſtãt ab imperitis, vt vel exigua rerum diſcrimina præſentire, atq; prænunciare facile poſſint. Verumtamen, quoniam non nulla præ exiguitate vix ac ne vix quidem præſentiri queunt, huiuſcemodi ne artifex quidem cognoſcit. Itaque cum primum præſentiri poſſunt, tunc cognoſcuntur. Quamobrem ſingulos morborum quaterniones diligenter animaduertere nos debere tradit Hippocrates. Perpendi ſæpe naturã vincere, non quòd à viribus firmior fuerit, quippe calor præter naturam præcurrebat, quod illius natura & ſymptomata egregiè oſtendebant, ſed quod iudicii tempus prorogando moramq; aliquam interponendo facile aliquando natura ſuperaret. Etenim dum iudicii dies protrahitur, conſumitur materia, quam calor præter naturam occupauit, qua abſumpta calorem quoque præter naturam paulatim extingui neceſſe eſt. Hinc vere affirmare poſſumus morbos, qui ſtatum effugiunt, pe. detentim non cum iudicio finem habere.

Quæ κατ' ἐκροὴν, quæ κατ' ἀπόδοσιν, quæ critice, quæ symptomatice, quæ deniq; ad anteriores partes, ac ad posteriores detruduntur. CAP. V.

DVOBVS modis natura morborum victrix humores solet extrudere vel κατ' ἐκροὴν, vel κατ' ἀπόδοσιν. Etenim humores crudiores atque adeo maligni in venis adseruati vtraque ratione dimoueri atq; expurgari solent. κατ' ἐκροὴν erumpere dicimus humores, cum natura aut aluo, aut vesica, aut naribus, aut deniq; aliquo aperto meatu quasi portis quibusdam hostes emittit, erumpereque cogit. Abscessus excitari solent, cum tota vis morbi in vnam partem prorumpit, eamque occupat. Euenire autem sæpissime solet, vt ignobiliores partes teneãt, præsertim si natura minime infirma humores propulerit, vt articulos, coxendicem, & glandulas illas, quæ post aures positæ sunt; quòd si ea est naturæ imbecillitas, vt humores, quò velit, propellere minime possit, aliquando iecur, nonnunquam lien, sæpe caput humores obsidẽt. Hinc lienis tumorem humores ad ipsum à natura propelli, vel à morbo significare iampridem traditum est. Emissio verò humorum aliquando consequi solet vel naturæ, vel morbi opera. Hoc symptomatice accidere dicimus; quod cum euenit (sæpe vero in morbis pernicioſis contingere solet) minime moderatè ac trãquillè humorum illorum expulsionem ægrotos ferrè solere animaduertimus: nondum enim maturitatem humores consequuti sunt, nihilque eorum deiectio planè prodest. Nullo autem emolumento esse solent, quamuis multarum sordium eiectiones, nisi si humores concoctionem multò ante perceperint, quod eorum detractionibus naturæ vires mirificè infringantur, concidantque; atque hæc inter morborum initia maxime eueniunt. hinc illa morbis quibuscumq; incipiẽtibus si atra bilis vel supra, vel infra excernatur, mortiferum est. Cum vero naturæ vi

humores

humores expelluntur, absque vlla corporis vexatione eorum eruptio consequi solet, facileque illam ferunt ægrotantes; namq; tunc ea maxime effunduntur, quæ protinus exhauriri oportebat. Quo in casu semper cõcoctio antecedit, subsequitur secretio, & denique humorũ propulsio; quæ si recte atq; ordine facta fuerit, veluti cumulus accedet ęgroti tolerantia, morbi species, tempus anni, regio, ætas, natura ægrotantis. Quare Hippoc. profusiones in febribus non intermittentib. liuidæ, cruentæ, fœdę, & biliosæ omnes malæ, & si p bè excernantur per aluum, aut cum vrinis descenderint, optimæ. non nunquam humores optimè excuti obseruaui, cum nondum materia maturitatem assecuta erat. Quæ ratio illis interiecta, & tanquam media est. Qua in re diligenter perpendendum, num quæ morbum excitent, erumpant: etenim si ex corpore expellantur ea, quæ ægritudinem maxime afferunt, moderatéque id ferant ægrotantes, tametsi materia crudior sit; à natura tamen illud effectum fuisse protinus censendum est, corporis purgamenta principiò synceriora edi solent; dein benigniorũ, leniorumq; humorum fit effusio; postremò febris leuatur, ac discutitur: accidere aliquando solet vt propter alicuius partis principis imbecillitatem humores, qui morbos concitant, extrudantur, quorum profusio perniciem protinus affert. Hoc loco minime omittendum, quod perpauci sanè animaduertunt, quod humores qui morbos excitant, à natura depulsi modò partes, quæ ad animũ pertinet, corripiunt; modo vitales, nonnunquam naturales. atque vt venarum motus cordis detrimenta, & vrinæ naturalium membrorum incommoda; sic animi functiones aliæ, atque aliæ animalium (vt ita dicam) partium offensiones demonstrant. Corde affecto quam citissime; cerebro morbo attentato, tardissime; iecore vitio laborante, iudicia exercentur. In iis vero, qui densiori cute prædi ti sunt, iudicia cunctantur; in

iis, qui rariorem cutem nacti sunt, citius diiudicantur morbi: præterea modo posterioris corporis partes, modò anteriores occupant; posteriores neruis, anteriores venis & arteriis magis præditas esse nemo nescit, qui corporis nostri egregiam fabricam aliquando perpendit: neque verò dubitandum est, in iudiciis hoc sæpissime euenire solere, cum in iis partibus, quas vrgent vlcera, in quibus tumor aliquando fuerit exortus, paulloque post desierit, humorque ille aliò decurrerit videamus materiam modò posteriora, modo anteriora corporis nostri obsidere: si posteriora occupat, conuulsiones protinus oriuntur; si anteriora vel caput, vel pectus, vel intestina maxime vexabunt; si caput inuaserint, insaniam; si pectus, lateris dolorem; sin intestina, dysenteriam concitabunt. Sæpissime verò obseruamus materiam illam à calore vel digeri, & dissolui, vel planè exputrescere. si putrescit pus, descendere cum vrinis permixtum animaduertimus; quod signum bonum est, & materiam maturationem capere ostendit.

Quando inordinatim mouet natura, & quæ anteuertunt iudicia, ac quid magnum indicium, & magnum sit symptoma. CAP. VI.

ANTEVERTERE verò Iudicia προκρίνεσθαι Hippocrates dicere solitus est, non nunquam perniciosum est: namque ea, quæ alere possunt, cum iis, quæ aduersantur, aliquãdo expelluntur, quod maxime euenire obseruamus, cum natura vehementius vexatur, & exagitatur, & ab iis quæ in corpore sunt, & ab iis, quæ extra. Foris sunt medicus, qui aliquando neque recte, neque ordine quædam præscribit. Ægrotus, pueri atque cetera, quæ propriè extrinsecus assumi dicuntur. In corpore morbi ipsi; eius causæ, & accessiones stimulos admouent: cogita iam tale quid naturę accidere, quod hominibus imbecillioribus aliquando con-

do contingere solet, vt à robustioribus vexati, necessitateque coacti hostes inuadant, sed cum in paratos plerumq; incidant; nullo negocio victi cadunt. Quid? onus susceptum abiicere dum baiulus studet, non ne sæpe inuitum cum eo concidere videmus? iam verò contentè currens non ne omni studio sese sustinere conatur, cum tamen inuitò atque ingratis è procliui se ipsum aliquando præcipitet in conualles? Cuncta hæc exempla ad mala iudicia rectè trãsferri & accommodari possunt: namque vbi natura se corroborauit, exultat, effrenatè effertur, ac denique ruit. Has iuniores medici ὑπερκρίσεις appellare solent, in quibus natura ad iudiciale remedium conuersa se ipsam reuocare non potest. At pestiferorum morborum iudicia, vt morbi consistant, expectare minime solent, aut rarò; sed plerumque aut in ipsius morbi impetu, aut statim inter principia hominem iugulant. Maximæ fiunt humorum profluuiones cum vires robustiores sunt, & morbus crudior: natura enim quamuis sua vi validior humorum emissionem planè moderari nequit, quòd materia ad maturitatem nondum producta sit. Quamobrem vnum ex iis, quæ naturam lacessunt, ipsa morbi accessio est, quæ nec quiescere, nec diutius eam morari sinit, sed continenter irritat, commouet, & quasi bellum indicit. Huc accedunt morbi forma, celeritas, magnitudo, causæ, copia eorum, & magnitudo, quæ morbos consequuntur, quæ trito iam vocabulo *symptomata* vocantur, & denique ægrotantis corporis constitutio. Magnitudo verò symptomatum quemadmodum morbi, alia est, secundum ipsius symptomatis naturam; alia est quatenus ad ægroti vires vel ægritudinis rationem comparatur. illa ex eorum facultate & dignitate maxime intelligitur, quæ diligenter cognoscenda est; namque hæc non re, sed cogitatione tantummodo distinguuntur, percipiuntur, probantur. hæc ex eo-

tum collatione cum viribus ægrotantis, vel morbi vi nullo negocio intelligitur. Dignitatem appellamus (vt ita dicam) auctoritatem & vim quandam, quam nos ipsi cum in iudiciis, tum vero in quibusdam aliis casibus illis adiungimus, cum propter magnitudinem motus, & mutationis, quam in morbis moliuntur; tum verò quòd eorum quasi opera summè necessaria est, eaq; carere omnino non possumus. Facultas verò ex propriis eorum, quæ indicant essentiis, qualitatibus, ac gradibus colligitur, eorum autem essentia ex propria vniuscuiusque forma intelligitur. Formam verò, qualitatem & gradus signorum paulo post persequemur. Quare in signorum generibus, quæ alterum altero dignitate & viribus anteire aliquando testamur, sic accipi volumus, vt dignitas vim, pondus, momentum valeat. Magnum enim febrium indicium venarum pulsum esse dicimus; propterea quòd ad eas cognoscendas multum habet ponderis; eiusmodi enim est, vt quantus quantus in corde calor (cuius planè fons, & origo illud est) inclusus sit, perspicuam admodum det nobis significationem. Libere spiritum ducere in morbis magnum atque adeo maximum indicium est, quod planè viribus excellit; magnas enim vires ad salutem demonstrandam obtinere videtur. Symptomata præterea maioribus prædita esse viribus, cum in diebus iudicialibus superueniunt, nouum non est. Magnitudo verò symptomatibus duplex solet accidere, & quæ ex symptomatum genere colligitur; quæ communis omnibus est, & quæ propria, suaque ipsius symptomatis est; etenim & quia tale symptoma præ ceteris sollicitos nos habet, & quia maius multò ortum est, cuncta alia obscurat, & obruit. Sin id paruum sit, satis est illud cum reliquis coinunctim conferre. Parua vero & exigua signa si consequantur die, quæ

iudicia

iudicia afferre ſolent, vt VII. XIV. XVII. fidiſſima illico euadunt, tametſi antea parua fuerint.

Cauſſæ celerioris iudicii, & tardioris.

CAP. VII.

IVdicia vero differuntur, & prorogantur contrarias ob cauſſas; ob morbi ſcilicet formam, tarditatem, cauſſas minus acriores, ſymptomatum aut inopiam, aut paucitatem, & denique ægrotantis habitudinem. Morbus igitur ad iudiciũ rapitur vel celeriter, vel tarde, vel aperte, vel obſcure. In natura & morbo vires ſunt aut firmiores, aut infirmiores. Protrahunt iudicia morbi illi, qui longiores appellantur, nullam prope morã interponunt acuti; hi enim celerius mouentur, illi vero tardius. Celeris vero vel tardi motus in morbis ſigna ſumuntur ex morbi ipſius magnitudine, cauſſis tempore acceſſionum, anni tempeſtate, regione, ætate, corporis totius temperie, & habitu, nec non ex iis, quæ proſunt, & nocent. Ex eorum præterea, quæ excernuntur magnitudine, quantitate, qualitate, modo, loco, & tempore. Magnitudo morbi intelligitur principio ex hominis natura, etenim ſi ſenem febris inuaſit, morbus continuo magnus dicitur, quod ſenes frigidiores ſunt: deinde ex ſenſu acuto, vel obtuſo, vel hominis, vel partis; poſtremo ex totius ac ſingularum partium robore, atque imbecillitate: etenim & ſi materia copioſa non fuerit, febrem tamen accendit; quoniam in loco imbecilliori conſedit, qui ſi virtutum naturalium præſidio tutus fuiſſet, eam aut concoxiſſet, aut reſoluiſſet, aut plane depuliſſet. omitto illud Galeni, magnitudinem morbi maxime colligi aut ex læſæ functionis dignitate, aut ex propria affectus eſſentia, aut ex virtute & poteſtate eorũ, quæ corpus affectum regunt, ac moderantur. Ex cauſſis vero hoc pacto cognoſcitur morbi motus; nam ſpiritus, ſanguis bilis

acutos ac celeriores morbos gignunt: pituita vero & atra bilis longiores & tardiores. Acceſſionum partes ſi præcurrunt, ſi diutius durent, ſi incitatius moueantur, conſiderandum, nam quæ ante occupant, & incitatiores ſunt, & diutius hominem cruciant, breuiorem morbum reddunt; quæ vero longum faciunt, & ſedatiores ſunt, & minus ægrotos angunt, & moram faciunt acceſſiones. Tempus, tempeſtas, regio, ætas, corporis conſtitutio calidior acutos morbos maxime inuehunt: contraria vero qualitate prædita longos adducunt. Corporis habitudo idem declarat, namque (vt Hippocrates teſtatur) ſi quis ſit ardentiori febre correptus, corpusque eius minime emacreſcat, longioris morbi certiſſimum ſignum eſt. Ea vero, quę proſunt & nocent, ſigna ſunt breuioris, & longioris morbi; nam ſi quæ ægrotos leuare debent commodi plurimum afferant, morbus longius minime ducetur, ſin contra acciderit, iudicii dies proferetur. Iam vero tempus, in quo concoctiones apparebunt, ſpectandum; ſi enim ſtatim & inter ipſa initia & in die, quæ iudicia prænunciet, notæ maturitatis ſubſequentur, cito morbum finiri debere oſtendunt; ſin contra euenerit, eum longum eſſe coniiciemus. Ex eorum, quæ effunduntur, quantitate, modoque idem cognoſcimus; ſi enim pauca & paulatim emittantur, & ſi ſemper eadem profundantur, morbi diuturnitatem ſignificant, ſin multa confertim, facileque extrudantur, & diutius durarit humorum effuſio, breuiorem oſtendent ægritudinem. Breuioris quoq; morbi argumenta præbent calida, quam frigida; quæ vno, quam quæ pluribus prædita ſunt coloribus, craſſiora, quam tenuiora; quæ deterius olent, quam quibus minor fœditas odoris acceſſit; & quæ ſine crepitu, quam quę cum ſono erumpunt. Vrinæ, quæ encorema habent quod genituram repræſentat, celeritatem morbi indicant. Lienis tumor, aut alicuius partis vehemens dolor inter

morbi

morbi principia protinus ortus celeritatem morbi demonstrat. Quod si sanguis è nare, quæ è directo posita est, eodem die profluxerit, celeritatem maximam ostendet. Vrinæ turbatæ vna cum dolore idem confirmare solent. Locus item non modo per quem effusio fit, idem patefacere solet, etenim locus idoneus, insignis, communis, & κατ' ἐξοχὴν positus, patens, vt nares, os, aluus, vesica, aures, breuioris morbi signa sunt. Verum etiam in quo humores intus coierunt; etenim pulmo, thorax, & arteriæ cum asperiores, tum leniores, & cor, & os, & nares humorum commutationes, maturitates, profusiones minime protrahunt. at in iecore, intestinis, atque in iis venis, quæ ad ventrem pertinent, humorum maturitas, & superuacaneorum depulsio longius multo producitur. Præterea vero multa loca, per quæ humor erumpit, impetum morbi minime tardabunt, pauca longius illius tempus demonstrant. Tempus tandem profusionis, tanquam cumulus quidam accedit: nisi enim die iudiciali, aut quæ illa pronunciant superuacua profundantur, impetus morbi trahetur; sin contra obtigerit, morbi tempus longius non habebunt ægritudines. Iudiciorum exitus ignoti sunt, cum signa non conueniunt, & obscura sunt, & natura imbecilla est; aut cum morbus in vexanda natura stimulos admouet. Incerta quoque iudicia ea sunt, quæ signa contraria obscurãt, quæ aut numero vincunt, aut dignitate antecellunt: namque vt in aliis signorum generibus sic, & in iis, quę futura præmonstrant, nõ solum numerum, verum etiam eorum facultatem & dignitatem maxime attendere debemus. Ea illustriora iudicia sunt, & faciles habent explicatus, quibus contraria signa tenebras non afferunt, & natura valida minime à morbo irritata vnquam est. De signis autem iudiciorum obscuris & pellucidis paulo post disseremus.

De naturæ, & morbi imbecillitate, & quo pacto vtrumque cognoscat.

CAP. VIII.

NVnc vero de naturæ & morbi robore, & imbecillitate pauca dicamus. Omnia penes naturam esse intelligimus, cum facultatem habeat mouendi morbum vt vult; idque cognoscimus ex propriis naturæ functionibus, cuius singularis & præcipua in materiæ maturitate opera est; nec non ex optima earum partium temperatione, à quibus cęteræ particulæ vim suã obtinent, vt iecur, cor, cerebrum. Pulsus autem venarum inter cetera diligentissime perpendendi sunt; de quorum ratione ita cumulate scriptum est, vt egregie parata & eloquentissime explicata cuncta habeamus. Languentes vero naturæ vires esse solent, vel cum à materiæ multitudine plane oppressæ videtur, vel cum protinus consumptę, ac exhaustę. opprimuntur abinstrumentorum ægritudinibus, inflammationibus, scilicet, scirrhis, tumorib. & humoribus, qui aliquo modo cõputruerint. infringuntur ciborum inopia, morbi malignitate, animi perturbationibus, dolorum intolerabilium magnitudine, ac diuturnitate, & deniq; immodicis humorum emissionibus. Neque vero inter morborum initia ambigi potest, vtrum naturæ vires attenuatæ sint, an obrutæ, & oppressæ; etenim opprimi quidem possunt, at imminui, debilitarique minime possunt. Morbi vero firmitas, & robur cognoscimus ex morbi specie, magnitudine, symptomatib. motu & denique materiæ cruditate, quæ qualia sint explicare nunc minime operæprecium esse arbitror: nam ea nota & apud omnes peruulgata esse video.

Cæterum hac in re minime ignorandum quod quamuis morbus natura robustior sit, non continuo naturam imbecillam esse intelligi volumus. Nam vt in pari

pari gladiatorum certamine quamuis alter altero superior sit, non continuo hic ad resistendum imbecillis est, tametsi cum altero minime comparandus: sic in naturæ, morbique veluti pugna euenit aliquando, vt morbus quidem valentissimus sit, cum tamen natura tam firma sit, & valida, vt facile morbo resistere, ac repugnare valeat: quę res cum in multis ęgrotorum historiis clare eluceſcet, tum vero illustrior multo apparebit in Mulieris ægritudine, quæ in Mendaciûm foro lecto tenebatur. Illud quoque obseruandum, quod vires valentiores in morbis salutaribus; imbecilliores vero in pestiferis morborum celeritatem incitant: contra firmiores in pernicioſis, infirmiores vero vires in morbis salutaribus ægritudines retardant.

Multa præter opinionem accidere in morbis.

CAP. IX.

MVlta vero prętер opinionem cum in aliis artibus, tum in re medica exercēda quotidie euenire obseruamus, quæ & medicum perturbare, & fallere sæpe solent; non modo enim aliquando videmus ægrotos inter morborum initia cum peste ac pernicie ægrotare, in eorumque ægritudine signa pessima notari, quę tertium malorum gradum tenent: dein in eorum incremento, vbi humores præter spem maturitatem cōsecuti sint, malum ad salutem illico conuerti, verum etiam multos nonnunquam animaduertimus, quibus, cum salutem plane exploratam esse putaremus, paulo post exigua in spe animam trahere. Sed non hoc tantum, sed etiam quam multos dies grauiter habere perpendimus, eum repente præter spem, rationemque satis belle se habere, cui quamuis ex morbo mors paulo post consequatur, tamen medicos sæpe imperitos fallacibus signis à veritate abducunt. Hæ autem παράδοξαι μεταβολαὶ à Græcis appellantur, à nobis mutatio-

nes admirabiles, præterque opinionem horum cauſſa diligenter perquirenda, cognoſcendaque eſt; ſine qua nihil non modo in his, quæ ratione tractantur, verum etiam in illis quæ contra atque ratio ipſa poſtulat, adminiſtrantur, abſolui perficique poteſt. Illas vero nonnunquam, cum natura frangitur, & concidit, vt ſupra diximus, ſæpe cum eadem recreatur, ac ſe erigit, conſequi ſolere animaduertimus; cui ſi vires ſuppetunt, morbum pulcerrime depellit; ſin vires amiſit, omnis ægroti ſalus prorſus deſperata eſt. In Herophontis caſu ſeptimo quid potiſſimum efficere poſſet natura, quæ morbum deinceps eſſet abſterſura, plane oſtendit. At in muliere, quæ in Mendaciûm foro afflicta languebat ad lectum, IX. cuncta leuiora conſecuta ſunt præter opinionem, cum in eo morbo proximæ mortis, indicia certa numerentur, & tandem VI. ab eo caſu dies finis vitæ mulieris fuit: Clazomenius commodius ſe habuit propter multam alui citam proluuiem. Qui vero poſtquam febri correptus fuit, cænauit. VII. febre laborare viſus non eſt; quoniam impetu & conatu naturæ ſedato ſe ipſam amplius erigere nõ potuit. In Hermocratis ægritudine XI. XIII. & XX. præter opinionem cuncta ſe remiſerunt, cum tamen XVII. morbo plane mortuus fuerit. Caluus præter opinionem tertium diem vidit nam cuncta mortifera ſigna ſecundo die potiſſimum conſecuta ſunt. Quare minime conuenit medicum ab ægroto diſcedere propter ægritudinis diuturnitatem, nec ægrotum in diſcrimine relinquere propter ea, quæ præter opinionem aliquando ſuperueniunt. Illud interea mirum alicui videri poteſt quid ſit, quod cum totum ægroti corpus plane intendatur, notamus ſæpe non nullas partes maxime frigere, frequenter in morbis acutis vrinas ſupprimi obſeruamus, quod veſica frigore plane frigeſcat. Hoc ſane diluit partis ipſius (vt ita dicam) idoneitas quædam & aptitudo; non enim

cuncta

cuncta in corpore nostro ad eandem naturam, & vnum & idem effectum percipiendum facta sunt.

Quid signum, quid symptoma, & signorum quædam certa, quædam incerta, & quæ signa iudiciorum, & quæ bonorum iudiciorum. CAP. X.

IVdicia autē cognoscimus tum signis, tum symptomatibus. Signum est, quod sensibus nostris occurrit quod aliud quippiam obscurum significat. Signum autem cum eo quod ab ipso ostenditur, aliqua ex parte coniungi, connectique necesse est: etenim si ab alia causa excitetur, non ex morbi essentia oriatur, ægritudinis morem nullo modo poterit indicare. Ergo signum nunquam abest, & semper cum re significata coniunctum est. Symptoma vero est illustre, & expressum interioris morbi, à quo manat, & fluit indicium, quod nunc accedit, nūc recedit. Symptomatum nonnulla causas, nonnulla locos affectos, quædam facultates ostendunt. Multa autem quotidie in ipsis ægrotis occurrunt tum signa, tum symptomata, quæ diligenter à medicis distinguenda sunt, & singula perpendenda, vt non solum quæ signa, vel quæ symptomata sint vel ad salutem, vel interitum, facile dignoscere possimus; verum etiā, vt ex quo emanant, quę communiter euenta appellamus, nullo negocio animaduertere possimus. Signa potissimum sumuntur ex ea virtute ac facultate, quæ in periculum adducitur; ea vero colligi solent ex morbi materiæ concoctione & cruditate, ex vrinis scilicet, sputis, & alui sordibus. Huc accedunt signa faciei, & ea quæ sumuntur ex colore, figura, iacentis habitu. Respiratio quoque & somnus inter signa aliquando aggregantur, ob id ipsum, quod cum optima sint, concoctioni perpetuo inhærent. At vero, quæ aliunde pendent atque ab alia, quam quæ in periculum venit virtute assumuntur, euenta

appellare ſolemus: vt cordis dolor, labri inferioris tremor, abſceſſus, difficultas reſpirandi, vigiliæ, præcordiorum contentio, inſania, tenebræ iactatio: quæ tametſi ei virtuti, quæ vel vitam præſtat, aut ei, quæ animæ domicilium eſt, aut illæ, quæ naturæ ſedes propria eſt, perpetuo inhærere ſoleant, tamen quoniam in morbis non omnes protinus periculum ſubeunt, idcirco cuenta appellantur; quoniam vel omnia, vel plura promiſcue, communiterque vnamquamque cum in periculo verſatur, virtutem ſubſequantur: & morbis ingraueſcentibus (ſcilicet cum inter morborum principia materia nondum maturitatem aſſecuta eſt) apparent, quę merito cruditatis quoque eſſe ſolent haud obſcura indicia, ac veſtigia. Perpendenda præterea ſigna maligna eſſe demonſtrant, vt ſitis, vigiliæ, anxietas, iactatio, vomitus, ſudores, & ſi quæ alia ſunt, quæ periculum quidem oſtendere, at ſpem ſalutis minime adimere in noſtro medico Apparatu demonſtrauimus. Signorum quædam certa, quædam incerta ſunt. Certę notæ appellantur, quæ rem, cuius notæ eſſe dicuntur, minime dubitanter aperiunt. Incerta vocamus, quæ ambigua ſunt, ex quibus certam coniecturam efficere non poſſumus. Hæc à Græcis ſimpliciter σημεῖα, illa vero πεκμήρια appellantur. Quemadmodum enim duplices ſunt rerum naturę ex quibus medici futura prænunciant; oratores vero aut probant aut perſuadent, vnæ neceſſariæ, alteræ vero non neceſſariæ. Item veluti quædam obſeruatione empirica, quædam rationali conſecutione, quæ plane demonſtratio eſt, comprobantur; ita & nomina diuerſa rebus inter ſe maxime diſcrepantibus imponere antiqui voluerunt. Certa ſigna ſumuntur ab iis morborum ſignis, quæ quaſi mores ægritudinis oſtendere ſolent, non ab iis, quæ iudicia prænunciant; multo minus ab iis ſymptomatibus quæ à cauſſa extrinſeca non à corporis ægritudine excitantur; hæc enim nullam certam habent præſagitionem;

tionem, illorum duo esse genera iampridem traditum est: etenim quędam tantummodo signa sunt, quędam vero signa & causſæ iudiciorum. Ea igitur signa vera & certa sunt, quæ sumuntur cum ex iis virtutibus & potestatibus, quæ potissimum corpus nostrum regũt, ac gubernant, quæ tres sunt. Prima in iecore, altera in corde, tertia in cerebro inclusa apparet, vnde *naturales, vitales, & animales virtutes* vulgo appellantur; quorum robur & firmitas maxime perpendẽda est; in quibus concoctionis, & cruditatis signa continentur: tum vero ex iis virtutibus, quæ in vnaquaque particula fusæ & abstrusæ sunt, quibus vel continet, vel retrahit, vel mutat, vel propellit natura, quæcumque vel superuacanea sunt, vel alere possunt. Maximeque ea vis perpendenda est, quæ reprobat, quæ aduersa sunt; etenim si in inferiores partes humores directo extrudit natura, non est verendum, ne morbi exitus alius, atque volumus, futurus sit; humorum enim à superioribus ad inferiores partes directo trãslatio, nisi si paulo post recurrerint (recurrere vero solent, aut quod pars illa humores omnes plane capere, aut quod eosdem sustinere ac pati minime possit, atque id indicat naturam quidem extrudere conatam esse, sed præ imbecillitate plane omnia nequisse, quod deterius esse solet eo, quod minime apparet) tantum habet momenti, ac (vt ita dicam) auctoritatis, vt pessima, mortiferaque signa aliquãdo plane obscuret; naturam enim viribus morbo antecellere demonstrat, hostemque frangi posse maxime sperandum est. Secundum locum obtinet signum illud, cum humores longissime à partibus ægritudine affectis, hoc est à morbo propelluntur, & ad inferiores, extremasque magis partes detruduntur; nam si cum mediocribus signis id acciderit, optimum euadet, sin cum malis, naturæ tantummodo conatum indicat. Quod si humores ad cutim propellantur, æque magnum indicium non est; reuiuiscentis enim

atque à fluctibus, quibus vehementius iactatur, aliquando emergentis naturæ nota est. Quod & obseruauit Hippocrates in Perintho; tubercula enim illa in cute excitata culicum morsus maxime referentia naturæ robustioris expulsiones erant; namq; mulierum, quibus hæc superuenerunt, nullas plane periisse testatur. Natura vero rursus sæpe opprimitur, atque obruitur, quod in Sileni historia, & alibi sæpe obseruauimus. quid quæris? maligna omnino indicia non sunt, at malorum humorum profusiones vulgo habentur. perpendendum autem, num natura cuncta superuacanea ad exteriores partes extruserit, an etiam corpus vitiosis humoribus completum, ac refertum sit. Id vero, quæ excernuntur nullo negocio indicabunt, quod Hippocrates quoque tradidit. Cum fauces nos male habent, aut tubercula in corpore excitantur, alui sordes spectare oportet; nam si bilioſæ fuerint, corpus continuo non satis commode se habebit; si vero sanis similes, corpus ali tuto potest: corpus enim malis humoribus extrusis, bonis protinus abundabit. Euenta autem, quæ iudicia & indicare & afferre solent, nihil certi, nihil aperti, nihil perspicui patefaciunt, tantum iudicium futurum pronunciãt, quod fit repentina mutatione cum magna corporis agitatione, vexationeq; adeo, vt præcipuum futuri iudicii signum esse testetur idem Hippocrates. nox, quæ illud antecedit, minime tranquilla, vigiliæ, dolores, lacrymæ, tenebræ ante oculos obortæ; & si qua alia sunt, quæ plura esse haud nescimus. Id autem accidit, aut humorum eruptione, aut abscessibus. Quod profusione humorum exercetur iudicium, aut sanguinis profluuium, aut vomitus, aut sudor, aut alui illuuies, aut hæmorrhoides consequuntur: bonum vero an malum id futurum sit, ex huiuscemodi signis intelligere nemo potest: cõstat enim huiuscemodi iudiciorum exitus incertos esse, aliquando calamitosum exitum habent, aliquando vero optabilem.

bilem. Quare res ipsa satis (vt arbitror) aperte demonstrat, notas illas, quæ ex infirmitate, roboreque corpus nostrum gubernantium facultatum sumuntur, maius multo habere pondus, quam quæ ex iis euentis sumuntur, quæ iudicia præcurrunt. Concoctio enim breui iudicium futurum declarat, optatam & expeditam securitatem significat: Cruditas vero & immaturitas aut ad abscessus recidit, aut iudicia extinguit, aut morbos prorogat, aut dolorem & mortem affert, aut ipsorum morborum recidiuas minitatur. Quapropter quæ ex euentis, quibus iudicia præcurrunt, signa sumimus, iudicium quidem futurum præmonstrant, sed vtrum exitum felicem, an exitialem in illis expectare debeamus, plane non ostendit. Quam rem mirifice concoctionis indicia patefaciunt: quæ iudicii nullam (si modo ratione ipsam ad veritatem reuocare volumus) dant significationem, sed prænuncia dumtaxat sunt mortis aut salutis. Signa vero, quæ præcurrunt iudicia, futuras quidem humorum profusiones aut abscessus demonstrant, sed ex euentu quoque signa sunt aliquando minime dubia, quibus dispicimus, quid in iudiciis caiturum sit. At sudores, vomitus, sanguinis & vrinarum profusiones, alui sordium eruptiones, signa quidem iudiciorum sunt, & causæ, vt aut morbus depellatur, aut naturæ vires plane concidant; at iudicia continuo neque bona, neque mala sunt. Vtrum enim iudicium ægroto salutem allaturum sit, an eius desperata salus, ex aliis signis intelligimus. Principio quidem ex dictis iam concoctionis notis, deinde perpendendum, num antea ægrotus mente constaret, ciborum cupiditas semper seruata sit, ex facili respirarit, facile morbum tulerit, venarum pulsus perpetuo bonus fuerit, facies sanis simillima, iacentis habitus optimus, totiusque corporis tandem æqualis temperies, namq; si ea

præcesserint signa, terrere ea nos minime debent, quę superueniunt: etenim vnica die, ac nocte sæpe euanescunt. Incerta quoque signa sunt, quibus contraria aut plura, aut maxime insignia tenebras offundunt, atque de illorum fide maxime detrahunt, quæ medicos nullo negocio fallere possunt, nisi si diligenter cuncta animaduerterint, quæ res in ægrorum historiis clarius eluceſcet.

Quædam dubia, quædam aperta signa esse.

Cap. XI.

PRæterea signorum, ex quibus iudicia cognoscimus quædam dubia sunt, quędam aperta. Aperta & dilucida signa sunt, quæ admistione dubiorum quasi liberata, pura, integra & sola sunt: quæque ex omni signorum copia idem significantium sumuntur, plurima, certissima, eaque quorum fides in iudiciis, viribusque naturæ & morbi patefaciendis maxime spectata, & perspecta est. Dubia sunt, quæ difficiles explicatus habent, aut propterea quod minima sunt, aut quod pauca, aut quod ambigua, incerta & fallacia sunt, quæ cum in iudiciis apparent, medicus se protinus sustinere debet; etenim si nihil est, ex quo certe præsagire aliquid possit, satius est tacere, quam temere aliquid prænunciando falli & errare. Quapropter sequentes dies expectare oportet; in quibus aliquid euenire necesse est, quod cuncta illustret ac patefaciat: etenim si in acuta febre cętera salutaria signa apparuerint, iudiciumque diutius differri non posse animaduerteris, venter pauca reddiderit; nox minime tranquilla antecesserit; venarum pulsus rigorem futurum indicet; vrinæ retentio apertum rigoris signum est, idque certissimum, immutabile atque perpetuum indicium est. Quod si venter plura deiecerit, signum illud dubium erit, minimeque fidum, perpendendumque merito

merito est, num cito venter consistat: namque si illius fluxio diutius perdurarit, rigor minime expectandus est. Menstrua ferri debere in iudicio haud obscuræ notæ sunt; summa quædam lumborum grauitas, dolor, tensio, nisi si aliò humores transeant. Aperta iudicii nota illa est. Quorum iudicium exercetur, iis nox grauis antecedit. Et ea. caput dolenti & circumdolenti pus, aut aqua, aut sanguis profluens ex naribus aut ore, aut auribus morbum abstergit. Dubia signa sunt illa. Hi potissimum insaniunt, quibus in dextera corporis parte contentio præcordiorum mollior sentitur. & ea. in quibus abscessus oculos occupaturi sunt in ardentibus febribus, iis maxillæ rubent, & sanguis ex naribus profluit. Necnon & illa. Febres ardentes, in quibus labiorum exulceratio consequitur, semper (quod ad tactū pertinet) absterſas illico diceres. Item quædam insignia & maiora sunt, quædam obscura & minora. Insignia sunt & maiora, quæ sumuntur ex vrinarum, sputorum & eorum, quæ venter reddit, maturitate aut cruditate; necnon in morbis cerebri, ex eorum quæ ex naribus, auribus, oculis profunduntur, concoctione, & denique ex iis, quæ ex illis partibus sumuntur, quæ in corpore obtinent principatum, vt iecore, corde & cerebro. Obscura & minima sunt, quæ ex ægroti decubitus ratione sumuntur, ex eiusdem iactatione, sudore, colore, & ex iis, quę cadauerosam faciem inducant;

Compressæ nares, nasi primoris acumen
Tenue, cauati oculi, caua tempora, frigida pellis,
Duraque. —

Quædam fida, quædam infida.

Cap. XII.

DEinde quędam fida sunt, quędam infida. Fida sunt, quæ securitatem præstant, & recidiuæ metum

omnem expellunt, tales concoctionis & maturitatis notas esse antea diximus. Infidis vero apparentibus varii & grauiores casus superuenire solent, imminetque semper recidiua. Iis igitur, quæ in morbis acutis præter rationem leuant, fidem habere non oportet: nec contra terrere ea nos magnopere debent, quæ præter rationem mala afferũt, huiuscemodi enim quam plurima infida sunt, & permanere, atq; perdurare diutius non solent: etenim cum morbus vehementior hominem occupat, qui illico lenior factus sit, nulla vel sudoris, vel vomitus, vel alui sordium, vel sanguinis profusione corpore vacuo facto, nullis præterea concoctionis signis apparentibus; huiusmodi tunc morbi lenitati plane confidendum non est. nec si præter rationem difficulter spiritum ducat, aut deliret, aut vehementer febre fuerit conflictatus, aut magno rigore correptus æger, nullus animum perturbare metus debet: namque hæc infida sunt, tantumque abest vt mali quicquam prænuncient, vt bonum quoque interdum iudicium quam primum subsecuturum significent, nisi si cruditatis notæ subsint. Atque non hæc tantummodo præter rationem accidere dicimus, verum etiam, quæ aliter in morbis ac ratio dictat, succedunt, vt in Thaso iis euenit, qui cum destillatione ab acriobus humoribus concitata laborabant, & siti minime vexabantur. Quod tametsi perditæ nonnunquam sit virtutis indicium, tamen præter rationem id accidisse dicimus; quoniam cætera, quæ subsequebantur indicia, mala non erant. Quare vehementer reprehendendi sunt nonnulli, qui cum mali aliquod leuamen, præter spem accidere vident, continuo lætantur, quasi tunc primum ægrotus ad sanitatem perduci videatur, tametsi ex antecedentibus tum signis, tum symptomatibus pernicioſis minime fidum malorũ leuamentum futurum facile prænunciare possimus. Nesciunt illi malorum leuationem protinus fieri, cum naturæ interitus

teritus appropinquat, & calor naturalis plane extinguitur. Ergo minime fidendum si ab ęgroto cum mortiferis notis, aut sine signis, id est, præter rationem febris aliquido decedat; quanto enim pernicioſioribus antegressis signis melius se habere videntur ægroti, tanto morbus magis pestiferus est.

Quædam eiusdem generis, quædam eiusdem speciei, quædam neutra. CAP. XIII.

POstremo quædam ὁμωνύμη vocantur, quæ sub vno ægritudinis genere continentur; quædam vero ὁμοειδῆ appellantur, quæ eiusdem speciei morbum indicant; quædam vero neque genus vnum, neque speciem eandem habent. Pluribus autem eiusdem generis vel speciei signis coaceruatis non modo species vel genus affectus certius cognoscetur, verum etiam eius magnitudo perspicietur. etenim si insaniæ coma adiuncta fuerit, ea cerebrum male habere demonstrabit, certiorque nostra erit cognitio; affectus vero maior continuo videbitur: cum autem, & ex naribus sanguinis stilla accesserit, iam non certiorem, sed perfectam & absolutam cognitionem nos habere censendum est. Cętera vero etsi ad morbum ostendendum plane inutilia esse videantur, & ad prædictiones conscribendas, tamen eorum cognitio maxime necessaria est, cum de morborum exitu pronunciare volumus; id est, cum perpendere volumus, vtrum commode, an pernicioſe æger se habebit. Tunc enim medicus cuncta, quæ in corpore apparent, signorum & symptomatum genera perpendere necesse est: in curationibus morbi naturam, quem curandum suscepimus, prænoscere oportet, in prædicendo signorum vel propriorum, vel eiusdem speciei, vel generis coaceruatio facienda est: nisi enim ea, quæ quandam habent inter se societatem, cõiunxerimus, morborum prognostica vera esse non possunt.

In acutis certas non esse prænotiones.

Cap. XIIII.

IN acutis vero morbis non omnino certæ prænunciationes sunt, tum ob subitam in iudiciis humorũ, qui morbum concitant, mutationem, tum ob eorundem ad alium locum expulsionem. in humoribus etiã, qui permixti sunt, ἀνωμάλως consequuntur iudicia, id est, inconstanter & turbide. celerrimi autem in illis motus sentiuntur, qui tametsi ab humorum natura & consuetudine, qui morbum faciunt, longe non discedant, tamen vix credas, quam celeres sint. Vix principium aliquãdo morbi numerabis, cum eius iudicium instare videbis. Pleuresi vix aliquis correptus ad pulmonem subito materia expellitur. Multos ego vidi angina occupatos (quod malum principia partium, quæ vitam præstant, obsidere solet) quam dum leniorem factam speras, ad pulmonem protinus recidit, hominemque continuo iugulat. Præterea Peripneumonia mortifera vexato repente excitato in cruribus abscessu morbus abstergitur, & è contra, humoribus in parte aliqua, quæ nullo fere in honore apud medicos est hærentibus, nihil mali subesse videtur; interea accidit aliquando, vt illico sub ipso iudicio ad primariã & nobilissimã aliquam partem extrusa materia illa perniciem protinus afferat. Humorum enim tanta est aliquando mobilitas, leuitas, ac (vt ita dicam) fluxibilitas, nec nõ & in natura virium roboris tantum aliquãdo est (cum tamen vix, ac ne vix quidem appareat) vt in prognostico cuiuis effugere ac vitare offensionem minime liceat: huc accedunt meatus minime laxati, quos permeant, penetrantque huiusmodi humores, qui oculis, ac sensu percipi non possunt, quod reconditiores sint: quamobrem cum ea res difficultatis plurimum habeat (quam enim in partem inclinatura materia sit à

medico

medico præsentiri minime potest) vigilandum minimeque leuiter à nobis laborandum, ne admoniti peccemus, labamur. Qui medici simus, & quanti ipsa declarabit in huiusmodi morbis præsentio, quemadmodum ancipiti prælio cum pugnatur, partæ victorię prima, summa, ac maxima denique gratulatio est, quòd eius iudicium difficillimũ fuerit; sic & in dubio morbi, naturæq; pugnæ euentu sanitate recepta medici quos in præsagitionibus nihil planè præteriit, quòd difficile iudicium antecesserit, inde maximam laudem colligere solent. Si peccabimus, Hippocrates ipse nos vindicabit, quocum melius superioribus seculis omnino actum non est. Qua propter paululum expectare, nosque ipsos sustinere debemus, ne quid prius prænunciemus, quàm quæ solent esse mutationis humorum indicia, ac vestigia præcurrerint. Illa verò sunt, calor, color, grauitas, dolor, & pulsuum doctrina subtilior: etenim si cutis color, aut calor commutetur, prurigoque protinus accedat, indicabit humorum ad cutim eruptionem. Quid dolor? nonne vbi dolor, ibi protinus morbus concitari semper solet? at nos cunctando, quę humorum mutationem præmonstrant, ac præcinunt, aut contemnimus, aut ab alia causa ea pendere posse probabiliter disputamus; cum tamen Hippocrates nihil vnquam in morbis contemnendum esse scriptum reliquerit, nihil enim quod à natura planè recessit, facile est; etenim si eam ægritudinem paruam esse affirmaris, illius fortasse curatio difficillima erit, & si grauissimam ægritudinem rectè perpenderis, tutissimam reperies. Iecur vel lien paruo sane dolore affligitur, dum id nihil esse dicimus, inflammatio augetur, dolor increscit, febris magis ac magis vrget. Inflammationem tamen continuò præter opinionem accessisse dicimus, cum multa, eaque minime vulgaria natura signa extulerit, vt humorum magnum motum protinus expectandum esse minimè ægra cogitatione assequi pos-

ſemus, modo id diligenter animaduertiſſemus. Quid ergo cenſes, inquies; Auctor ſum, vt in morbis curandis lente minime agamus; Simulac aliquid interuenerit, cõtinuò meditata omnia habeamus incommoda, quæ ægrotus accipere poteſt, cuncta verò extimeſcenda ſunt cum omnia tuta tranquillaque in ægrotis ſunt, tunc cuncta oportuna morbo ſunt, nullum ſymptoma quamuis paruum extenuãdum. Somnum non vidit hac nocte ægrotus, caue dixeris, interdiu forte dormiuit; ſed hoc tibi præpoſitum ſit, quod ſi ægrotus bilioſis humoribus maximè affluat, capitis dolore afficiatur, vrinę deſcendant perlucidiores, aut in illis nihil omnino ſubſideat, fieri poſſe, vt ille delirio corripiatur. Dolet iecur, lien, colligite, meditere accuratius, num ad illas partes humores affluere atque illabi facile poſſint. Poſt aures cutis rubet, malæ & oculi rubeſcunt, humores commoti quorſum euadere poſſint diligentius cum animo noſtro tractandum eſt. Quamuis enim cuncta minime adſint ſigna, quæ adſolét certa, perpetua, pathognomica; ſcrupulos tamen omnes, quoad potes, de illo ſymptomate, quod ſubſequutum eſt, quod ceteri tantopere contemnunt, eximè, laborantibus partibus opem aliquam affer, eas confirma, fulci; incipientis enim ægritudinis prognoſtica ſigna, propriæ notæ ſunt iam factæ ægritudinis, quæ vel cum incipit, vel cum facta eſt, ex muneris functione affectæ partis, & ex iis, quæ non modò in ea notamus; verum etiam ex iis, quæ extruduntur, facile à nobis cognoſcetur. Hæc ſi reputabis, cogitabiſque, nihil te poſthac fallet; morbus exitum habebit cum animo tuo congruentem. In morbis enim, qui omnino optimi & qui deterrimi non ſunt, alia quoque indicia expectare oportet; namque ex illorum notatione, atque obſeruatione quid futurum ſit, nullo negocio apparebit. Methodicos interea irrideamus, qui perfectum tantummodo morbum agnoſcunt, nihil præterea; quod

medicum

medicum incertis ſuſpitionibus irretiri nolint. Verùm quemadmodum optimi agricolæ naſcentes herbas, imperitos verò grādiores vix cognitas habent, ſic methodicos perfectos tantummodo morbos perſpicere ſinamus. At clarum præſtantemque medicum, quæ nondum irruerunt ægritudines, ſed quæ oriri & excitari vix incipiunt, egregiè tenere poſtulemus. Qui προγνώμων dein merito à nobis appellabitur; quod mente, & ratione ad ſedem affectam, vel ægritudinem cognoſcendam, vel ad iudicium prænunciandum pronior ſit.

Signorum differentiæ & bonis, & malis adiungi poſſunt, & magis, & minus ſuſcipiunt; & magna, & parua, & multa, & pauca ſunt.

CAP. XV.

SIGNORVM prædictorum differentiæ cum bonis, tum malis ſignis adiungi facile poſſunt; nam certa ſigna cum bona, tum mala eſſe poſſunt, dilucida, inſignia, fida, & bona & mala eſſe poſſunt. Atque notæ omnes magis & minus eſſe & dici poſſunt: eodem modo magis & min⁹ inſignia, aperta & fida dicuntur; quidam enim gradus dantur inter ſingula ſigna, qui gradus diligenter à medicis obſeruandi ſunt, & memoriæ mandandi, vt quoad eius fieri poſſit, certam de morborum euentis coniecturam facere valeamus: maiorem enim fidem habemus illis ſignis, quæ ex loco affecto emanare videntur, quàm illis, quæ extrinſecus accedere videmus: nec non concoctionis notis plurimum tribuimus; ſecundo loco humorum ad inferiores partes ſecundum rectitudinem trāſlationi. At non hoc tantum, verùm etiam eorum magnitudo, & copia perdiſcenda eſt. namque ſi parum certa de morbi exitu diuinatio erit, animaduertendum, quæ numero, quæ dignitate indicia vincant ac ſuperent. Quæ res nō modo in præſagitione, verum etiam in morborum ac ſedium affectarum inueſtigatione ſummopere ob-

seruanda est: nam cum anceps de morbi exitu coniectura esse videtur, tunc ad signorum tum facultatem, tum dignitatem, tum numerum respicere protinus debemus; pauca enim & magna (vt ita dicam) æstimatione digna, multis ac minimis anteferri solent. Multa verò paucis, quorum æqua sit auctoritas semper ferè anteponuntur; & minima ad maxima adiungere, attexereque debemus, vt ea expressiora, illustriora rataque reddamus; illorum enim additamento cuncta certa, explorataque fiunt. Certa, aperta, insignia. fida pluris apud nos esse debent, quàm incerta, dubia, obscura & infida. Cuncta verò diligenter perpendenda sunt, nam (vt Hippocrates scriptum reliquit) perituros ac conualituros pueros, atque alios ex signis omnibus coniicere oportet, veluti sigillatim de singulis perscriptum est. Hoc quamplurimi audientes planè non intelligunt: cum enim aliquod indicium prauum in morbis superuenire vident, vitamque ægrum producere obseruant, inane illud ac futile signum esse clamitant, & bonis apparentibus indiciis ægroto extincto falsum esse Hippocratem exclamant: qui nunquam animaduerterunt, interdum à multis bonis indiciis malum vnum magnum vinci: & è contra, à multis malis vnum bonum, quãuis magnum sit, facile frangi solere.

Indiciorum vires, magnitudinem, & naturã conferre debere; neque bona cum bonis tantum, verum etiam bona cum malis. CAP. XVI.

NEQVE verò etiam sat est notarum vires, magnitudinem, numerumque cognoscere, verùm etiam eadem conferre inter se oportet; sunt enim quædam praua, quæ alia aliis maiora sunt, aut minora, quorum vires verbis quantum possumus distinguenda sunt, quod Hippocrates egregiè præstitit, qui quædam pernicioſa quædam valde pernicioſa, quædam pernicioſissima vocauit. In bonis item quædam salubria simpliciter

pliciter appellauit, quædam magni momenti esse dixit, nonnullis admodum ad iecit. plus est enim, si scribatur magni admodum momenti esse, quàm si simpliciter dicas, magni momenti esse aliquod indicium. cum autem omnia indicia vel bona, vel mala sunt, difficile non est futura prædicere, nec non si bona malis & plura & maiora apparuerint, ægroti salus omnibus explorata erit: si mala plurima & maiora quàm bona, spes nulla salutis erit. At cum iudicia mixta fuerint viribus ac facultatibus propè paria, tunc medico exercitato opus est, quique in re medica exercenda ea sæpenumero notarit atque obseruauerit. Neque igitur tantummodo vires iudiciorum, quæ inter se similitudinē quādam habent, conferre debemus, vt bona cum bonis, sed etiam bona cum malis: namque huiuscemodi collatione ea quoque, quæ præter rationem superuenerint, cognoscemus. quod idem Hippocrates luculentè hisce verbis tradidit. Necesse est eum, qui recte prouidere debet, qui ab exitio liberari possunt, & qui minus tuti videntur, nec non qui morbi diuturniores, qui breuiores sint, signa perdiscere, eorumque vires expendere ac distinguere, quemadmodum nos de vrinis, sputis, nec non de his, qui aliquando simul pus & bilem ex pectore expuunt, ceteriscq; aliis distinximus. Principiò enim cognosces, quæ nam signa præter rationem superueniant; deinde minime extimesces; postremò vnde orta sint, & ad quidnam indicandum nata, aptaque sint, patefacies. Etquiras enim necesse est, num vna præcipua pars in corpore affecta sit, an morbus humores, qui in venis comprehenduntur, ac concluduntur, occuparit. Deinde quæ nam potissimum virtus in periculum adducatur, vnde exitium ægroto comparetur: etenim, superius ostensum est, tria esse quæ corpus nostrum regunt ac moderantur. Postremò eius virtutis bona, & mala indicia expectanda sunt. Fac enim esse vim illam ac potestatem, quæ à cerebro

fluit minime affectam esse, nec non corporis partículas alias nullas laborare, totius autem morbi fontem atque originem esse, febrem ex putrescentibus humoribus ortam. Si igitur inter principia huiusmodi ægritudinis in vrinis bona apparuerint indicia, ægrotus interire eo morbo nullo modo potest. quapropter quãquam aliquod superueniat signum, quod metum afferat, non modò terrorẽ non incutiet (quod quàm pluribus medicis euenire solet) sed etiam iudicium præcurrere censebis: si etenim, & ægris aliquando capitis dolores cõsequuntur, insaniunt, ob eorum oculos tenebricosa, aut flaua quædam versantur, illorum acies hebetior redditur; ventriculi dolor subsequitur, difficultate spirandi vexantur, præcordia contenduntur, morbo ad exitum properante: præterea venter reddit malis moribus prædita multa, ex pectore & ventriculo eadem ꝓfunduntur, extrema quoq; quamuis nigrescentia, & fere intermortua sint, timendum tamẽ non est huiusce mali, qui futurus sit exitus; namq; sæpe numero huiusce modi humorum emissionib. ægroti facilius spirãt, magis appetunt, meliꝰ dormiunt, dolor lenitur, ac citius pristinã valetudinẽ assequuntur, firmioresq; tandẽ euadunt; eaq;, quæ excernuntur, manifestã dant significationẽ corpus sentinã eiicere, naturamq; præter spem prælio morbum superasse. Pone nunc cęteris partib. minime affectis cerebri tantummodo tenuem membranã inflammatã esse. Si inter initia morbi vrinæ crassiores sint, & in iis multa & crassa subsideant, aluusq; biliosa reddat, somniq; paululum accedat; tametsi æger vocẽ vix excitare possit, colli dolor adsit, febris exardescere videatur, obtutumq; oculorum fixum aliquo habeat, lingua aspera, sicca, tremula sit; insomnia manifesta, sputa frequentiora accedant, cum tamen nihil cõsputent, vigiliæ minime tranquillæ, vomitus æruginosi, surditas, iactatio superueniant, mingere verò minime recordetur, tamen numquam prædicam

dicam hiſce caſibus ægrum vitam protinus finituram. Exiſtat etiam aliquis, qui lateris dolore grauius conflictetur; is ſi ſputum protinꝰ mixtum ruffo quodam appareat, vel cum ſanguine admixtum, quod nullo negocio expuat, & ſpiritum ex facili ducat, extimeſcere magnopere non debemus febrem, quæ in dies magis ac magis intendatur, inſaniam, iactationem, linguam nigram, ruborem faciei, & alia, quæ ægrotos mirifice affligere ſolent. ea enim pugnæ ſumma contentione pugnatæ ſigna ſunt. Vrinæ vero turbatæ & alui magna illuuies haud dubia nobis præbent argumenta naturam pernicioſam ſentinam exhaurire, iamiamq; hoſte profligato victricem fore. In ſuppurationibus ſi ex pectore expuunt leue, album & vnius coloris ægroti, tametſi febris protinus nõ conquieuerit, cibi faſtidium, potioniſq; deſiderium etiã nunc vrgere videantur, venter minime coacta reddat, vrinæ rubicundiores ferantur; tamen ſpes eſt hominẽ ſaluum fore; tanta eſt illius ſigni virtus ac facultas, cui cætera meritò cedunt, ſubiectaq; ſunt indicia. Quintum etiam adiiciam exemplum, vt res ipſa fiat illuſtrior. Eſto aliquis, qui dyſenteria oppreſſus deiiciendi maxima cupiditate vexet, febris in dies aggraueſcat, cibi nullum ſit deſiderium, aut potius illius ſummum faſtidium, ſitis vrgeat, præcordia videãtur inflammata, quæ dolorẽ etiam afferant, ſi huius coacta magis venter reddiderit, in eoq; ille perſeuerauerit, ſanari æger facile poterit. Id enim indicium eſt maxime certum, inſigne, fidum, eiuſdemq; cum morbo generis. Talia verò ſunt, & illa quæ vel ex humorũ morbos generantiũ ad inferiores partes tranſlationib. vel ex concoctione & cruditate ſumuntur, ad quæ perpetuò reſpicere ac recurrere debet, quicunq; rectè atq; ex præceptis artis in morbis præſagire deſiderat. neq; verò neceſſe eſt ea hoc loco iterum inculcare, præſertim cum illa ab hac tractatione maxime ſeiuncta, remotaque eſſe intelligamus.

Iudicii futuri, & præteriti notæ.

CAP. XVII.

ERGO in omnibus morbis, in quibus materiæ maturatio anteceſſerit, & moderatè & tranquillè ægroti morbum tulerint, quamuis horror eos repente corripiat, vehemens febris vrgeat, delyrium, anni defectio, iactatio ſuperueniat, de ægroti tamen ſalute deſperandum non eſt: ea enim minime maligna ſunt indicia, ſed iudicii paullo poſt futuri certæ notæ: etenim natura humores eam excruciantes, cum egregiè viceriit, maturitatemque abſoluerit, quicquid inutile eſt, ac ſuperuacaneum, tunc ſecernere ac ſegregare protinus conatur. Id ſi præſtat nullo negocio cognoſci poteſt, cum ex præteritis, tùm ex morbi genere, magnitudine, tempore, & denique ſuperuacaneorum ordine, quantitate, & qualitate. Ex præteritis ſi perpendemus, num ſigna emiſſionis humorum anteceſſerint. Ex morbi genere, ſi qui humores morbum excitarint, accuratius cogitabimus. Paruus morbus magnam humorum effuſionem ferre nequit, ſin magnus fuerit, morbi tempus ſpectandum, in ſtatu enim humorum profuſiones plerumque proſperos habere ſolent exitus. Inter initia verò & in incrementi principio exitiales. Perpendendus præterea ordo effuſionis, etenim ſi ſudor per totum corpus æqualis eſt, bonus; ſin inæqualis, pernicioſus. Quantitatem attendimus hoc pacto. etenim modicus ſudor bonus eſt, immodicus verò malus. idem de alui illuuie, ſanguinis ex naribus effuſione ſentiendum. in iudiciis humorum profuſiones exiguæ eſſe nullo modo poſſunt, etenim ſi morbum abſtergere debent, exiguas eſſe qui poſſunt? Exiguæ humorum depulſiones peſſimæ ſunt, & indicant aut materiæ copiam, quæ à natura propter eius acrimoniam diutius ferri minime poteſt, aut naturæ infirmitatem, quæ quidem conatur materiæ copiam, qua premitur,

premitur, expellere, at præ imbecillitate planè, quod voluerat, præstare minime potest. eædem verò repente defectæ profusiones pessimæ sunt; defectio enim ipsa cum per se periculosa sit, tum verò si subitò superueniat, spem omnem salutis tollere videtur: magna enim id ex causa pendere necesse est, quam & metuere & attendere diligentissime debent medici. Qualitatem verò considerabimus, num sudor calidus sit tenuis, vel frigidus, & malè olens. humores si tales extruduntur, quales maxime debent. His accedunt præsentia: etenim pulsus creber, imbecillusque in iis, qui commode minime sudant, reperitur; ægroti frequenter respirant, iactantur, animum despondent, eorum vox tenuior est, faciei color ex rubro pallidus fit. Rectè autem atq; ordine sudantibus contra erectior pulsus est, respiratio facilior & lenior, symptomata imminuuntur, & ipsi ad somnum procliuiores sunt ægroti, & coloratiores, læti denique & erecti ad sanitatem recuperandam.

Iudiciorum diuisio. CAP. XIIX.

IVDICIORVM quædam imperfecta esse, quædam absoluta, quædam infida, quædam fida, quædam periculosa, quædam tuta, quædam obscura, quædam manifesta, quædam sine signis exercentur, quædam cum signis bonis, quædam denique bona, quædam mala esse nemo ignorat. Imperfecta sunt quæ morbum omnem planè non depellunt. Infida seu incerta, cum morbi recurrunt. periculosa, quæ cum grauioribus symptomatibus exercentur. obscura, quæ eduntur sine humorum emissione, aut abscessu manifesto. sine signis ea fieri dicimus, quæ à nullo antea die præmonstrata sunt. mala, quæ ægris perniciem afferunt. contra absoluta sunt, quæ morbum planè abstergunt. fida, in quibus morbi nunquam recurrunt, tuta in quibus exitum habet morbus absq; periculosis symptomatibus.

manifesta, quæ habent aut insignem humorum emissionem, aut certè abscessum. Cum bonis signis illa eduntur iudicia, quæ prænuncii dies antea significarunt. Bona autem, quę & ad sanitatem ægrotum perducunt. Et morbi formæ respondet eiectio. Illud hac in re minime prætereundum, quod accidere persæpe solet, vt in aliqua sede affecta materia maturitatem capiat morbi totius, materia nondum concocta. Etenim Stratonacti qui apud Heracleum habitabat, & Scymni fullonis ancillulæ, tumores, qui post aures excitati sunt, ad suppurationē perducti sunt, cum tamen vterq; paullo post vita migrarit. In vno & eodem quoq; morbo euenire aliquando potest, vt vna & eadem materia, vno & eodem in loco exputrescente tota simul maturitatem minime assequatur: sed pars tantummodo quædā maturitatem percipiat, pars vero longe absit a concoctione: quod in Herophontis historia obseruauimus, qui non IX. sed XVII. die planè iudicatus est. In heterogeneis humoribus, quos aliquādo febres continuas, & malis moribus præditas concitare videm⁹, sæpe notamus morbo minime senescente, cōcoctionem alterius humoris vrinam nonnunquam repræsentare, alui vero sordes minime maturitatem assecutas fuisse: etenim fieri potest, vt qui in venis meseraicis humores concluſi sint, concocti minime sint, qui vero conuexum iecoris occuparunt, maturitatem perceperint. Et si materia, quæ putrescit, partim tenuior, partim crassior sit: si in principio putrescat ea quæ crassior, deinde ea, quæ tenuior est, morbi accessiones semper increscēdo antecedunt: tenuior enim humor citius multo incenditur: sin pars tenuior primo exardescit: deinde pars crassior, accessiones tardius occupant: materia enim crassior, tardius inflammatur. Ea res plerumq. peritos etiā medicos fallit, qui cum materiæ pars quædā maturitatem cœperit, totam concoctam esse arbitrantur, & frustrà sperant morbum depulsum esse, cum tamen acrius aliquando

quando vrgere & premere ęgrotãtes videamus. Quid? nonne multiplicibus morbis aliquando ægroti affliguntur, qui non vno & eodem tempore iudicia subeunt? Hoc apertè admodum in ea muliere, quæ in littore lecto tenebatur, animaduertimus: etenim cum febris, qua grauiter affligebatur, v. die depulsa fuisset, alio morbo, qui neruosum genus potissimum occupauit, XIIII. planè liberata est.

De indiciorum viribus. CAP. XIX.

HIs prędisis indiciorum vires expendamus, & quantum studio & diligentia consequi possumus, tentemus à malis bona, pestifera à salutaribus secernere ac distinguere: verbisque eorum vires, quæ tum qualitate tum magnitudine continentur, præcipue & sigillatim notare, designare, atque illustrare aggrediamur. Qualitatem signorum appellamus eorum bonitatem vel malitiam: Quantitatem verò cum vel magis vel minus bona, aut mala vel sunt, vel certe pronunciant. cuncta verò hæc signa similitudinis, vel dissimilitudinis methodo inuenta ac reperta sunt, quod ipsemet Hipp. inter initia libri Prognosticorum egregiè tradidit. Principiò quidem ægroti facies considerari conuenit, an similis sit iis, qui bona vtuntur valetudine. De hac verò via ac ratione multa scripsimus cùm in nostro Medico apparatu, tum verò in primo nostrarum Defensionum libello. Plura reperiuntur in nono de Placitis Hippoc. & Platon. Quædam in lib. De Regno apud Platonem in extrema propè pagina. omnes enim scientiæ cum similibus, tum dissimilibus, cunctis propositis, in vnumque collatis vnam quandam formam speciemque constituunt, quam ideam ille appellare solebat. nunc verò pauca hæc, quæ ad hunc locum maxime pertinere videntur persequamur. Similitudinum igitur ac dissimilitudinum quædam facillimam habent cognitionem, quædam verò difficilem.

Illa nullo negocio cognoſcuntur in morbis perniciosis. Vrinæ nigræ & in viris & mulieribus peſſimæ ſunt. In ſalutaribus verò morbis, bene & facile ſpirare magnum momentum habet ad ſalutem ægrotorũ præiudicandam. & vrinæ optimæ ſunt, in quibus ſubſidet album, lene, ac æquale aliquod. Illa multò difficiliorem obtinent cognitionem. Supinum iacere manibus & collo & cruribus porrectis minus bonum eſt. At ita iacere ſolent multi, qui grauiter non ægrotant: noſti tu huius ſæculi imbecillitatem & mollitiem. oculi ardentes, vox, quæ clangorem habet, & in ventrem iacere nullo negocio medicum fallere poſſunt: quidam enim ita cubare conſueuerunt: nonnulli vocem (vt ita dicã) clangoſam habent; multos noui quibus a natura tributus eſt oculorum obtutus vehemens, feroxque. Hæc à medicis diligenter conſideranda ſunt, ne in huiuſcemodi ſignis, quæ ordine ſtatim diſtribuemus, dignoſcendis, turpiter decipiantur. Sunt enim quædam proprietates corporum, hominumque ſine quarũ notitia non facile quicquam in futurum præſagiri poteſt. duplex enim natura humano generi tributa eſt, altera cõmunis, quæ regit & gubernat vniuerſos; altera verò, quæ propria vniuſcuiuſq; eſt, & hoc ab illo ſeiungit ſegregatque moribus, conſuetudine, doctrina, vocis ſono; ex iis, quid vtique in vnoquoq; morbo euenturum ſit, prædicendum: cui igitur hæc noua non ſunt, hiſce adiungenda ſunt & morborũ genera: etenim ſæpenumero in quibuſdam morborum generib. à certis quibuſdam aëris tempeſtatib. concitatis, vulgóq; homines occupantibus hæc potius quàm illa ſigna vel ſymptomata vel conſequuntur, vel ſalutem prænunciant: & quæ modò peiora, grauioraq; erant, modò leuiora, tandem meliora euadunt. id commode in peſtilentibus morbis obſeruamus, quorum putredinis genus aliud atque aliud eſſe quotidie videmus: tametſi ab iiſdem prorſus aëris qualitatibus excitatum ſit, quibus in

morbis

morbis ac febribus in præsagiendo alia via & ratio ineunda nobis non est, atque illa, quam reperit Hippoc. quaque vsum fuisse nouimus Galen. & Hipp. notare scilicet illis tempestatibus debemus diligentissimè naturam & signorum & dierum, quæ cum iudicia afferunt, tum verò eadem præcurrere solent: & eorum vim ac dignitatem (vt supra posui) accuratiss. perpendere, quod & perpetuo præstitisse Hippo. obseruauimus. Ergo ea quibus iudicia cognoscimus aut similia sunt, ac dissimilia, vt scriptum reliquit Hippocrates. Signorum quædam simpliciter bona sunt, quædam mala, quædam media. Primum igitur veniant in medium optima signa; ea enim quæ pro hominum salute scribuntur ab optimis signis, quasi auspiciis principia ducere debent.

Magni momenti, optima, placidissima, commodissima, meliora. CAP. XX.

Signa valde magni momenti ad salutem.

BENE autem, & facile spirare valde magni momenti ad salutem præiudicandam in omnibus morbis acutis, quos febris consequitur, & XL. diebus iudicia subeunt, censere oportet. Huic adiungitur ciborum appetentia. Vrinarum color bonus, humorum copia laborantibus maximum signum est; cum verò crassiores non sunt, diuturniorem morbum fore indicant. Plus est si scribatur magni admodum momenti esse aliquod signum, quàm si simpliciter dicas magni illud momenti esse.

Optima.

Optima, quæ ἄριστα Græce vocantur signa, perpetuò vnum aliquod ostendunt, aut certe rarò fallunt. Et cum iis, quæ desperatum hominem esse significant, esse minime possunt, quin ne cum iis quidem, quæ mortem subesse pronunciant: namque fieri no potest,

vtambo ſimul eidem inſint; etenim ſi alterum in vno reperitur ægrotante, alterum ſubſiſtere nullo modo poteſt.

Cuncta verò in morbis hoc pacto perpendere debemus. Principiò quidem ægroti faciem conſiderare conuenit, an ſimilis ſit iis, qui bona vtuntur valetudine, præcipuè verò an ipſæ ſuæ ipſius ſpeciem gerat, inſpiciendum, quæ ſi illi par, ſimiliſque eſt, optima meritò appellabitur facies. Facies autem aut viriditatem, aut humiditatem amittit; & aut triſtitia, aut ſollicitudinibus, aut facultatum imbecillitate defloreſcit. Cubantem ægrotum offendi à medico oportet in latus aut dextrum aut ſiniſtrum, manibus collo, & cruribus paullum reductis & toto corpore modice flexo, qui ferè ſani quoque iacentis habitus eſt. Optimè autem cubare dicuntur ægroti cum ſanorum iacentium habitum imitantur. Sudores optimi habentur in acutis morbis, qui in diebus iudicialibus profunduntur, & febres protinus depellunt. Præcordia optima ſunt, quæ ſine vllo doloris ſenſu ęqualiter mollia in vtraque parte ſunt. Ex ſuppurationibus hæ optimæ ſunt, quæ in exteriorem partem feruntur, quæ paruæ ſunt, & quàm maxime foras delatæ. Quæ verò in interioribus partibus erumpunt, optimæ ſunt, quæ nihil habent commune cum exterioribus partibus, ſed ſunt contractiores, & dolores minime afferunt; & tota exterior pars vno & eodem colore prædita eſt. Pus verò optimum eſt, ſi eſt album, æquale, leue, cuique nulla odoris fœditas acceſſerit. Optimum eſt corpus, quod æqualiter molle, & calidum eſt. Quòd autem ad ſomnos pertinet quemadmodum ſecundum naturam conſueuimus interdiu vigilare, noctu dormire oportet. Ea, quæ aluus profundit, optima ſunt; ſi mollia, ſi coacta, ſi eodem tempore extruduntur, quo ſecunda valetudine ægrotus aſſueuit. Quod ad copiam verò attinet, conuenientia eſſe oportet iis, quæ aſſumuntur.

Quod

Quod si talia emitti contigerit, inferior venter sanus erit. flatum sine sono, & crepitu exire optimum est. Optima vrina est, in qua, quod subsidet album, lene, æquale sit, idque perdurauerit, donec morbus iudicium subierit; indicat enim optatam securitatem, & morbum fore breuem. Inter ceteros autem, hi maxime superstites relinquuntur, quos febris eodem post puris eruptionem die dimiserit, & qui citò cibos appetiuerint, & à siti vendicati fuerint. Quod si venter eorum pauca & coacta reddiderit, & pus album & lene, & eiusdem coloris superuenerit, præterea vero à pituita liberum, & sine dolore ac tussi vehementiori edatur, bellissimè hac potissimum ratione, ac celerrimè ad sanitatem ægroti reducuntur: ceterum in pulmonis inflammationibus magnis & periculosis, abscessus, quicumque in crura descenderint, vtiles sunt: optimi vero sunt, qui, dum sputum maturescit, oriuntur: etenim si tumor & dolor superuenerint, hominemque male habuerint, sputo pro ruffo purulento reddito, ac extrudatur, æger incolumis & saluus seruabitur, & abscessus sine vllo doloris sensu celerrimè auferetur.

Placidissima.

Placidissima, quæ à Græcis εὐπαθέστατα appellantur indicia, lenem & facilem morbum indicãt, facillimam quartanam, cum scriptum reliquit Hippoc. Leniss. interpretamur. Lenis autẽ faciliſq; morbus ille est, quẽ nullo labore, leniterq; ferunt ægrotantes, nam febres, quæ continenter affligunt, vsque ad iudicia molestiis ac solicitudinib. miserrimos nos habent: quapropter tristius feruntur, & merito implacidæ vocantur. Placidissima signa cum iis, quæ desperatum hominem etiam significant, minime superuenire solent; quin ne cum iis quidem, quæ mortem subesse ostendunt: etenim fieri non potest, vt hæc quæ aduersã sunt, simul eidem insint. Hippocrates vero placidissimis

signis opponit horrendiss. quæ vocant, veluti securissimis maligniſſima.

Etenim placidiſſimæ & maxime ſedatæ febres, & ſignis, quæ ſecuritatem præſtant, fultæ quarto die deſinunt aut citius.

Securiſſima, ἀσφαλέστατα.

Hippoc. noctu ſomnum capere, dolore minime vexari, ex facili expirare ſigna vocat quæ maximam habent ſecuritatem, eaque inter bona quoque aggregari ſolent.

Securiſſima verò omnium & facillima & longiſſima eſt quartana, non modo enim ſua vi talis eſt, verum etiam alios quoque magnos morbos planè abſtergit.

Securitas, ἀσφάλεια.

Optima vrina eſt, in qua quod ſubſidet album, lene, æquale perdurauerit, donec morbus iudicium ſubierit. indicat enim optatam ſecuritatem, & morbum fore breuem. Concoctiones celeritatem iudiciorum certamque ſanitatem portendunt.

Vitalia ſigna inter hæc non numeramus, quòd Galen. Zeuſim, eiuſque ſectatores, qui eam particulam, quæ VI. De morb. v. poſita eſt, ſuſtulerint, laudarit. Signa vitalia contraria, tota autem ſic ſe habet ſententia, ſignum mortiferum eſt cum calidus vapor per cutim erumpit, modò nares prius frigidum ſpiritum reddiderint, quæ neque in omnibus ægrotis, neque omni tempore vera eſſe comperimus.

Commodiſſima, ὠφελιμώτατα.

Vomitus commodiſſimus eſt, ex pituita ac bile quàm maximè permixtus, & non valde craſſus, neque multus.

Meliora, κρέσσω.

Melius eſt flatum cum ſpiritu edi, quàm in ventre retineri ac diſſolui: in omni morbo partes circa vmbilicum ac pectinem craſſitudinem habere melius eſt,

βέλτιον,

βέλτιον, cum medicamento vero plures, peioresque quam eorum, quæ venter profudit, colores reddi melius est, ἄμεινον. sputa, quæ dolorem leuant, cæteris, quę ante diximus meliora ἀμείνω. Phimata, quæ acuta sunt, in exterioremque partem maxime feruntur, tument, ac omni ex parte matureſcunt: atque nulla ex parte dura: deorsumque minime vergunt, bifariamque non distribuuntur, meliora. Et vrinæ pallidiores crassioresque meliores.

Securius, ἀπραλέστερον. Securius autem est tumorem in angina & ruborem quam maxime foras inclinare. Delirium, quod cum risu ægros occupat, tutius.

Valde prodest, κάρτα ὠφελεῖ, Sputum autem flauum sanguine mistum non multo, si in pulmonis inflammatione inter morbi principia edatur, valde prodest; euenit autem iis, qui tumores duriores, & qui dolores afferant, in præcordiis habent, priusquam viginti dies pertranseant, vt in prima circuitione sanguis è naribus profluat & quidem valde prodest: nonnulli codices, admodum, habent.

Bona, salutaria, superstites, vtiles, conducit, soluit.

CAP. XXI.

BOna, ἀγαθά. Bonum signum appellamus, non quod eo superueniente continuo æger ad sanitatem peruenturus sit, sed quod sua vi hoc aliquid est. & quæcumque simpliciter bona sunt, sæpius talia esse videmus. Bona cum mortiferis & pernicioſis, nec nō cum iis, quæ longitudinem morbi demonstrant esse possunt, tametsi bona sint ex iis, quæ certa, insignia & maiora indicia esse diximus; atq; sumantur ex iis viribus, ac potestatibus, quæ corpus totum regant, ac gubernent. Boni autem sudores sunt, qui æqualiter per totum corpus erumpunt, illisque fit vt facilius multo morbum ferant ægrotantes.

Nubeculæ vero, quæ in vrinis innatant, albæ, bonę sunt. Perpendendum in vrinis, in quibus nubeculæ innatant an summa petant, an potius in imum deferantur, nec non quibus coloribus præditæ sint; illæ, quæ deorsum feruntur cum prędictis coloribus bonę sunt, ac laudandæ. Signa autem bona hæc sunt: facile ferre morbum, ex facili spirare, dolore minime conflictari. materiam nullo negocio ex pectore expuere, corpus æqualiter calidum esse, & molle, siti minime vrgeri. Quod vero ad vrinas, alui illuuies, somnos & sudores pertinet, talia esse debent, qualia iampridem à nobis scripta sunt, quorum singula cum subsequuntur, scire operæprecium est, nihil ægrotis incommodi cadere posse, bona enim sunt, atq; si cuncta hac ratione concurrerint, ægroti interire non possunt. Somnus, qui insaniam depellit, bonus est. In cunctis morbis ægrotos optime sapere, & quæ imperantur, facile sumere; bonum, hoc non modo bonum, verum etiam maximum bonum appellatur. Ventrem nigra reddere bonum. Sudores febri occupato si incœperint III. ægritudinis die, aut V. aut VII. aut IX. XI. XIIII. XVII. XXI. XXVII. XXX. XXXII. boni sunt, hi enim sudores iudicia afferunt. si in febribus continuis liuida, cruenta, & mali odoris, atq; biliosa eruperint cuncta mala sunt, quæ vero commodo naturæ depelluntur aut per aluum, aut per vrinas, bona. Morbus regius si VII. aut IX. aut XIII. die ægroto febre occupato superuenerit, bonum, modo præcordia dextra molliora sint. In diuturnis intestinorum leuitatibus ructus acidus superueniens, qui prius nõ aderat, indicium bonum est. si iis, qui atra bile vexantur, & insaniũt, hæmorrhoides accesserint bonum: lippientibus si alui profluuium accesserit, bonum. si ignis sacer ab exterioribus ad interiores partes remeat, minime bonum; ab internis vero ad externa si traducatur, bonum. Angina correpto si tumor in collo appareat, bonũ, foras enim morbus traducitur.

traducitur. Lienosis, si dysenteria subsequatur bonum. Insaniæ dysenteria, aut aqua inter cutem, aut extasis si superuenerit, bonum. Quibus in ægritudinibus oculi haud inuite illacrymãt, bonum; qui vero lacrymis hument minime voluntariis malum. idem literis consignauit 4. De m.v. 6. vero De m.v. addit in acutis morbis. cumque ęgroti incommode se habuerint. at eodem 6. an multæ, paucæ, calidæ, frigidæ, crassæ denique sint, considerandum esse tradit. in magnis facies morbis si bona fuerit, signum bonum est, in paruis vero ægritudinibus contraria malum. Tumores qui recurrerunt, si nõ eundem locum occupant, boni aliquid afferunt, nec non & indicant. Faciei color bonus, & mœstitia malum. Mentis errores tremebũdi, obscuri, leniores, in quibus ęgroti facile contineantur, mali. Sunt nonnulli, qui bona signa sæpe mala inuadere, & afferre aliquando notarint.

Salutare, σώτειον Græci vocant, & non quod sanitatem afferre potest, sed quod nullo negocio curari potest, significat. Facile morbum ferre inter salutaria ab Hippoc. numeratur. igitur & cætera bona indicia hisce ex artis præceptis aggregari poterunt. Sanguinis vomitus febre minime correptis salutaris est. Alui sordes sanorum similes, si singulis diebus descenderint, sanitatem pollicentur.

Superstites, quos Græci ἀφιστομένους, & ἀφιγίνοντας dicunt, sunt qui salui sunt, morbisque quasi supersunt, incolumesque seruantur, qui salui & incolumes futuri sunt, & ex facili spirant, & sine dolore sunt, noctuque somnum capiunt, cæteraque signa, quæ maximam habent securitatem, subsequuntur. Suppurationibus correptis maxime incolumes seruantur, quos febris eodem die post puris effusionem reliquerit, cibosque citius, auidiusque sumpserint, minimeque eos sitis vrgebit. Quod si venter pauca & coacta profuderit, pusque album, & lene, & eiusdem coloris accedat,

quod ſine pituita, dolore ac tuſſi moleſtiori edatur, pulcerrime ac celerrime liberantur, quod ſi cuncta minime concurrerint, quibus proxima his contigerint, incolumes ac ſalui erunt. Sputum autem flauum ſanguine mixtum non adeo multo, ſi in pulmonis inflammationibus inter principia morbi edatur, incolumitatem pollicetur. Suppurationibus occupati, cum vruntur, aut ſecantur, ſi purum & album pus emittant incolumitatem habent. Quibus purulentum vritur iecur, hi ſi purum pus & album profundant, incolumes euadunt; in tunica enim pus continetur. in hac vero tempeſtate illis, qui ex morbis euaſuri erāt, ſigna quatuor ſanitatem prēnunciabant: etenim quibus aut ſanguis ex naribus, aut vrinę multę, in quibus multa, optimaque ſubſidebant, profluxerunt, aut venter confuſa, bilioſa ſuo tempore reddidit, aut quos dyſenteria occupauit, cuncti ex phrenitide recreabantur. Multis autem euenit, vt non vno tantummodo ſigno iudicia exercerentur, verumtamen cuncta ſimul concurrerunt, qui profecto grauius, quam cæteri affecti fuere. attamen nullus extinctus eſt: locus hic nos ſane admonere videtur, vt exemplum Hippocr. ſecuti nos quoque in vnaquaque tempeſtate ſigna notare conemur, quæ vel tutam valetudinem eſſe, vel mortem ſubeſſe teſtentur; hæc ad huiuſmodi tractationem nihil plane momenti habere dices: at hæc eadem ne in tam difficili, ac lubrica re turpiter offendamus cauſſæ ſunt, & hæc eadēm Hippoc. Galenique nomen excelſo, ſublimique loco nunquam non collocarunt. Verumtamen hæc eadem paulo ante.

Vtiles, λιπαλέες. cæterum abſceſſus in cruribus, in pulmonis inflammationibus magnis & periculoſis omnes vtiles ſunt.

Prodeſt, ὠφέλει. Cæterum præcordiorum dolores ac tumores, niſi ſi fuerint inueterati, & abſque inflammatione tollit murmur in altera parte obortus, & maxime

xime quidem si edatur cum stercore aut vrina ac flatu, sin minus etiam ipsum per se, si edatur, prodest; prodest etiam si descenderit ad partes inferiores. Sternutamenta in cæteris morbis pestiferis prosunt. Quibus vrinæ crassæ, grumosæ, paucæ, non sine febribus processerunt, vbi magna eorum copia profluxerit, tenuis deinde prodest. Quibus in surditate & torpore parua è naribus stilla consecuta est, ea difficultatem affert, vomitus his confert & aluus cita.

Siquidem naturæ vires firmiores sint, & pituita vel vtraq; bile ægrotorum corpora referta sint. hoc vero & illud medicum mouere oportet, at primum nõ modo malum, verum etiam mortiferum est.

Commoda, εὔπροσδια. Commodum est & lumbricos rotundos cum iis, quæ aluus reddit, prodire morbo ad iudicium properante.

Conducit. si vero liquida venter reddiderit, conducit, si neque paulatim, neque crebro, neque sine sono profundantur, vehementer enim laborat ægrotus, cùm assidue aluus resoluitur: etenim vi vel ingratis vigilandum est.

Oportet. At inflammata præcordia, & dolorem afferentia, aut dextras partes, magis quam sinistras affectas esse, hæc omnia obseruare oportet. Quod vero ad somnos pertinet quemadmodum secundum naturam consueuimus interdiu vigilare, noctu dormire oportet. Quinimo conuenientia iis, quæ assumuntur reddere oportet, bis terve interdiu, noctuque semel; plura vero mane, quemadmodum assueuit. Crassiora vero fieri oportet ea, quæ aluus profundit, morbo ad iudicium properante: oportet autem in omni morbo mollem esse ventrem, elatio vero eius, & altitudo mediocris. Sputum in omnibus doloribus, qui in pulmone & costis concitantur, nullo negocio & cito ex pectore expui oportet; nec non quicquid superuacaneum est.

Soluit, λύει. hoc verbum frequenter vſurpare ſolet Hippoc. in iis, quæ prorſus hominem liberant, non in iis, quæ alteram excitant ægritudinem, quæ nihilominus quam prima periculum afferat. improprie tamen hoc pacto aliquando vſum fuiſſe obſeruauimus. Cęterum præcordiorum tumores ac dolores modo non fuerint inueterati & abſq; inflammatione ſoluit murmur in pręcordiis natum, & maxime quidem ſi edatur cum ſtercore, & vrina & flatu. Veſicæ dolores ſoluit vrina purulenta, quæ albam & leuem ſubſidentiam habeat. à conuulſione & diſtentione neruorum febris ſuperueniens liberat: febrem ardentem rigor accedens depellit. Quibus in febribus quotidie rigores ſubſequuntur, quotidie deſinunt. quibus in febribus aures obſurduerūt, iis ſanguis è naribus profluens aut aluus ſoluta morbum plane abſtergit. Illi, cui caput dolet, ac vehementius affligitur, pus vel aqua, vel ſanguis per nares aut os aut aures effluens morbum remouet. Eum, quem ſingultus premit, ſternutatio ſuperueniens morbo leuat. Si aqua è venis in ventrem fluxerit, hydrope correptis morbus ſoluitur. Diuturniori alui profluuio impediti ſpōte vomitus ſuperueniens morbum depellit. Inſani quibus varices vel hæmorrhoides ſuperueniunt, ex inſania euadunt. Dolores, qui à dorſo ad cubitum deſcendunt, venæ ſectio abſtergit. tremores in febribus ardentibus ſuperuenientes delirium mitigat. Quos in præcordiis dolor vexat ſine inflammatione, iis febris ſuperueniens dolorem tollit. Si cui leucophlegmatia impedito magna diarrhœa ſuperuenerit, ea morbum remouet. Eum, quem febris à bile corripit, multa aqua calida ægri capiti ſuperfuſa, à febre liberat. Quibus iecur vehementius dolet, iis febris ſubſequēs dolorem abſtergit. Quibus inter ventriculum, & ſeptum tranſuerſum pituita includitur, doloremque affert; in neutrum vero ventrem materiæ via pateat ii per venas in veſicam ſi

conuerſa

conuersa pituita est, morbo leuantur. Quibus in meatu vrinario tuberculum concitatur, vbi illud ad maturitatem peruenerit; pusque eruperit, dolor leuatur. Sanguinis profluuia largiora ex naribus plerumque morbos abstergunt, veluti Heragoræ; quam rem medici minime animaduerterunt. Vocis gracilitatem varix depellit quæ vel sinistrum vel dextrum testem fere occupat, sine horum autem alterutro fieri non potest, vt plane tollatur. Dolorem vehementiorem, qui sedes inferiores occupat, surditas abstergit: itemque profusio sanguinis ex naribus. Insania magni morbi ex more concitati leuatio. Quos tussis sicca vrget, ea non tollitur, nisi si dolor vehemens coxas vel crura aut testem peruadat. Coxarum dolores leuatio oculorum. distortiones, cæcitates, testium tumores, mammarumque. Si febre vrgente partes faciei graciliores fiant die impari, qui dein subsequetur febrem propeller. Qui à quartana infestantur à morbo comitiali minime corripiuntur, sin aliquem prius peruaserit, superueniatq; quartana plane liberat.

Cuncta indicia perpetuo vim suam obtinere.

CAP. XXII.

ANtequam reliqua persequimur, perpẽdere oportet, num cuncta indicia perpetuo suam vim obtineant, at hoc pulcerrime traditum esse ab Hippocrate videmus, cum scriptum reliquit: Probe vero cognoscere oportet certa signa, atq; alia, neq; ignorandum, quod nullo non anno, nullo nõ tempore mala mala, & bona bonum significent. In sententiis vero hac literis mandauit. Melius in morbis cum iis agitur, quoru naturæ & ætati, aut habitui, aut tempori similis morbus est, quam quibus aliquo pacto dissimilis ac dispar est. Hæc vero minime pugnant cum iis quæ antea prodita sunt; malum enim signũ, semper malum prænunciare

ſcripſit; hoc vero loco ſimilitudinem & diſſimilitudinem adiungit. in contrariam autem naturam ſigna continuo conuerti minime tradidit, ſed magis, minuſque bona, aut mala ſignificare affirmat habita ratione naturæ, ætatis, aliarumque rerum, quæ antea enumerauimus. Quamobrem hac in re ſecum ipſe minime pugnat Hippoc. Illud vero cum iis multo minus congruere videtur, quod literis mandauit Hippoc. in iiſdem ſententiis. Iis, quæ præter rationem leuant, habenda fides non eſt: nam quanto leuius ac lenius (vbi ſigna pernicioſa præceſſerint) ſe habebit ægrotus, tanto in pernicioſiorem morbum ille incurret. Nec vero contra terrere nos debent, quæcumque præter rationem mala afferunt; horum enim quam plurima incerta ſunt; & permanere & perdurare diutius non ſolent. An euenta quædam aliquando bona, aliquando mala eſſe poſſunt; ſigna vero eandem ſemper naturam ſeruant, tametſi magis & minus malum, aut bonum ſignificare dicamus? Nam quæ bona vrinarum indicia tradidit, nunquam mala euadent; idem de ſputis, de his, quæ aluus reddit, intelligendum eſt. Item de ſignis faciei, quæ ſumuntur, aut ex colore, aut magnitudine, aut figura, aut denique ex iacentis habitu, præterea de nigris, aut liuidis partibus corporis & huiuſcemodi aliis, quacumque ratione affectis; cuncta enim vim propriam retinent; at non ſecundum magnitudinem (antea enim dictum eſt, ea maioris, minoriſq; diſcrimen obtinere) ſed ſecundum genus: nam nullum ſignum, quod in bonorum quaſi genus ſemel aggregatum eſt, à ſuo genere deficit; neque vnquam ad contrarium tranſit, modo propria & peculiari eorum circumſcriptione, terminationeque perpendantur. Hæc in diebus, quæ iudicia exercere ſolent, apparere debēt. Hinc illa. Sudores febricitanti ſi incœperint die III. IIII. VII. IX. XI. XIIII. XVII. XX. XXVII. XXXIIII. hi enim de morbis decernunt. At vero multo aliter ſe

res

res habet in euentibus; nonnulli enim difficulter ſpirant, atque inſaniunt, præcordia conuelluntur, ſplendorem, claritatemque aliquando intuentur, ob os atque oculos tenebricoſa quædam verſantur, cum ad iudicium properat ægritudo, cor dolet, labrum inferius contremiſcit, abſceſſus aut poſt aures, aut aliquo alio in loco tumor erumpit. aluus reſoluta eſt, vrinę copioſæ profluunt, quæ omnia morbo iudicium ſubeunte (vt ante diximus) accidere videmus. Nonnunquam morbis ingraueſcentibus conſequuntur, cum ſcilicet inter morborum initia apparent; etenim ſigna iudicialia, neque in principiis, neque in incremento, ſed in ſtatu morbi apparere debent. Merito igitur ab eodem Hippoc. ſcriptum aliquando eſt: Quæcumque iudicia afferre ſolent, eaq; minime exercent, aut mortem minitantur, aut difficilis morborum exitus prenunciant; mortem quidem ſi aliquod ex mortiferis, vel euentis, vel ſignis acceſſerit, difficiles vero morbi exitus habebunt, cum ſine illis ſigna cruditatis humorum diutius durarint. Præterea vero ſi illæ notæ, quæ iudicia afferre ſolent, conſequantur, nihilq; plane iuuent, ea ſigna difficilius morbum iudicium ſubiturum demonſtrãt; quod ſi eadem nocent mortifera ſunt. Iam vero quæ obſunt ſigna expreſſiora & illuſtriora efficient cætera ſigna; quæ ſi malis moribus prædita erunt, certa magis ſigna exiſtent; veluti ſi cui poſt eruptionem ſanguinis è naribus quarto die, alui proluuies nigra deſcendiſſet, extremarumque partium frigiditas, ſitis, æſtus, iactatio, vigiliæ accederent; primum ſignum illud iudiciale tantum abeſt, vt iudicium prænunciet, vt plane peſtiferum ſit.

Mala, magnum malum, prauum, praua admodum. CAP. XXIII.

MAla. Mala ſigna appellamus, non quod illis conſequentibus continuo ægrotus periturus ſit; ſed

quod ſua vi hoc aliquid ſint. neque vero aliud malum, aliud mortiferum ſignificat; etenim Hippoc. conſueuit ſymptomata illa mala appellare, quæ mortem ſolent antecedere. Quod ſi cui magis & minus hæc nomina ſignificare videantur: maius periculum mortiferum, quam malum denunciabit. quæcumq; vero mala ſimpliciter ſunt, ſæpius talia eſſe experimur. Mala ſigna ſi inter morbi principia apparuerint cum febre vehementiſſima ſumme pernicioſa euadunt. multa præterea mala ſigna ſi conſequantur, nullumque ſignum leuius ſuperuenerit, mortis timorem incutiunt: ſignaque ſtabilitatem maiorem obtinent. mali ſunt & naturæ compreſſi conatus. & mala ſunt, quæ præter morbi, vel temporum eius naturam contingunt. & mala maiori vi prædita dicuntur, cum in diebus quæ iudicia afferunt, ſuperueniunt.

Si autem lucem refugiant oculi, aut ſine voluntate lacryment, aut peruertãtur, aut alter ex his minor fiat: quæque in his alba eſſe debent, rubeſcant, aut venulæ palleant, aut nigreſcant, aut lamæ, aut ſordes in oculis inhæreſcant, aut etiam inſtabiles, aut facti humidiores ſint, aut vehementius ſubſederint, aut ſqualidi & obſcuri fuerint, aut color totius faciei mutatus fuerit; hęc omnia mala & pernicioſa eſſe cenſendum eſt, alio in loco de iiſdem ſic ſcripſit. Quibus circumtenditur palpebra malum. malum quoque & quod areſcit, veluti ſpuma. lucis quoque offenſiuncula malum. ſqualidum quoque malum: malum eſt ſi & rugæ intus fiant, nempe in tunica adnata. Mali item & concreti oculi, & qui vix vertũtur, & qui intro obtorquentur, & quæcumque talia apparent. oculorum deiectiones & peruerſiones malæ. Conſiderare quoque oportet, num oculi aliquid in ſomno appareat; etenim ſi quid albi apparuerit, palpebris non bene commiſſis, ſi id neque alui profluuium, aut medicamentum expreſſerit: aut ægrotus hoc modo dormire non aſſueuerit, malum ſignum,

signum, & valde mortiferum est. Si vero pedes quoque nudet, nec his calor subsit, & manus, & collum ac crura inæqualiter dispergat, ac nudet, malum est: anxietatem enim significat. Cæterum residere velle ægrotum in ipso acuti morbi impetu in omnibus huiuscemodi morbis malum est. At de manuum proiectione ita sentio. Ea, quæ in febribus acutis, aut peripneumonicis, aut phrenitide, aut capitis dolore ante faciem feruntur, si carpere & frustra colligere conantur ęgroti, ac festucas & floccos in vestibus euellant, & de pariete paleas deducãt, ea omnia mala & mortifera sunt. Aquæ porro inter cutem, si ex acuto morbo corripuerint, omnes malæ sunt: neque enim febrem depellunt, & magnos dolores afferunt, & mortifera sunt. caput & manus & pedes si frigida sunt, malum est: vbi & ventrem & latera calidiora reperimus. Hoc vero summe pernicioſum est, si in principio morbi cum febre ardentissima consequatur: & deterius signum est, si adolescẽti superuenerit, quam si seni. At vero aquosum valde & album, aut pallidum, aut viride, aut maxime ruffum, aut spumosum aliquod ventrem reddere, hæc omnia mala sunt. cum sordes alui spumosæ descendunt, febrem carnes sæpe colliquescere demonstrant. eorundem nonnunquam deiectio febrium incendium extinguit: interdum vero mirifice augent. Malum præterea est, & quod exiguum est, & viscosum & album, & quod subpallidum, aut subuiride, & lene est. alui sordes specie similes semper deiicere, malum. Nebulæ, quæ in vrinis apparent, albæ quidem bonæ sunt, nigræ vero malæ. Perpendere vero oportet in vrinis, in quibus nubeculæ apparent, an innatent, an in imum deferantur, & quibus præditæ sint coloribus. & quæ quidem in imum feruntur, cum coloribus prædictis eas bonas esse censendum est, ac maxime laudandas, quæ vero innatant, cum coloribus prædictis malas esse, & tales minime compro-

bandos. Si vero quod euomuit praſſini fuerit coloris aut liuidum, aut nigrum, malum eſſe cenſendum eſt. Cuncta vero putridis, ac fœtidis odoribus prędita mala ſunt. Galen. vero mortifera eſſe tradit. malum eſt & quod maxime viride eſt, itemque chlorum, & quod ſpumoſum expuitur. Malum eſt ſi nihil plane edatur, neque pulmo expectoret, ſed plenior incendatur, ac ferueat, omnia ſputa mala ſunt, quæ dolorem minime depellunt. Quippe mala ſigna his contraria ſunt, difficulter ferre morbum, ſpiritum magnum & denſum eſſe, dolorem minime mitigari, ſputum vix vi tuſſiendo edi, ventrem & coſtas calidiores habere, fronte & manibus & pedibus frigentibus. Vrinas autem & ea, quæ aluus reddit, & ſomnos & ſudores veluti tradita ſunt. Hæc igitur omnia noſſe oportet mala eſſe. In quorum vero temporibus ac ceruicibus venæ apparebant, anginæ malę erant, ſigna iudicialia ſi contrarium portendant, malum non modo ſi recurrant, verum etiam ſi priorem naturam deponant, contrariamque ſibi vendicent. pariter inter mala ſigna ea numerantur, quæ ad contraria vergunt. Quibuſcumque ſcapulæ alarum inſtar à tergo prominent propter caloris innati infirmitatem, hos ſi diſtillatio magna peruaſerit, ſiue materiam ex pectore expuant, ſiue nõ, malum. Somnus & vigilia ſi modum prætergrediantur, malum. Febricitantes vero plane leuiter, ſuo ſemper ſtatu manere, nihilque corpus emacreſcere, aut magis quã pro ratione extabeſcere, & quaſi colliquari malum eſt. Illud enim morbi productionem, hoc vero naturæ imbecillitatem ſignificat. Ex morbo liberato, beneque cibum ſumenti nihil pingueſcere corpus, malum eſt. in omni morbo à mente minime deſeri & cibi cupiditatem & ad nullos cibos, qui apponantur, offenſionem habere, bonum; cõtrarium vero malum. Et quanto plures apparuerint deteriores colores, tanto maiora impendent mala. Et quãto plures fuerint

colores

colores eorum, quæ venter effuderit vi medicamenti, minime malum est. Sanguis si ex superioribus locis profundatur, cuiusque modi fuerit, malus est. Stilla vero è naribus semper mala, vel enim indicat naturam superflua excernere non posse, vel propter imbecillitatem, vel propter sanguinis crassitiem, vel partium densitatem, vel propter quædam ex iis, vel propter hæc omnia. Quæ venter in febribus intermittentibus reddit liuida & cruenta, & quæ male olent, & bilioſa omnia mala sunt. at quæ recte atque ordine excernuntur, bona, tum quæ aluus profundit, tum quę cum vrina descendunt. Quod si quid ex iis, quæ vtilia sunt ex huiusmodi locis detrudantur, malum est. Febricitanti sudor consequens febre minime decedente malum; moram enim trahit morbus; & multam superesse humiditatem significat. Quibus in febribus morbus Regius consequitur ante septimum diem, malum. Febribus correptos si in ventre calores vehementiores, & cordis morsus vexabunt, malum. In febribus acutis conuulsiones, & in præcordiis dolores acriores, malum. In febribus si in somnis timores, aut conuulsiones accesserint, malum. In quibus vrinæ profluunt pallidæ, albæ, malæ. maxime vero in Phreneticis huiuscemodi apparent. Sanguine multo effuso conuulsio, aut singultus superueniens malum. Ex superflua purgatione conuulsio aut singultus si cõsequitur, malum. In fluxu muliebri conuulsio, aut animi deliquium si superuenerit, malum est. si in maioribus vulneribus ac prauis tumor nõ appareat, magnum imminere malum significat. Tumores laxiores boni, crudi vero mali. In longis dysenteriis ciborum offensiones, & fastidia malum: quod si febris præterea accesserit, peius est. 6. autem De morb. vul. hoc pacto, cum alias tum vero si etiã febris vrgeat. Pleuritide, aut peripneumonia correpto diarrhœa superueniens, malum. Hydropicis si tussis cõsequatur, malum; si crura illis in tumore sunt,

adiunget alio in loco. Regio morbo occupatis, iecur durius si fiat, malum. In morbis acutis cum febre quasi ingemiscentium suspiria mala. In morbis acutis frigus partium extremarum, malum; aliquando tamen magnas viscerum inflammationes sequitur quæ à crassis succis sunt excitatæ; quod si ægri à viribus infirmiores sint, certior multo erit coniectura. Cum os morbi causa est, caroque liuore decolorata est, malum. Ex vomitu singultus, & oculorum rubor, malum. In morbo diuturno ciborum fastidia, & sinceræ confecti cibi emissiones, malæ. Post multam perpotationem rigor & insania, malum. Post sanguinis profluuium insania & conuulsio, malum. Ex Pleuritide si peripneumonia consequatur, malum. In magnis æstibus ac ardoribus conuulsio ac tetanus, malum. Vulnere in capite accepto, stupor aut desipientia, malum. Ex sanguinis sputo puris expuitio, malum. Ei, qui in iocinoris inflammationem incidit, si singultus superuenerit, malum. ex vigilia conuulsio aut insania, malum. Ex Erysipelate putredo aut suppuratio, malum. Post vehementem arteriæ in vulneribus pulsationem sanguinis profluuium malum. Ex maximo partium, quę ad ventrem attinent, dolore extremorũ frigus, malum. Sanguinis vomitus si sine febre consequatur, salubre est, si cum febre, malum. Ea quæ excernuntur in febribus continuis liuida, decolorata, cruenta, biliosa, putida omnia, mala; si vero commodo naturæ profundantur, bona; eadem ratio est eorum, quæ aluus reddit; & illorum, quæ cum vrinis descendũt. Et cum aliquid extrudi debet, si id quasi è cursu reuocatum fuerit, malum est. Alui illuuies maxime rubicunda mala quidem est cunctis in morbis, maxime vero in prædictis.

Hæc est diuersi generis signorum mirifica concursatio; hoc iocinoris imbecillitatem ostendit, illa vero coma scilicet, & sanguinis è naribus stillæ cerebrum affectum demonstrant. Qui æstus in præcordiis relinquuntur

quuntur febre (vt ita dicam) in ſuperficie placata, cum interiores partes maxime incendantur, mali ſunt, cum alias, tum vero in ſudoribus.

At hi quamuis in totum corpus effundantur, praui tamen ſunt; neque ſi in ſuperioribus prorumpant partibus ferri poſſunt; quod duabus de cauſſis maxime ſuperuenire ſoleant, vel quod virtus elangueſcat, vel quod copia plane ſit oppreſſa. In Phreniticis inter initia manſuetudo; verum ſæpe locum mutare, & iactari, malum. malus quoque & frequens ſcreatus.

Nihil profecto, hoc loco, quod phreniticis proprium ſit, habet. In Phreniticis, ſi quæ venter expurgat, alba ſunt, malum; quemadmodum in Archecratis ægritudine notauimus; num & his torpor ſuperueniat? rigor vero peſſimus eſt. At illud minime perpetuum eſt, neque phreniticorum proprium: hoc vero non niſi cum morbus crudus eſt. In bilioſis ſinceris alui ſordibus ſi ſpumantes ſint, & veluti effloreſcant, malæ, cum alias, tum vero ſi lumbi antea dolore conflictantur, & ciborum huiuſcemodi reliquiæ inteſtina permearent.

At hoc contigit, propterea quod bilis acrior, & mordax eſt. In vocis interceptione ſpiritus veluti his, qui ſtrangulantur, promptus ac ſublimis, malus. Num & huiuſcemodi ſpiritus delirium præmonſtrat?

Incertum quidem eſt. Surditas & vrinæ, in quibus aliquid in imum non deferatur maxime rubræ, & in quibus nonnihil innatet, à mente deſeri ægrum prænunciat. his morbo regio occupari malo eſt; mala quoque & ex morbo regio fatuitas. His quidem vox hæret, at nihilominus ſentiunt. Puto autem depulſionem ſordium alui ſubſequi poſſe, vt contigit Hermippo, qui hac de cauſſa mortem obiit.

Hoc loco eiuſdem generis ſignorum concurſio minime continetur. Surditas in morbis acutis ac (vt ita dicam) turbulentis ſuperaccedens mala. Sudores af-

fluentes maximeque circa caput in morbis acutis, ac minime tranquilli, malum cum alias, tum si vrinæ nigræ profluxerint: & spiritus turbidus in hisce malus.

Hic vero malis signis pernicioſa quoque adiungit. Quid ergo? prænotionem multo certiorem reddit. Imbecillitates quasi propter vasorum inanitionē euenientes cum tamē nulla antecesserit humorum vacuitas, malum. Alui sordes minime depulsæ & prauæ, nigrę veluti caprarum stercora, vix vi expulsa & sanguinis ex naribus profusio in huiusmodi casu malum.

Vnica sententia totum hoc comprehendi minime potest. Quibus lumborum dolor accessit, perduratq; cum æstu, quem minime tranquille ferant ęgrotantes, iis si sudor consequatur, malum. num iis tremores superueniunt & vox vt in rigore, id est, tremula apparet?

Horum symptomatum concursationem obseruauit, quæ prorsus ratione caret. Extrema corporis, si in vtramq; partem cito versentur, malum: & sitis huiuscemodi mala. à moderato ferox responsio, mala. Oculus hebes, concretusque, fixus, & caliginosus malus. Vox acuta, quæ clangorem fundit, querulaq; est, mala: faciei color bonus, & magna mœstitia, malū. In morbis acutis bilioſis maxime alba, spumosa, & quam bilis ambit ac circumdat alui illuuies mala, malæ item & vrinæ huiuscemodi: num hisce iecur dolorem affert?

Varia permiscet symptomata. & illud extremum semper verum non est. Sitis, quæ præter rationem desinit in morbis acutis, mala est. Et vrinæ, quæ cum dolore descendunt malæ. & rubræ, quæ efflorescunt, retentæ, itemque æruginosæ malæ sunt: nec non in quibus paruæ apparent veluti stillæ. Et vomitus varii mali sunt, cum alias, tum si alter alterum protinus cōsequatur. Quæcumque in diebus, quæ iudicia exercere solent, cum summa corporis vexatione absque sudore perfrictiones consequuntur, malæ. & his si rigores quoque accesserint, mali.

Hæc

Hæc ex iis, quæ ab Hippoc. bene tradita sunt, malè collecta esse nemo ignorat. Vomitus meraci, & qui angorem afferunt, mali.

Duo hæc eruta sunt ex prognosticis. Sopor an semper malus? ignoratio cum rigore mala: mala item obliuio. Refrigerationes ex rigore, quæ rursus non calescant, malæ sunt. Immo verò pernicioſus sopor est. Si in morbo quis, postquam sudarit frigidior redditus sit, quàm natura ipsa postulet, iterumque in febrem inciderit, malum. Ex his quoque laterum æstus cum dolore, itemque rigor superueniens malus est.

Dissimilis generis signa coniungit. Æstuosi rigores aliquantum pernicioſi, & flammea facies sudoribus manantibus in his mala est.

Symptomata coniungit, quæ minime necessariò cum rigore consequantur. Sudoribus affluentibus si vigilent ægroti, iterumq; in febrem incidant, malum. Lumborum dolores si recurrerint, oculique peruertantur, malum. Dolorem pectus insidere, qui planè abstergi non possit, cum torpore, malus; hos si febris acuta, & ardentior occupabit, pereunt.

Duarum ægritudinum symptomata hoc quoq; loco coniunxit. Ceruicis dolor malus quidem certe in omni febre; at pessimum est iis, quos ne insaniant, veremur.

Generatim hoc non bene extulit: namque non omnino verum est: Quæ euomuntur si pauca bilioſaq; sunt, mala sunt, cum aliàs, tum verò si præterea ægroti somnum non capiant sanguinis stilla è naribus mala est in febribus ardentibus, in quibus illarum ardor aliquando extinguitur, aluique sordes bilioſæ, aquoſæq; affluunt, oculi denique peruertuntur, signum malum est, cum aliàs, tum verò si stupore ægroti occupentur.

Diuersorum hoc quoque loco Signorum genera congerit. Oculi vel clausio, vel confractio in morbis acutis, mala. Quibus oculi peruertuntur non absque

febre,& defatigatis rigor si superuenerit, pernicioſus; quod si torpor his quoque acceſſerit,malum.

Sub vno genere minime continentur hæc ſigna; quæ cum omnia grauiſſima ſint, quantò plura coaceruabit,tantò maius periculum ægrotis imminebit.Sanguinis profuſiones contrariis ex locis emanantes malæ ſunt, quemadmodum cum lien in tumore eſt, ſi ex dextra nare deſcenderit, atque ita ſe res habet in præcordiis;quod ſi ſudor præterea acceſſerit,deterius erit. Poſt modicam ſanguinis effuſionem,& nigrorum per aluum depulſionem in acutis morbis ſurditas ſi acceſſerit, malum. ¶ Diuerſa ſignorum genera coniungit,attamen aliquid veri ſubeſt, quod planè perniciosum eſt. Quibus ſanguinis profuſiones multæ, his temporis progreſſu aluus afficitur, niſi ſi maturiores procedant vrinæ. Vrinæ quæ in his, quibus poſt aures abſceſſus concitantur, citò, parcéque conſequuntur, malæ ſunt,nec non ita perfrigerari malum eſt. ¶ Auctoris quędam obſeruatio eſt,quæ planè ſingularis eſt. Suppreſſa cum rigore vrina mala. ſubſidentia in his, quæ aluus reddit, limoſa, ſubliuida, præſertim cum ægrotus torminibus vexatur,mala eſt. Ex bilioſo humore ſi vigilia conſequitur, ſubſequi verò ſæpe ſolet, mala. Diarrhœa, quæ reddit ſimilia his,quæ in dyſenteria venter profundere ſolet,acredinis humorum nota eſt, & malum ſignum. Iudicium (vt ita dicam)tentatum & minime abſolutum, naturam imbecilliorem eſſe demonſtrat, ac malum indicium eſt. Iactatio naturæ vires vinci à morbo ſignificat; concitatur autem interdum à copia & qualitate humorum malignorum,modò hanc,modo illam partem occupantium,aliquando verò ſequitur febrem ſtabilem(vt ita dicam) & æſtuoſam;ſæpe ſtomachi ægritudinem, atque periculosè ægrotantium nota eſt. Mala perſæpe bonum præpunciare nouum non eſt iis,qui experientiſſimi,& diligentiſſimi ſunt. Mala,quæ interdum conquieſcunt, leniora ſunt.

Magnum

Magnum malum si in vulneribus magnis ac prauis tumor minime appareat, magnum malum est. Quæ verò in vrinis subsident, si tenues sint, & albæ, valde malæ sunt. Dentium stridor perniciem affert quibus in sanitate id consuetum non est. Suffocatio verò in hisce valde mala. ¶ At hæc duo sunt mala indicia quæ necessariò minime se consequuntur. Absurdum. Quicumque in febribus, aut aliis ægritudinum generibus voluntariè lacrimis humeut oculi, absurdum non est, qui verò inuoluntariè illacrimant, absurdum. at 6. De m. v. hoc malum, illud verò bonum esse asserit.

Prauum. Praua signa si inter initia morborum appareant, deteriora euadunt. Praua sunt, quæ ab iis rebus, quæ secundum naturam se habent, maxime distant; Materia, quæ maturitatem assequi non potest, praua est. Humores quoque quacunque in corporis parte defluant, si acriores sint, praui sunt; Morbi denique in quibus iudicia non exercentur, cum tamen exerceri solita sint, maligni sunt, & nota illa praua est. Quicquid prauum est, non continuò pernicioſum existit: etenim signis prauis simpliciter dictis si non adsunt, quæ adsolent, à periculo ægrotus tutus non est, nisi si secundum rationem ægrotum leuent; etenim si absque signis concoctionis desierint, redibunt quidem, at hominem continuo non tollent. Quæ verò tanta prauitate prædita signa sunt, vt inter pernicioſa numerentur; quòd hęc quidem mediocriter prauis infida magis sunt; nullam præstare queunt securitatem. nullamque salutis spem afferre, cum sine apertis concoctionis notis desinant. Etenim postquam temporis diuturnitate læsio haud vulgaris, ac (vt ita dicam) habitualis, atq; indissolubilis subsequuta est, redibunt signa pro malitiæ suæ magnitudine periculi magnitudinem procreantia. Quapropter signis pernicioſis antecedentibus si morbus præter rationem lenior factus est, inter pernicioſa signa meritò aggregantur: namq;

cum morbus repetit, repetit autem ferè ſemper, ægrotum ad interitum ducit. Prauum aliquando apud Galenum plus eſt, quàm mortiferum.

At ſubſidentiæ in vrinis craſſiores polentæ ſimiles prauæ ſunt, πονηραί. at ſumma eorum, quæ circa vmbilicum, tenuitas & colliquatio praua. μοχθηρόν. tumores præter rationem morbos ſedantes, praui, veluti Andronici F. eryſipelas recurrit. κίβδηλον. Stilla è naribus praua, quę ſi nigra eſt, ſemper in pernicioſo morbo apparet. pedes & manus in acceſſionibus tardius & non rectè calefieri, prauum. Ciborum faſtidium ſignum prauum eſſe ſæpe à nobis dictum eſt. In hoc caſu reperiuntur nonnulli, qui & ſi habent ad omnes cibos offenſionem, nonnulla tamen deſiderant, & aliqua edunt, & hoc prauum ſignum eſt: nonnulli, quæ deſiderarunt, vbi guſtarunt, reſpuunt illico, ac nihil præterea ſumunt, & hoc peſſimum eſt; at hi, qui nihil edunt, & nihil planè appetunt, extinctionem naturalis virtutis quæ totum corpus alit, augetq; indicant: ſi inter morbi initia acceſſerit, aut in ipſo ægritudinis impetu, cum vires adhuc firmiores ſunt, nihil mali præterea indicare ſolet; natura enim tunc moderatum deſiderat alimentum. Quod ſi id in totius morbi declinatione cõtigerit, vt in diuturna naturæ imbecillitate, aut in immodica inanitione, periculũ oſtendit; deterior fit ætate; etenim ſi hoc in pueros cadat, qui auidius appetere ſolẽt, nec permanere poſſint, niſi cibo & potione multa impleantur: cibus enim intereſt maxime ad eorum incrementum; magnum quoddam pueros in ciborum faſtidio inſolenti detrimentum accipere omnino cenſendum eſt. Sępe obſeruaui ſi inter initia ægritudinum ad ciborum faſtidium vomitus cum poſt prandiũ, tum verò poſt cænam acceſſiſſet, peſſimum ſignum eſſe, atque adeo mortem maturiorem denunciare; præſertim ſi his quoque alia quædam mala, aut peſſima conſequantur indicia, quę inter maxima connumerentur.

In

In Dyſenteria ſine cibo quidam diutius perdurarunt, quod inter initia ſuperuacanea quædam profluxerint; qui poſtea ad ſanitatem perducti ſunt. Hæc vero ad omnia hoc pacto transferemus. In omnibus ægritudinibus ac præſertim iis, in quibus ad os ſtomachi profluunt humores, febres conſequuntur, ſuperuacanea minime detruduntur, faſtidium ciborum vires iam iam deficere ſignificat, & mortiferam eſſe ægritudinem indicat. Nauſeam iudicii aliquando ſignum eſſe nouum non eſt; in peſtilentibus verò morbis, malum. In voluulo ſatietas & faſtidium, partium eſt. Alui illuuies & vrinæ, ſi pinguedine præditæ ſunt, prauæ quidem ſunt, at minimè mortiferæ. Prauum & ſi pauca quacumque ex parte excernuntur.

Id contingit, vel quòd ea ferri amplius non poſſint à partibus affectis, vel naturæ imbecillioris nota eſt, quod plura non extruſerit, ſi ex naribus ſanguis erumpat, cum ſudores vel adſint, vel ſuperuenerint, perfrictio prauũ indicat morbum. Poſt ſanguinis profluuium nigrorum ex aluo eiectio mala. praua quoque ſunt valde rubra. num verò huiuſcemodi profluuium quarto potiſſ. die eueniat?

In ſingularibus ſcilicet verſatur; atque concurſionem diuerſi generis ſymptomatum coaceruat.

Praua admodum: vrinæ returbatæ & in quibus nihil planè ſubſidet, prauæ admodum ſunt.

Maligna, peiora, peſſima.
Cap. XXIV.

Maligna. Malignitas eſt morbus adiunctus morbo iam prętternaturam, id eſt additamentum quoddam morbo iam cõſtituto; hoc enim habet præterea, hocque adiungitur ipſi morbo, ipſa ſcilicet malignitas, quæ & morbus ipſa eſt. Hinc Galen. in lib. De Criſibus ſcriptum reliquit, quod eo quòd variis morbis pars aliqua conflictabatur, & diuturnioribus, con-

tinuò maligno morbo quoque vexaretur. Varietas enim nulla fere in re non malignitatem afferre ſolet. Humores maligni non modò praui ſunt, quòd a natura deſciuerint, verum etiam quòd inſidioſi, & ſubdoli ſint, hoc eſt latenter morbum excitare ſoleant, malignitatis enim proprium eſt alterius rei ſpeciem præ ſe ferre, alteram verò planè inſtituere, ac efficere: contingit aliquando, vt in tumoribus præter naturam materiæ reſolutionem expectemus, cum interea morbus membri corruptionem ſane moliatur. Malignorum morborum proprium item eſt, vt leniores aliquando fiant, paullo verò poſt acrius inſtent, & magis affligant. Signa maligna dicuntur, quæ ſecuritatem quidem omnino minime pollicentur, at interitus periculum apertum non ſignificant, cum tamen ab illis ea pernicies, quæ ſumma eſt, ægrotis latenter nunquam nō comparetur. Hæc morem ægritudinum ſignificant; Mos autem ægritudinis, eiuſdem modus, & qualitas eſt; & quantò magis à malignis longius aberunt, & ab iis, quę cum grauiſſ. ſignis conſequuntur, tantò mortem afferent tardiorem. Malignæ vero cauſſæ peſtiferos morbos afferunt, prauæ periculoſos. Maligna ſigna media ſunt inter praua & veneno prædita, quæ vel maiora, vel minora, vel plura, vel pauciora apparēt, quàm morbus, vel ipſius cauſa poſtulare videtur: atque nonnunquam etiam nulla prorſus ſuperueniunt. Hæc medicos imperitos maxime fallere ſolent, qui in perpēdendis ſymptomatibus, qui ex alia cauſa efficiuntur, ad aliam referunt, cum tamen minime propter eius obſcuritatem cognitu aliquādo difficilia ſint. Dyſenteria maligna appellatur, quæ ab acrioribus humoribus excitari ſolet. Morbi, qui non modo clam, & furtim homines iugulant, maligni cenſendi ſunt, verum etiam quorum ſymptomata repente & ſine cauſa euaneſcūt, atque præter rationem ægrotum recreant. hæc ſi pernicioſis ſignis antecedentibus notentur, inter pernicioſa

cioſa ſigna aggregantur. vrina nigra ex Galen. III. IIII. die ſi deſcenderit, malignitatis morbi magnitudinem oſtendit. maxime verò augetur eius magnitudo à ſymptomatibus ſuperueniẽtibus, vt ſi febri malignæ cardialgia, locorum muliebrium dolor, & vigiliæ accedant. humores maligni nõ niſi vehementiores morbos concitant. Cum humores antea praui, mox maligni euaſerint, plurimumque in malignitatem proceſſerint, mortifera ſymptomata ſuperueniunt: venena quoque quæ tota eſſentia homines perimere dicuntur, maligna ſunt. Maligna, prauaque aliquando veteres auctores coniungunt: vlcera, quibus pili defluxerint, maligna, at alio in loco. vlcera circumcirca glabra ſcriptum reliquit. Extrema frigida, ſitiſque cum antea maximè afflixiſſet, nunc minimè vrgeat, maligna mortiferaque ſigna eſſe tradit Galen. Sudores perpetuò manantes, at non ex toto corpore, frigiditas extremarum partium perpetua malis moribus præditos morbos denũtiant. Aluus item cita, quæ bilioſa, pauca, ſyncera, tenuia, acriora reddat, malignitatem & acrimoniam humorum indicat. Sitis, vigiliæ, anxietas, iactatio, vomitus, ſudores, qui morbos non finiunt malis moribus præditum morbum indicant. Humorum in principem partem concurſus omnem morbi lenitatem tollunt. In morbis malignis ſummæ corporis partes vel in vnius ſemihoræ ſpatio modò calidiores, modò frigidiores fiunt. Morbi quoque malignitatem indicant ea, quæ iuuare debent, & minime iuuant. Maligna ſunt, quæ repentè euaneſcunt. Abſceſſus veluti bubonum germina habentium cum aliorum tum potiſſimum viſcerum maligni ſunt. In principio febrium ardentium rigere proprium malignitatis ſignum eſt. Faſtidioſum eſſe ægrum, ſignum malis moribus præditum eſt. Acryſiæ, id eſt nulla exercita iudicia humorum malignitatem ſequuntur. Si in febribus feruentiſſ. ex naribus pauca profluunt, ſignum malis moribus

præditum est, sanguinis verò copiosa eruptio morbis minime malignis superuenire solet. Stillatio è naribus humoribus minime maturis, qui ad caput ferantur, humorum malignitatem magis indicat, quàm parotides. Anxietas malignæ febris indicium est. Desipientia magna malignum esse demonstrat. Oblata id est, quæ assumi imperantur, cum nihil iuuant, malignum morbum significant. In morbis, qui παλίβολοι sunt, id est dolosi, mutationes prosunt. mutatio autem esse debet ad id, quod decet. Præcordiorum contentio mollior, significat nullam ex partibus exterioribus, quæ in abdominis musculis sunt, inflammatione occupari, sed vel septum transuersum, vel iecur, vel lien; morbus verò protinus malignus est.

Hæc si sine tumore est, non magnam inflammationem portendit; eamque simam tantummodo partem iecoris obsidere demonstrat. Cum verò retrahitur vel distenditur, id accidit, vel propter inflammationem septi transuersi, vel propter principium neruorum malè affectum, quòd neruos ad se retrahit, qui pertinent ad septum trāsuersum propter propriam inflammationem. Sordes alui combusta igneſcentium præcordiorum, hoc est iocinoris nota est.

Symptomatum ægritudinem indicantium concursio, quam Græcis συνδρομὴ σημείων appellant, morbi speciem demonstrat, symptomata verò, quæ subsequuntur vel benignitatem, vel malignitatem morbi indicant. Febres ex præcordiorum dolorib. malignæ.

At hoc minime verum est, at aliquando Galen. humiditatem, quod testes occupasset inflammationemque ibi concitasset, continuo malignam esse dixit. Oris ventriculi dolor cum præcordiis intentis & capitis dolor malis moribus præditus, & nonnihil (vt ita dicam) anhelosus. num hi repentino mortem obeunt: veluti Dysodes. Huius quoque vrinę maxime fermentatæ descendebant, atque faciei rubor suberat.

Alia

Alia atque alia hoc loco ſymptomata coniungere nititur, vt alibi ſæpe. Febres, quæ ſomnos, laſſitudinem, caliginem, vigilias, ſudores afferunt, malignæ ſunt.

Mala ſymptomata per ſe diſperſa vnum in locum fruſtrà cogere nititur, non enim neceſſariò ſimul excitantur. In febribus dolores, qui ad præcordia vſque pertingunt abſque vocis emiſſione, ſi ſudores non depellent, maligni ſunt; his ſi dolores ad coxas deſcenderint, vnà cum febre feruentiſſima, & ſi aluus cita acceſſerit, pernicioſum. vulnera ſanguinem fundentia cum ſudore maligna, cùm tria anni tempora vitiosè ſe habuerint, maligni prædiți conſequentur.

Minus graue: Si igitur inter principia morbi ſpecies huiuſcemodi fuerit, & nondum ex cæteris coniecturam facere poſſimus, interrogare oportet, num ægrotus vigilauerit, aut aluus cita, aut inedia anteceſſerit. Quod ſi horum aliquod reperiatur, minus graue erit, cognoſcuntur autem hæc vnius dieculæ ſpatio.

Periculoſa. Nam & ſputum flauum, purum, ſincerumque periculoſum eſt.

Minus periculoſa. Si verò tumor præcordiorum alteram tantummodo partem occuparit, minus multò periculum imminet, ſi ſiniſtram tantum obſederit.

Non bonum. Poſt ſudorem horror non bonus. Si ſenibus ſupra quam deceat medicamento aluus ducatur, ſingultuſque acceſſerit, non bonum.

Minus bona. At verò ſupinum iacere manibus & collo & cruribus porrectis, minus bonum.

Damnare. Verum etiam pinguedines in vrinis innatantes araneorum telis ſimillimas damnare oportet; ſunt enim colliquationis ſigna. Perpendere verò neceſſe eſt in vrinis, in quibus nubeculæ apparent, an innatent, an in imum deferantur, & quibus prædiţæ ſint coloribus: namque quæ ad imum feruntur cum coloribus prædictis eas bonas eſſe cenſendum eſt, ac

laudandæ sunt, quæ verò innatarint cum cololoribus prædictis malas esse & tales damnare oportet.

Minus securum, ἧσσον ἀσφαλές. sputum autem flauum non multo sanguine admistum, si in pulmonis inflammatione inter morbi principia edatur prodest, si verò septimo die aut posterius, minus tutum est.

Peiora, deteriora. Quantò autem plures instrumentorum cuiusque generis functiones, & vires aut imminutæ, aut deprauatæ: aut denique sublatæ sint, tantò deterior est morbus. Si verò alio tempore se dat somnus, quàm cum secundum naturam assueuerit, peius est. His verò peiores sunt laminosæ, albæ verò & tenues valde malæ: at his omnibus deteriores sunt furfuraceæ. κακίης. Nam simplices, syncerique vomitus deteriores sunt. si enim longe post doloris initium expuerit, quod flauum sit, aut fuluum, aut quod multam tussim affert, & non valde permixtum sit, deterius est. In longis intestinorum dysenteriis ciborum fastidia mala, quòd si febris quoque accesserit, peius. Sanguinis profluuia contraria ex parte mala sunt, veluti si lien in tumore sit, & ex dextra nare sanguis profundatur, eodem modo se res habet in præcordiis. at cum sudore quem ἐφίδρωσιν appellat Prorrhet. auctor, vel circa caput, & thoracem prorumpens, vel si ex toto effundantur corpore, peius est.

Non magnopere pernicioſa. Vrinæ quidem oleosæ, quæ ad candidiorem vergunt colorem, abiecto colore pallido, humorum significant cruditatem, quæ verò adeo pallidæ sunt, vt ad flauum proxime accedant, bilioſum calorem indicant, hæ quidem salubriores minime sunt, at non magnopere pernicioſæ. Lingua fuliginoſa; & ſicca non omnino pernicioſa. Lingua ſicca morbi ſiccitatem demonſtrat. Rigores cum calore maximè aliquantū pernicioſi. Non valde mortifera. vrina oleoſa, non bona, ſed non valde mortifera. ſi verò minus erunt exitialia ſigna, mortis tempus prorogant. Minus

Minus pernicioſa. Ac ſi digiti & pedes penitus nigreſcant, minus pernicioſi ſunt quam liuidi, veruntamen cætera quoque ſigna perpendere oportet.

Magis periculoſa. Si vero grauitatem ſentiant cum toto corpore, tum verò manibus & pedibus magis periculoſum eſt. Inſania, quæ cum riſu accidit tutior eſt, quæ verò ſeriò magis periculoſa. Febres quæcunque non intermittentes, tertio quoque die increſcunt, magis periculoſæ ſunt.

Magis pernicioſa. vrinæ tenuiores & nigriores pernicioſæ magis. Valde mala. Quibus κάμα adiunctum eſt, perpetuo vnum quoddam oſtendunt, rarò fallunt. Quæ verò in vrinis ſubſident, ſi tenues ſunt & albæ, valde malæ ſunt. Dentium ſtridor perniciem affert, quibus in ſanitate id minime conſuetum eſt. Suffocatio verò in hiſce valde mala.

Hoc quoque loco alia, atque alia ſymptomata ſimul connectere fruſtra nititur.

Peſſima. Peſſima indicia perpetuo vnum aliquod ſignificant, & raro non indicant. Auctor 11. Prænotionum peſſima ſigna morbi diuturnitatem ſignificare tradit. Cæterum reſidere velle ægrum in morbi ipſius impetu, in cunctis morbis acutis malum eſt. Peſſimum verò pulmone inflammato. Peſſimi autem ſudores frigidi ſunt; & ſi tantummodo caput, facies, ceruix ſudore madent. Tumor in præcordiis durus & dolorem afferens, peſſimus quidem eſt, ſi tota præcordia occuparit. Quæ verò ſuppurationes magnæ ſunt, & latæ, & in exteriorem partem non feruntur, minimeque acuuntur, peſſimæ ſunt. Pus verò nigrum, inæquale, & minus leue peſſimum eſt. Peſſimum eſt ſomnum oculis neque noctu, neque interdiu videre. Difficultas reſpirandi, delirium, vigiliæ inter peſſima numerantur indicia: at tum in viris, tum in mulieribus nigræ vrinæ peſſimæ.

Niſi ſi a partu ſint, & niſi ſi menſtrua ſuppreſſa ſint.

in pueris verò aquosæ. Vrina nigra sæpe mortem, morbi semper diuturnitatem, aliquando reditum declarare solet.

Pernicioſam aliquando vocat Galen. Sputa sunt pessima nigra veluti descripta sunt. Pessimum quoque signum est ęgros non sitire, non appetere cum appetendi vis, ac facultas non modò debilitata, verum etiam prorsus extincta est. Quibus etiam spiritus sublimis adiungebatur pessimæ anginæ erant; hi enim etiam planè incendebantur. Alui sordes nigræ, veluti sanguis niger sua sponte eiectæ & cum febre & sine febre pessimæ sunt. Infirmiorum insaniæ pessimæ, veluti Trasimontis. In Phreniticis, si quæ venter extrudit, alba sunt, malum. Quemadmodum in Alchecratis ægritudine notauimus. num & his torpor superueniat? Rigor vero pessimus est.

Galen. pernicioſum vocat, præsertim cum morbus crudior sit. vox si suppressa est, cum animi deliquio pessimum est. Vrinæ si in morbis acutis supprimuntur, quod vesica frigidior reddita sit, pessimum. Galen. vero malum tantummodo esse affirmat. idem & vrinas supprimi obseruauit in spurio causo. Colli dolor malus quidem in omni febre, pessimus autem in his, quos ne insaniant, veremur.

Singulare hoc generatim extulit. In perfrictionibus, quæ iudicia afferre solent, magna sanguinis profluuia si superuenerint, pessima sint.

Pernicioſa, horribilia. CAP. XXV.

PERNICIOSA, ὀλέθρια. Signum pernicioſum hominem moriturum significat. Pernicioſa signa cum bonis & commodis, nec non cum iis, quæ longitudinem morbi demonstrant, esse possunt: tametsi bona sint ex iis, quæ certa insignia, & maiora indicia esse diximus, nec non sumantur ex iis viribus ac potestatibus, quæ corpus totum regunt, ac gubernant. Pernicioſa

sunt,

sunt, quæ eo prauitatis deuenerunt, vt prauis infida magis sint, nullamque præstare queunt securitatem, nullamque spem salutis afferre, præsertim cum sine apertis concoctionis notis desinant. etenim postquam temporis diuturnitate læsio (vt ita dicam) habitualis, atque indissolubilis subsequuta est, redeunt signa pro malitiæ suę magnitudine periculi magnitudinem procreantes. Pernicioſa signa si primis diebus indicatoriis continenter in morbis acutis apparuerint, sexta vel septima hominem rapiunt, nisi si æger firmior sit à viribus, quem aliquando vndecimum diem attigisse obseruauimus. Si vero in cæteris diebus consequantur, exitium moram aliquam interponit. Pernicioſa si apparuerint, nullumque signum lenius consequatur, mortem prænunciant. Signis pernicioſis antecedentibus si morbus præter rationem lenior factus est, inter pernicioſa signa merito aggregatur; nam cum morbus repetit, repetit autem fere semper, ægrum protinus ad interitum ducit. Cum pernicioſis signis virium naturæ semper coniungenda diligens consideratio, contemplatioque est; sine hac enim animaduersione certi nihil pronunciare possumus, morborumque tempora maxime latent, quæ præuidere hac tantummodo ratione diligens potest medicus. Magni, vehementesq; morbi viribus infirmioribus pernicioſi sunt.

Namque si oculi lucem refugiant; & sine voluntate lacrimentur, aut peruertantur, aut alter altero minor fiat, aut quæ in his alba esse debent rubeant, aut venulæ pallent, aut nigrescant, aut lamæ aut sordes in oculis inhæreſcant, aut etiam instabiles & facti tumidiores sint, aut vehementius subsidant, aut squallidi aut obscuri fuerint, & color totius faciei mutatus, hęc omnia mala, & pernicioſa esse censendum est. Quæ verò stercora varia sunt, diuturniora quidem cæteris sunt, ac nihilominus pernicioſa. Obliuio, ἄφωσις, idest partium resolutio inter signa pernicioſa aggregantur. Sopor

ſymptoma pernicioſum eſt, ſi vel ob inſignem perfrigerationem cerebri, aut infirmitatem facultatis fieri contigit; & aliquando pernicioſiſſ. eundem appellat Galen. Sanguis verò prob. fluens, abſceſſuſque iudicium non exercens, ſudores multi morbum non abſtergentes pernicioſa ſigna ſunt. anguis ſi ex naribus ſtillat, ſignum pernicioſum eſt. Corporis grauitas plane conſumptam eſſe eam vim, quæ corpus mouet, demonſtrat. Vocis priuatio pernicioſa. Sopore occupati inter morborum principia vnà cum capitis, præcordiorum, colli dolore ſomnum minime capientes num phrenitici ſunt? & ſi hiſce e naribus ſanguinis guttæ exciderint, pernicioſum tum aliàs, tum verò quarta die. Partes, quæ in faucibus poſitæ ſunt, in acutis morbis ſi abſque tumore dolores afferant, minime graues, & iugulare nullo negocio poſſint; atque cum ægrotus hiarit, os claudere & aperire minime poſſit, mente ægrotum minime conſiſtere ſignificat: ex huiuſmodi malis ægroti de mente deiiciuntur, & perniciosè affecti ſunt.

Ex huiuſcemodi ſymptomatibus neceſſariò ſubſecuturam phrenitidem coniicere minime licet. Mentis errores cum voce, quæ clangorem habeat linguæ conuulſiones tremulæ mentem depellunt, durities his pernicioſa eſt.

Hæc in aliis quoque morbis obſeruantur, nec perpetuò phrenitidem conſequuntur. Minimè tranquillè, placidéque ferre morbum cum frigore, febre & ſuperiorum partium ſudoribus phrenitim prænunciant, vt Ariſtagoræ, præterea verò & pernicioſum eſt.

Quæcunque nunc percurrit ſymptomata, alias quoque febres conſequi poſſunt. Vrinæ, quæ profluunt ægrotis minime recordantibus pernicioſæ. num hæ ſunt, quaſi quæ in imum in illis deferri ſolent, conturbaſſes?

Huiuſce-

Huiuſcemodi vrinæ ſpecies in vno aut altero ægrotante tantummodo obſeruauit. Dentium ſtridor pernicioſus eſt, quibus in ſanitate conſuetum non eſt. Si in febre voces incluſæ, quæ quaſi neruorum diſtentioris modo accidunt deſinant in eam, quæ cum ſilentio eſt extaſim, pernicioſum. Qui nigra iterum euomunt, ciboſque faſtidiunt, delirant: quoſque in pubi paruus dolor vrget, qui oculos feros, aut clauſos habent, eos medicamento purgare minime neceſſe eſt; pernicioſſ. enim eſſet.

Nihil planè momenti hæc nos ſententia docet. Neque in febre deficientes, neque comatos medicamentis purgare oportet; perniciosè ſe habent.

Nullo negocio poſſumus cunctos morbos enumerare, in quibus per purgare minime licet. Ægroti ſi cum duritie perfrigeſcant, pernicioſum. Si venter tenuia reddiderit, ægrotuſque ea non ſenſerit, ſi mens conſiſtat pernicioſum veluti hepatico.

Magna verò ex parte ea mordere ſolent. Repentinis Apoplexiis ſi minimè acuta ac ardens febris, ſed lenior & diuturnior ſubſequatur, pernicioſa, vt Numenii F.

At Galenus nihil eam prodeſſe ſolere teſtatur. Fauces, quæ ſine tumore dolores afferunt, ſummamque exhibent moleſtiam, illicoque prope ſtrangulant, pernicioſæ.

Indefinitè, & vt vulgus hominum loquitur, ſcripſit. Cum oculi peruertuntur non abſque febre & laſſitudine, rigor ſi ſuperuenerit, pernicioſus.

Multa grauiaque ſymptomata fruſtrà coaceruat. In febribus dolores, qui ad præcordia vſque pertingunt ſine vocis emiſſione, ſi ſudores non depellunt, maligni ſunt; his ſi dolores ad coxas deſcenderint non abſque febri ardentiori, & ſi aluus aceruatim ciborum reliquias eiecerit, periculoſum.

Nihil planè docere videtur. Manus tremulæ capi-

tis, collique dolores afferentes surdastri, nigra densataque mingentes, quibus hæc sunt, in his nigra teneri, pernicioſum.

Superuacaneum est nigra expectare, cum pernicioſiora signa anteceſſerint. Vox compreſſa cum virium infirmitate, catochoque pernicioſæ sunt.

Singularia tantummodo litteris mandat. Qui inter morborum principia vrinis concoctis sudore madent, ii si feruentiſſ. in febre, cum morbus minime iudicium subit, refrigeſcant, breuique incendantur, torpore, coma, conuulſione pene correpti, perniciosè affecti sunt.

In hac sententia quædam superuacanea sunt; quædam verò grauia symptomata connectit, vt solet. In morbis acutis si post nigras alui sordes sanguinem eiecerint, verè pernicioſum est. Torminibus vexato ea, quæ in imum subsident, limoſa, subliuida mala sunt. Num præcordia (vt arbitror) dextra dolor occupat? deficitque ægrotus? num & abſceſſus post aures hoc pacto affectis oriuntur, quæ dolorem ferè nullum afferant? aluus cita hiſce omnibus pernicioſa est.

Nihil hoc loco habemus niſi symptomatum concurſationem, quæ perpetua eſſe minime solet.

Horribile, formidabile, δεινόν. Horribile minus significat quàm ὀλέθριον. Post horribile mortiferum rectè collocari potest. At si desinant, deinde rursus aſsurgant abſceſſus, ægrotique minime expuant, febre minime desinente horribile est; periculum enim est, ne deliret ægrotus, & moriatur. Porrò veſicæ duræ, ac dolentes penitus quidem horribiles ac pernicioſæ sunt. Auris dolor acutus cum febre continua ac magna horribilis est; effugere enim non potest, quin aut deliret, aut pereat ægrotus. Fauces vlceratæ cum febre horribiles sunt. vrinæ craſſæ non conſiſtentes ferri omnino non poſſunt.

Mortifera.

Mortifera. CAP. XXVI.

MOrtiferum, θανατῶδες. Mortiferum signum non modo iis superuenit, qui necessario moriuntur, ac pereunt, verum etiam his, quibus mors quidem imminet, at non continuo moriuntur, raro seruantur. Sæpe citam mortem prænunciat; frequentius periculum ostendit, quod interitum sæpius affert. Mortifera signa cum concoctionis indiciis esse non possunt, imo vero nec præcedere solent. Sed plane subsequi, præsertim in morbi incremento quę & magnitudinem morbi secundum ipsius morbi essentiam, non quatenus cum ægroto cóferatur; & ægrotum cum peste ac pernicie ægrotare significant. at vero morbi symptomata periculosa & mortifera cum maturationis notis esse possunt. Quæ iudicia præcurrunt, cum concoctionis signis (vt antea demonstrauimus) simul esse possunt; etenim cum natura quædam reprobare ac depellere conatur, tunc apparere necesse est ea signa, quæ prænuncia iudiciorum, & iudicialia esse dicimus. Mortifera item cum bonis & commodis, nec non cum iis, quæ longitudinem morbi demonstrant, esse possunt. cum mortiferis symptomatibus, notæ, quæ naturæ virium robur vel infirmitatem demonstrant, coniungendæ sunt, atque ita demum secure prænunciare poterimus, de longitudine & breuitate morbi. Magnis doloribus in morbo acuto, si aliquod mortiferum signum accesserit, pernicioſi valde sunt morbi. Mortifera interitum in morbis acutis, in leniorib. vero diuturnitatem demonstrant. Mortiferum est habere labia collapsa, & in imum versa, necnon si refrixerint & albescant. Mortiferum quoque est hiantem assidue dormire, & vbi supinus cubat æger, eius genua valde contracta esse, & complicata. Stridor dentium in febribus, qui id facere sanus non solet, id est, à puero, furorem & mortem minatur. At de manuum brachio-

rumque proiectione ita sentio. Quæ in febribus acutis, aut peripneumoniis, aut phrenitide, aut capitis dolore ante oculos feruntur, ac frustra carpunt, festucasque & floccos in vestibus legunt, & de pariete paleas deducunt, ea omnia mala & mortifera sunt. Iam vero aquæ intercutem si ab acuto morbo cõcitantur, omnes malæ sunt; neque enim febrem depellunt, & magnos dolores afferunt, & mortiferæ sunt. Testes & pudenda conuulsa, doloresque vehementiores periculum mortiferum imminere prænunciant. Cuncta cum putridis & fœtidis odoribus prædita in vomitibus mala sunt. at Galenus inter mortifera hæc connumerat. Colliquationes deorsum versus emissæ, veluti in pestilentia contingit aliquando, si vel sinceræ, fluuæ vel leniores sint, modo putidæ omnes mortiferæ sunt. Colliquatio vero fit, consumpta, liquefactaque à febre maligna vel pinguedine, vel molli carne. In quo morbo somnus dolorem auget, mortiferus est. Quibuscumque in morbis incipientibus atra bilis vel supra, vel infra se ostendit mortiferum est. Si venter eorum, qui atra bile vexantur veluti carnes reddiderit, mortiferum. Si febre correptus deuorare saliuam suam non potest, nullo in faucibus tumore apparente, mortiferum. Si febre occupato ceruix repente adeo conuertatur, vt vix deuorare possit, nullo tumore apparente mortiferum est. Si rigor consequitur febre minime intermittente, ægroto iam à viribus infirmo mortiferus est. In febribus minime intermittentibus si exteriores partes frigent, interiores vero adeo calent, vt sitim excitent mortiferum est. Vbi in febre minime intermittente simul cum delirio difficultate spirandi ægrotus vexatur, mortiferum est. post vulnus conuulsio mortifera est. Qui tabe corripiuntur, sputumque quodcumq; cum tussi ediderint, si illud male olet, cum carbonib. iniicitur, & capilli defluunt, mortiferum. Tabe occupato alui profluuiũ si subsequatur,

mortiferum.

mortiferum. Si mulieris prægnãtis vterum sacer ignis occuparit, mortiferum. Percussa, perfractaque vesica, cerebro, corde, septo transuerso, tenui quodam intestino, ventriculo, iecore, mortiferum est. Extrema liuida, sitisque, quæ minime vrgeant, cum antea mirifice afflixerit, maligna & mortifera signa sunt. Ea, quæ iudicia afferre solent, minimeq; exercent, partim sunt mortifera, partim vero difficilia afferunt iudicia. Inter signa mortifera aggregatur calidus vapor per cutim erumpens, si modo nares prius spiritum frigidum reddiderint. In morbis, in quibus cerebrum male afficitur, sanguinis stillæ naribus mortifera est. Alui contentio, quæ liquida reddat, cito intumescens nescio quid conuulsiui prænunciat, veluti Aspasii. F. superrigere iis mortiferum.

Ex iis quæ semel obseruauit, generalia præcepta efferre frustra conatur.

Quid in efferendis sententiis obseruandum, & multa de signis. CAP. XXVII.

QVæret fortasse quispiam, quid putem esse causſæ, cur Prorrheticorum auctor tam sæpe in suis sententiis conscribendis offenderit. Libenter antiquos scriptores tueri soleo: etenim nõ me fugit, eas sententias veluti nascentis huiusce scientiæ rudimenta quædam esse. Illarum enim quædam falsæ, nonnullæ haud semper veræ, plures in dubium relictæ reperiuntur, quæ minime dignæ sunt, vt inter cæteras referantur. Neque vero est, cur virum illum, qui sibi soli ea notare solebat, magis accusemus, quam eos, qui illa edita putarunt, tametsi non eius nominis denigrandi causſa, illarum omnibus copiam fecerunt. At vero cum considero, vehementer nobis expedire, vt falsa, obscura, dubiaex re medica penitus explodãtur, hoc munus a me adolescentes meos exigere video, vt quibus modis sine

offenſione huiuſcemodi ſententias ſcribere poſſimus, aperiamus. Notarum, quæ morbos indicant, quędam certæ ſunt, quędam vero magna ex parte morbos conſequuntur, ſed tamen certis quibuſdam ægritudinibus ſuperueniunt, nonnullæ quamuis propius ad morbos minime accedant, attamen ab illis longius non recedunt, aliquæ ambiguæ, quædam his multo magis remotæ ſunt. Certa ſymptomata pathognomica appellantur, quæ neceſſario morbum ſemper conſequuntur, ea ſi tuis ſententiis adſcribas, nunquam offendes. Indicia autem pathognomica nullo negocio cognoſces, ſi in ea via ac ratione, quæ ſigna eiuſdem ſpeciei ægritudinis prędipit, maxime exercitatus ſis: etenim qui in proghoſticis aliquid omnino videre ſtudet, is proprias ſingulorum morborum notas teneat, neceſſe eſt: incipientis enim ægritudinis prognoſtica ſigna, propriæ notæ ſunt iam factæ ægritudinis. præſentia enim, quæ ſua ſæpiſſime paruitate nos latent, pro iis, quæ futura ſunt, accipimus. propria autem appello, quæ vel perpetuo, vel ſolis illis morbis eueniunt. Inſeparabilibus ſignis eiuſdem ſpeciei, & generis indicia ſi coniungas, minime errabis; etenim cum vnumquodque genus formis familiare, coniunctumque ſit, ad ſingularum formarum prædognitionem maxime conferunt: cum illis enim habent haud vulgarem ſocietatē. Quæ vero aliquando cum ipſo morbo concitantur, nonnunquam ne oriuntur quidem, ea incertos nos reddunt; quæ vero ambigua ſunt, vt vehementer, hæreamus, in cauſſa ſunt, quæ ab his longius recedunt, nominatim nos de vno quoque ægroto verba facere cogunt. Quamobrem omnes medicos, cum ad ſententias ſcribendas animum adiungunt, ea meditari diligenter oportet, vt ſine offenſione antiquorum, probatorumque auctorum exemplo ſententias adſcribere poſſint. Apparet auctorem Prorrhet. mirifice delectatum diuerſorum ſymptomatum concurſatione, ac coaceruatione,

tione, in quibus (vt supra monui) quærenda veritas non est. Nimium religiosos quosdam eruditos sane homines esse audio, qui in explicandis Coacarum sententiis & ad veritatem traducendis dies, noctesque se torquent, qui illud consequentur, vt omnium sermonibus ac scriptis exagitentur. Etenim si veræ illæ sunt sententiæ, cum Hippoc. nostri sententiis mirifice concinent, frustraq; inculcabunt, quæ ab eodem Hippoc. alias luculente tradita sunt. Sin non semper verę, cum Hippoc. hoc est cum veritate plane non cõcordabunt. Quare qui artem medicam hoc pacto edocere conantur non centum, sed mille annis opus est: namq; non quæ magna ex parte accidunt, efferunt, sed quæ ipsi in singulis ægrotis obseruauerint, cum ex propria vniuscuiusque ægritudinis natura sententiæ maxime erucndæ sint. Qui igitur recte atque ordine huiuscemodi sententias conscribere studet, eum & ægrotorum historias perdiscere, & multos ægrotos inspicere, & denique logicam hisce (vt ita dicam) censuram adiungere oportet.

Hollerium, Sacrobosc. et Duretũ notat.

Mors. Pernicioſa, deſperatus homo.

CAP. XXVIII.

MOrtem. Boni medici officium est, prædicere mortem & dolores grauiores, mortis signa post morborum principia consequuntur, & qui de interitu, ac salute ægroti recte, atque ordine prædicere vult, is omnium signorum vires diligentissime perpendere oportet. & quæ vtilissima indicia sunt, si tantum abest, vt prosint, vt etiam obsint, mortem certa ratione signant. ea vero nunquam non post morbi principia apparent. Extinguuntur ægroti cum cruda omnia minimeque matura in morbis apparent. Qui vero morituri sunt, difficultate respirandi vexantur, delirium, vigiliæ, aliave signa pessima consequuntur. Si vero neq;

in diebus,quæ iudicia afferre ſolent,depellatur Eryſipelas,neque tuberculum in exteriorem partem feratur,neque pus cum tuſſi excreetur,aut tranquille morbum ferat, doloreque minime conflictetur, mortem prænunciat, aut ruboris renouationem. At vero intereunt ii,quos febris protinus non dimiſerit; aut vbi ipſam conquieuiſſe putabimus,rurſus exardeſcens occupabit,& quos ſitis quidem vexat, ciborum autem faſtidium vrgebit,& ſi aluus liquidior fuerit,& pus pallidum; ſiue viride,& liuidum excreuerint, aut pituitoſum ac ſpumoſum. ſi cuncta hęc conſequantur pereũt. Quibus ex his nonnulla acceſſerint, nonnulla vero minime,horum nonnullos mors rapit, aliqui diutius ſuperſtites ſunt,verumtamen ex omnibus ſignis, quæ adſunt,tum in hiſce, tum vero in cunctis morborum generibus coniecturam facere oportet. Cum febres ardentes incœpiſſent,ſigna quædam imminẽtis morbi præcurrebant. Etenim in ipſo morbi initio febris vrgebat,acuta,paruus rigor accedebat, ſomnus minime conſequebatur,tranquille ęgroti morbos minime ferebant, ſitis affligebat, frons, clauiculaque ſudore madebant,nunquam vero totum corpus, inſaniæ, timores,triſtitiæ extrema frigida,id eſt, ſummi pedes & manus. acceſſiones diebus paribus vrgebant. quarto die plurimos dolores maxime affligebant, ſudores plerumque frigidiores erant,qui diutius perdurabãt. Extrema non amplius recaleſcebant, at liueſcebant, frigebant, ſiti minime conflictebantur. præterea vrinæ nigræ,tenues,paucæ profluebant,aluus adſtricta erat. horum nulli naribus ſanguis profluxit, eius ſtilla tantummodo fuſa eſt, nullæ recidiuæ. Sexta die ſudoribus effluentes moriebantur. Vlcus autem ſiue ante,ſiue in ipſo morbo natum ſit, conſiderare oportet: ſi enim moriturus eſt ægrotus, antequam intereat liuidum atque aridum,aut etiam pallidum,& aridum erit. Peſſimi autem ſunt ſudores frigidi tametſi tantummodo

modo caput,facies,& ceruix ſudore madeant: hi enim cum acuta febre mortem prænunciant, cum leniori autem morbi longinquitatem. Febribus acutis atque adeo ardentibus correptis qui non ſatis belle ſe habeant,minime voluntariæ lacrymæ,nó ſanguinis profluuium, ſed mortem prænunciant. Frigidi ſudores cum acuta quidem febre mortem ſignificant.Si ei,qui ebrius repente obmutuerit,diſtentio neruorum conſequatur, ille vitam cum morte commutat. Quibus tabe occupatis capilli defluxerint,hi alui profluuio accedente pereunt. Cum Empyi aut Hydropici vruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua ſimul omnis effundatur, omnino moriuntur. Eos,quos lien male habet,& tormina corripuerunt,diuturniori reddita dyſenteria aut aqua intercutem, aut inteſtinorum leuitas occupat, atque intereunt. Hi, quos poſt ſtranguriam Ileus occupauit,ſeptem dierum ſpatio moriuntur,niſi ſi febre accedente copioſa vrina profluxerit. Qui gibbi ex aſmate aut tuſſi ante pubertatem fiunt, illico moriuntur. Qui ſani dolore capitis corripiuntur, & protinus obmuteſcunt,dein ſomnus eos opprimit, ita vt ſtertant,intra ſeptimum diem pereunt,niſi ſi id malum febre diſcutiatur. Poſt puris ſputum phthiſis,& diſtillatio, cum vero ſputum non amplius redditur, moriuntur. Si Empyis cum vruntur,aut ſecantur purum & album pus profluat,minime moriuntur; ſi vero ſubcruentum,fæculentum & male olens,pereunt. Quibus purulentium iecur vritur, ſi purum pus effundatur, & album incolumes ſunt, ſi vero qualis amurca profluat,intereunt. Quib. cerebrũ corruptũ eſt,intra trium dierũ ſpatiũ intereunt: ſin hos euaſerint,ad ſanitatem perducuntur. Quorum iecur aqua oppletũ eſt, eaque erumpit in omentum,horum venter aqua impletur,atque intereunt. Nigra deiectio mortem indicat.Proprium ardentium febrium eſt profluuium ſanguinis ex naribus,delirare, & mori. Cum in febribus

aliquod indicium, quod nos terreat, ſuperuenerit, vel venter liquidiora extruſerit, vel animo ægrotus concidat, vel eius vox penitus ſuppreſſa fuerit, vel neruorum diſtentione, ſingultu grauius vrgeatur, ſudoresq; circa faciem & ceruicem oriantur, ſpirandi difficultate paulo poſt moriuntur.

Hoc bis, terve in re medica exercenda obſeruauit, nihilque habet plane perpetui. Pernicioſa, ſi ſine ſignis lenioribus acceſſerint, mortis indicia ſunt dolorem pectus inſidere, cum torpere malum; hos, ſi præterea febris ardentior corripuerit, moriuntur.

Duarum ægritudinum ſymptomata coniunxit, quę alias, atque alias corporis ſedes corripuerunt. Quos lumborum dolor male habet, isque ad os ventriculi recurrerit, horridæque febriculæ conſequantur, euomuntque aquoſa, tenuia, multa, menteque minime compotes ſint, atque obmuteſcant, acceſſerit nigrorum vomitus, moriuntur.

Coaceruata ſunt & hoc loco praua & multa ſymptomata, at inepte. Quibus voces vna cum febre poſt iudicium deficiunt, ii trementes, ac ſopore occupati moriuntur.

Hoc autem non ſæpe accidit. Ægritudines, quę prima ipſa die cum vexatione corporis, cum ſuſpiriis, & ſalutis deſperatione, aut delirio corripiunt, has principio vigilias afferre, deinde interitus periculum oſtentare ſæpiſſime obſeruaui. Ventrem ſupprimi, deinde poſt aliquot dies profluere, & morbum minime minui, & quæ excernuntur male olere, mortis indicia eſſe ſæpe vſu comperi; verumtamen morbus longius tempus habebit.

Valde mortiferum, πρόδρα καὶ λίαν, idem quod κάρτα ſignificant; quibus autem κάρτα adiunctum eſt, ea ſemper vnum & idem demonſtrant, raro aliter. Perpendere quoque neceſſe eſt, num oculi aliquid appareat in ſummo palpebris nondum commiſſis; ſi id neque alui profluuium,

profluuium,aut medicamentum expreſſerit,aut ęgrotus ita dormire ſolitus ſit,malum ſignū, & valde mortiferum eſt. idem ſcriptum reliquit alio in loco, aliis tamen verbis.

Magis mortiferum. His vero magis mortifera ſunt ſtercora nigra,aut pinguia,aut liuida,aut ęruginoſa,aut male olentia. Mortiferæ vero magis ſunt vrinæ & mali odoris,& aquoſæ,& nigræ,& craſſæ.

Magis horribile. Si vero pronus fiat, & deorſum ad pedes ſcilicet lecti delabatur,magis horribile eſt.

Mortem proximam, & citam. Si vero peruertatur aut liuida,aut pallida palpebra, aut labium, aut naſus iiſdem præditus coloribus,aliis prętereа accedentibus ſignis mortem ſubeſſe ſciendum eſt. Quicumque igitur tumores duri & dolorem afferentes, magnique ſunt,periculum mortis breui imminere oſtendunt. ſi vero pręter grauitatē vngues & digiti liuidi fiant,mors illico expectanda eſt. Celerrimam autem mortem ſignificat liuidus vomitus,pręſertim ſi male oleat. Quos capitis,ceruicisque dolores & grauitates cum febre & ſine febre corripiunt,ii ſi in delirium incidunt,conuelluntur,at æruginoſa quoque euomunt; atque horum nonnulli cito pereunt:nonnulli obnaturam robuſtiorem II. aut III. interdū v. die extinguuntur. Quibuſcumque morbis acutis aut diuturnis, aut vulneribus, aut alia ratione extenuatis atram bilem aut ſanguinem nigrum aluus reddiderit,poſtridie moriūtur. In febre non intermittente ſi labium aut palpebra,aut ſupercilium,aut oculus,aut naſus peruertatur,aut minime videat,aut nō audiat,ægroto iam debili propinqua mors eſt. Non ſitire in febri magna vel ægrotum de mente deturbatum eſſe, indicat vel naturalem ventriculi vim (vt ita dicam) cadaueroſam eſſe. Craſſum ſedimentum in vrinis eorum,qui moriebantur,erat. Obmuteſcere, extrema nō amplius caleſcere,nihil mingere mortem proximam denunciant. nihil mingere in præcipiti æ-

grum esse significat. Torpor, ignauia, desidia vel à frigidis, crassis, aut glutinosis humoribus procreatur; vel ob virtutis extinctionem accidit, vt æger conquiescat, & torpor consequatur, symptomaque est morientium ob immoderatam intemperiem. Ventriculi dolor cum præcordiis intentis, & capitis dolor, nonnihil malis moribus præditum significat, & anhelitum sublimem prænunciat. num hi repentinò moriuntur? veluti Dysodes; qui vrinas vehementer fermentatas habebat, & faciei ruborem. Si bibenti strepitus aquæ decurrentis, qualis in aquarum diuortiis post magnas pluuias, aut post niues calore solutas audire solemus, sentiamus, id sæpe mortem subesse ostendit.

Valde pernicioſa, καρτα ὀλέθρια, quibus κάρτα additum est, perpetuo vnum quoddam demonstrant; raro non indicant. Valde pernicioſa signa, plus sunt quam mortifera. Valde pernicioſis signis, si aliquod malum signum accesserit, desperatus homo est. Et si valde exitialia signa sunt, cito hominẽ iugulabunt. Si vero frigidus ex naso & ore spiritus edatur, valde iam pernicioſus est. Ex suppurationibus, quæcumque dum sputum adhuc bilioſum est suppurantur, illæ pernicioſæ valde sunt. Siue bilioſum illud seorsum, siue vna cum pure expuatur. Dolores cum febre, qui lumbos occuparint, & inferiores partes, si ad septum transuersum transierint, ab inferioribusque partibus discesserint, pernicioſi valde sunt. Si vero omnes colores idem euomat, valde pernicioſum est. Capitis doloribus magnis & continuis cum febre, si mortiferorum signorum aliquod accesserit, pernicioſi valde sunt. Quæ vero anginæ æque dolorem afferunt, in exterioremque partem feruntur, & in faucibus rubores gignunt, pernicioſæ quidem valde sunt, verumtamen prædictis diuturniores, præsertim si haud vulgaris rubor accesserit. Stridor dentium in febribus, ei, qui à puero non consueuit, furorem & mortem prænunciat. at prædicere

cere oportet ab vtrisque periculum imminere. si insanus hoc faciat iam valde pernicioſus eſt. in lumborum doloribus ſi recurrerint ad latus, malum tantummodo vocauit. Itemque tuberculum, quod ſeps vocatur. Periculoſiſſima. Natura cum extrudere conatur, quæ morbum faciunt, continuo maxima in corpore ægrotantis excitatur perturbatio, ob quam ſymptoma huiuſcemodi cum apertiſſima maturitatis ſignis apparet. at cum ſimilis cooritur tempeſtas, ac perturbatio nullo prius ſigno antecedente, quod conſequi expulſionem commode poſſet, tum periculoſiſſimum eſt indicium.

Pernicioſiſſima. Quod ſi crudiori morbo vitioſæ quoque cauſſæ acceſſerit indicium, pernicioſiſſimum eſt, vt ſputum nigrum, & vrinæ nigræ. Iam vero veſicæ duræ, & dolorem facientes omnino quidem horrendæ & pernicioſæ ſunt. pernicioſiſſima vero, quæ cum febre continua huiuſcemodi ſunt; etenim dolores ab ipſis veſicis ortæ mortem per ſe afferre nullo negocio poſſunt. Caput manus & pedes ſi frigida ſunt, malum eſt; vbi & venter & latera calidiora ſint. Hoc ſumme pernicioſum eſt ex Galeni ſententia, ſi in principio morbi cum febre ardentiſſima conſequetur; & deterius ſignum eſt, ſi adoleſcenti ſuperuenerit, quam ſeni.

Maxime terribile, δεινότατον. Huic opponitur placidiſſ. ſcilicet ſignum, aliquando optimum. Cuncta vero in morbis hoc pacto animaduertere debemus; principio quidem ægroti faciem, an ſimilis ſit iis, qui bona vtuntur valetudine, præcipue vero an ipſe ſui ipſius ſpeciem gerat, conſiderandum; quæ ſi illi par eſt, optima merito eſto; ſin contraria fuerit, maxime terribile eſt. Naturæ vero maxime maleficæ, & quę ſignis maxime terribilibus febres ægrotos corripiunt IV. die, aut citius multo iugulant.

Maligniſſ. His contraria ſecuriſſ. ſunt. Naturæ vero maxime maleficæ, & quæ ſignis maxime terribilibus febres ægrotos occupant IV. die aut citius iugulant.

Timor. Verendum maxime eſt, ne qui bilioſa, aut cum pure ex pectore expuit, interiturus ſit XIII. die, niſi ſi aliquod bonum ſignum acceſſerit. Si vero neq; poſt vrinam dolor mitigetur, neque veſica molliatur, & febris continua fuerit, in primis morbi acceſſionibus ægrotum moriturum eſſe maxime pertimeſcendum eſt.

Deſperatus homo. Dolores cum febre, qui lumbos & inferiores partes occuparint, ſi ad ſeptum tranſuerſum tranſierint, ab inferioribuſque partibus diſceſſerint pernicioſi valde ſunt. Quapropter cætera quoque ſigna perpendere oportet; namque ſi aliquod malorum ſignorum præterea acceſſerit, ægrotus deſperatus eſt. Si Hydropicum tuſſis corripuerit, deſperatus eſt.

De mediis ſignis. CAP. XXIX.

MEdia vero ſigna, quæ moleſta ita eſſe ſolent ægrotantibus, vt tamen ſine pernicie ſint, re ipſa vere media ſunt, non cogitatione & cõiectura tantummodo informata. Ea enim ſententia quæ ita ſcripta eſt. Is, qui ſeptima die bilioſa & pus ex pectore expuit, ne XIV. intereat, maxime timere oportet, idque medium mortis indicium eſt, & (vt ita dicam) medium mortis impetum ſignificat. huic ſi reliqua media ſigna acceſſerint, nempe corporis conſtitutio, ætas, vires, regio, anni tempus, hic XIV. morietur; ſi vero bona ſuperuenerint, mors ad XVII. proferetur, aut ad XX. Sin ad mala redibunt, intra ſeptimum & XIV. morietur. quod ſi ſenio confectus ſit, vireſque habeat imbecilliores, temperamentum calidius & ſiccius, Autumno vero in morbum inciderit, mors illico poſt VII. imminebit, IX. ſcilicet, aut X. ad ſummum. Incom-

Incommoda, ἐλκωτικὲς καὶ ἀλκωτικές. Sudores optimi sunt in cunctis acutis morbis, qui in diebus, qui iudicia afferunt, emanant, & febrem protinus abstergunt. Boni vero sunt, qui per totum corpus emittuntur, in caussaque sunt, vt homo facilius morbum ferat; qui vero hæc non præstiterit, incommodi sunt.

Difficilia. Hoc verbum in paruis ægritudinibus & symptomatibus vsurpare solent medici. Albæ alui sordes in morbis acutis difficiles. Quibus in surditate, & torpore paruum consequitur è naribus quasi stillicidium, id habet nescio quid difficultatis. aliæ, atque aliæ caussæ, quæ morbum faciant, difficilem reddunt ægritudinem; contrariarum autem consociatio difficiliorem multo. Quæ plurima præter naturam habent ægritudines, difficiliores sunt.

In his morbis, qui cerebrum occuparunt, mortiferum signum est. Vndecima die sanguinis stillæ difficiles cum alias, tum si non semel sed iterum stillarint.

Hoc singulare quoddam est.

Suspecta. Si venter subliuida cum perturbationibus extruderit, & vrinæ tenues & aquosæ descenderint, ea suspecta habere oportet.

De vtrisq; separatim traditum est ab Hippoc. quod prauæ sint.

Morbus paruus & magnus. In alui sordibus (modo eas residere permiseris, nec moueris) si quædam subsident, veluti strigmenta, quæ parua sint, paruus morbus est; si multa magnus. Et qualia, quæ per vrinam & aluum profunduntur, & quæ per cutis meatus extruduntur, & si quæ alia corpus propellit via, considerandum diligenter est, num à naturalibus longius absint: etenim si parum à naturalibus distant, paruus morbus est, si multum magnus; si quamplurimum, morbus pernicioſus erit. Sputum glutinosum & vehementer ab affectis partibus detentum magnum morbum indicat.

Non mala. Et quanto plures fuerint ſordium ventris colores, quas medicamentum deiecerit, minime mali ſunt.

Difficile iudicium. Morborum quidam iudicia ſubeunt, quidam vero non; & quidam difficile, hoc eſt, male iudicantur; difficile vero aut moleſtia aut longitudine temporis diffinitur; quemadmodum facilia, quæ ſine moleſtia, & breui tempore perficiuntur, vocantur. eorum qui iudicia exercent, quidam ægrotos ad ſanitatem perducunt, & hęc humoribus plane concoctis eduntur iudicia, quidam vero iugulant, cum ſcilicet humores maturitatem nullam perceperint, aut paruam; in hiſce ægroti plerumque ante morbi ſtatum moriuntur, mala, atque adeo peſſima, ac peſtifera iudicia vocantur. Qui vero iudicia non afferunt, fere omnes mortiferi aut longiſſimi morbi ſunt, in quibus cuncta crudiora obſeruamus. Qui vero difficulter, hoc eſt, male iudicant, in iis aut concoctio quidem inſtituta eſt, ſed nondum eſt abſoluta, aut diebus, quæ iudicia minime afferre ſolent, humorum emiſſiones ſubſequuntur; aut parum firma, & plane incerta iudicia illa euadunt, aut pernicioſa aut certe periculoſa habent adiuncta ſymptomata, aut recidiuam tandem afferūt. Mala autem iudicia dicuntur, quæ cum naturalibus emiſſionibus aut abſceſſibus facta non modo ægrotos nihil iuuant, verum quoque vt deterius ſe habeant in cauſſa ſunt. Quibus in febribus VI. die rigores fiunt, vix iudicia ægri ſubeunt. Quibus acceſſiones fiunt, quacumque tandem hora febris dimiſerit, ſi poſtridie eadem, qua antea hora occuparit, vix iudicium exercebitur. Quæ iudicia afferre ſolent, illaque minime exercent, partim peſtifera ſunt, partim vero difficilia iudicia portendunt. Quæcumq; ſigna iudicia demonſtrant, ea ſi non exercentur, difficilius morbi eadem ſubeunt. Quarta die ſuperuenientes ſanguinis è naribus profuſiones ægre iudicia afferunt.

Morbus

Morbus incoctus. Quod crudum est, ei, quod secundum naturam se habet, maxime contrarium est, magnamque ostendit partium ægritudine affectarum imbecillitatem. Signa cruditatis materiæ diutinum quidem morbum necessario significant, sed quantum in ipsis est, neque interiturum, neque conualiturum ægrum portendunt. Quæ concoctionem & cruditatem indicant petenda sunt ex duobus libris, primo scilicet & secundo De materiæ maturitate in morbis: in illis enim cuncta signa diligentissime persecuti sumus. Quamdiu autem fulua profluxerit vrina & tenuis morbum nondum maturitatem assecutum esse significat. Raucedines & grauedines, in valde senibus minime maturantur. Vrinæ turbulentæ, & quæ subsident, concoctionis cuiusdam initium significant; quæ vero non subsident præter flatuosam turbationem crassitiem incoctorum humorum indicant: vrinæ nigræ certamen aliquando & perturbationem ostendunt. Vrinæ fermentatæ humores naturam mouere, agitare & perturbare ostendunt; vrinæ vero quę fermentantur, principio haud vulgarem crassitiem nactæ sint, oportet, deinde leniter efferuescāt, & pars, quæ spiritu magis prædita est, cum citius agitetur, in tumore maiori sit, bullasque maiores concitet, quam cum edebatur vrina, necesse est.

Longitudo morbi. Morbus longius ducitur, cum cruda omnia minimeque matura naturam propellere obseruamus. Signa longitudinis morbi cum mortiferis, & pernicios is esse possunt, præterea vero cum concoctionis & maturitatis notis vnà concurrere possunt. Plusque aliquādo significat, quā malū. Caussę obfirmatæ febres diuturniores efficiunt. Affectiones item variæ morbi longitudinem demonstrant. quid? nonne partes primariæ magnas, ac diuturnas ægritudines afferre obseruamus?

Sudores peſſimi ſunt frigidi, & tantummodo ex facie emanantes, necnon ex ceruice; hi enim cum acuta febre mortem prænunciant, cum leniore vero diuturnitatem morbi. Qui vero tumores in præcordiis ſunt molles & ſine dolore, & digitis facile cedũt, diuturniores prędictis ſunt. Quæ vero venter reddit, ſi varia ſint, diuturniora quidẽ his ſunt, nihilominus autem perniciosa. Si vero vrina intermiſerit, & nonnunquam pura edatur, nonnunquã vero ſubſideat album & lene, longior fiet morbus & magis periculoſus. Si vero fuerit vrina ſubrubra, & ſubſideãt in ipſa ſimilia, & lenia, longius ducetur morbus hic quã prior, ſed maxime ſalubris erit. Quæ autem anginæ eoſdem dolores afferent, in tumore vero ſunt, & facies rubet; peſtiferæ quidem maxime ſunt, ſed diutius quã priores prorogabuntur, præſertim ſi rubor maior conſequatur. Quibus vero fauces & ceruix vna rubuerint, hæ anginæ lentius agẽt, & ægroti maxime ſeruantur, ſi & ceruix & pectus maxime rubeãt, & eryſipelas intro nõ recurrerit. Quibus vero & obſcura vox accedebat, Anginæ acriores erant, diutiuſq; vexabant. Qui vero III. V. VII. IX. XI. XIIII. XVII. XXI. XXVII. XXXI. XXXIIII. ſudores conſequuntur, dolorem ſignificãt, & morbũ pducunt, & recidiuas minitantur. Febricitantes nõ plane leniter, ſuo ſemper ſtatu manere, nihilque corpus emacreſcere, aut magis quam pro ratione extabeſcere & quaſi colliquari malum eſt: illud enim morbum productiorem, hoc vero naturæ imbecillitatem ſignificat. Frigidi ſudores cum acuta febre manantes ægrotis mortem minitantur, cum leniori vero morbus extrahitur. Atque vbi in toto corpore mutationes acciderint, & ſi corpus modo refrigeretur, modo calefiat, & modo hic, modo vero ille color diffundatur, morbus moram faciet. In febribus abſceſſus, qui in primis iudiciis non tolluntur, cunctantur. Febricitanti ſudor conſequens febre non decedente malus; protrahitur enim morbus,

& multam

& multam humiditatem subesse significat. Febri correptis, si in vrinis subsideant crassiora farinæ simillima, spacium morbi proferetur. Quibus in vrinis bullæ innatant, illæ nephritim significant, & morbos producunt. Post sanguinis profluuium rigores morbi diuturnitatem demonstrant. In Pleuritide si talia expectore extrudantur, qualia maxime volumus, celerrime iudicium exercetur, sin minus, aut pernicies ægroto protinus imminebit, aut longius morbus producetur. Si vrinæ mutationes habent, tempus indicant. morbumque necessario modo ad interitum, modò ad salutem se inclinare ostendit.

De sedibus indiciorum. CAP. XXX.

HÆc nunc de signis habui. modò certa vnicuique indicio sedes assignanda est, & vnumquodque ad suum quasi gradum efferendum, & ante oculos singillatim cuncta adducenda, vt quàm facillime ea nobis in notitiam veniant. Quatuor verò gradus eorum efficiamus. in primum veniant, quæ bona sunt, vt illa nebulæ, quæ apparent in vrinis albæ quidem bonæ sunt, & illa de sudoribus. Qui in causa sunt, vt facilius multò ægroti morbum ferãt: secundum locum obtineant, quæ cum comparatione aliqua scripta sunt. Sputa, quæ dolorem leuant, cæteris meliora. in eundem ordinem redigantur, quæ valde vtilia appellantur, vt ea. Sputum autem flauum sanguine mixtum non adeo multo si in pulmonis inflammationibus inter initia morborum edatur, valde prodest. Tertium locum ascendant optima simpliciter, vt illud pus album, æquale, leue cuique nulla præterea odoris fœditas accedat, & alui sordes optima est, mollis, coacta, & quæ eodem tempore extruditur, quo secunda valetudine ægrotus assueuit. cum his & aggregentur & illa. Vomitus commodiss. est expituita cum bile maxime permixtus. Postremum ordinem teneant, quæ maximam

vim habere ad ſalutem dicuntur, vt bene, & facile ſpirare. Malorum itidem ſignorum quatuor ſint gradus. Quædam enim ſimpliciter talia eſſe dicantur; vt illa. Si pedes quoque nudet, nec his calor ſubſit, malum. Et quæ ſcripta reliquit de manuum proiectione, nec non de ſputis. In ſecundum gradum veniant, quæ comparatiue dicuntur, vt illa. Si verò cum toto corpore, tum verò manibus ac pedibus grauitatem ſentiat, magis periculoſum eſt. Tertium gradum aſcendunt ea, quæ peſſima ſunt, vt illa. Peſſimi ſudores frigidi, tametſi tantummodo caput, facies, & ceruix ſudore madeant. In quarto gradu collocantur ea ſigna, quæ mortem ſubeſſe ſignificant, quæ contraria planè ſunt illis, quæ magnam habere vim ad ſalutem dicuntur, vt illi. Si autem peruertatur, aut liuida & pallida palpebra eſt, aut labium, aut naſus iiſdem præditus coloribus, aliis præterea accedentibus ſignis, mortem ſubeſſe ſciendum eſt. Et valde pernicioſa, vt ſtridor dentium in febribus qui id à puero non conſueuit, furorem & mortem prænunciat.

BONORVM SIGNORVM GRADVS.

Primus.	Secundus.	Tertius.	Quartus.
Bona. 63.	*Melius.* 62.	*Optima.* 59.	*Valde magni momenti.* 59.
Salutaria. 65.	*Securius.* 63.	*Placidiſſ.* 61.	
Superſtes. 65.	*Valde prodeſt.* 63.	*Securiſſ.* 62.	
		Securitatem. 62.	
Viile. 66.		*Commodiſſ.* 62.	
Prodeſt. 66.			
Commoda. 67.			
Oportet. 67.			
Conducit. 67.			
Soluit. 67.			

MALORVM SIGNORVM GRADVS.

Primus.	Secundus.	Tertius.	Quartus.
Mala. 71.	*Peiora, ſeu deteriora.* 86.	*Peßima.* 87.	Mortẽ *proximam, & citam.* 100.
Magnũ malum. 79.	*Valde mala.* 87.	*Periculoſiſſima.*	*Valde pernicioſa.* 101.
Abſurdum. 79.	*Magis periculo-*	*Pernicioſa.* 88.	
		Terribile. 92.	

Maligna.

Maligna. 82.
Minus graue. 85.
Prauum. 80.
Praua admodũ. 81.
Periculosa. 85.
Minus periculosa. 85.
Non bonum. 85.
Minus bona. 85.
Damnare. 85.
Minus securũ. 86.
Minus perniciosa. 87.
Non magnopere perniciosa. 86.
Non valde mortifera. 86.
Mortifera. 92.
Mors. 96.
Valde mortifera. 99.
Magis mortifera. 100.
Magis terribilia. 100.
Terribilia maxime. 102.
Maligniss. 102.
Perniciosiss. 101.
Timor. 102.
Desperatus homo. 102.

MEDIA SIGNA. 103.

Inutilia, aut incommoda. 103.
Difficilia. 103.
Suspecta. 103.
Non malum. 104.
Difficile iudicium. 104.
Morbus magnus, et parvus. 104.
Morbus incoctus 105.
Longitudo morbi. 106.

In quæ desinere solent morbi, & eorum indicia.

CAP. XXXI.

HACTENVS ostendimus perfectam & absolutam signorum omnium distributionem, ac vires: nunc cum in morbis curandis quasi præter spem aliquando euenire obseruemus, vt ægritudines aut in abscessus desinant, aut conuulsiones, aut deliria, aut animi deliquia consequantur, aut dysenteriæ, intestinorum leuitates, aqua inter cutem, parotides, puris eruptiones, recidiuæ, sanguinis profluuia, suppurationes, vomitus, capitis atque veteri dolores, paraplegiæ, maniæ, cæcitates, sudores, rigores post illos excitentur; vt cuncta meditata habeat medicus incommoda, quæ ægros vrgere, & vexare maxime solent, atque in curationibus illius animo nihil quicquam accidat noui, de signis, quæ illa demonstrant, ac præcinunt vel symptomata vel mala maxime agẽdum nobis esse intelligo. qua in re Hippoc. aliorumq;, qui clariss. senis, quem optimè in morbis præsagisse nemo non fatetur, auctoritatem, sectam-

que ſecuti ſunt, ſententiis ſcriptiſque vtemur: eaque in hunc librum (vt & antea fecimus) diſtinctè & ordinatè diſpoſita transferre conabimur.

Abſceſſus. ad abſceſſus vel bonos vel malos ægritudines aliquando conuerti nouum non eſt. ad bonos abſceſſus malum traduci concoctio eorum, quæ depelluntur, demonſtrat. ad malos recidere cruda, & inconcocta præmonſtrant. in abſceſſibus qui fiunt in dieb. qui afferunt iudicia, vt crudiorem, ita etiam diuturniorem morbum eſſe oportet. qui enim maturitatem habet morbus, ipſe ſua vi ſoluitur; pernicioſior verò nullum habet abſceſſum. at ſi diuturnior, & crudior, neque malignus fuerit, tunc abſceſſum futurum meritò inclinat animus. Abſceſſus autem aut per venas, aut per oſſa, aut neruos, aut cutim, aut alias partes maxime erumpere ſolent. & idem paullo poſt. Abſceſſus aut per venas aut per aluum, aut per neruos, aut per cutim erumpunt, aut in oſſa prorumpunt, aut in ſpinalem medullam, aut in cæteros quoſdam quaſi emiſſarios, vt os, pudendum, aures, nares. abſceſſus fiunt (vt ſupra oſtendimus ἢ κατ' ἐκροὴν, ἢ κατ' ἀπόδοσιν. optimi ſunt, qui inferiores partes occupant, eaſque à morbo remotiſſ. ac qui per eas vias extruduntur, per quę commodo naturæ id fieri poteſt, vt per aluum, per vrinæ veſicam. Si in ieiuno, aut iecore vitium ſubeſt, inferius extruduntur humores, coxæ dolent, pudendum liuet, teſticulus in tumore eſt. Si abſceſſum futurum ſperaueris, humorum perpende (vt ita dicam) inclinationem, ad quam ſcilicet ferantur partem, & vniuſcuiuſque partis non modo ſitum, dignitatem, verum etiam ſymptomatum vires & præcordiorum diſtentiones conſidera, circumſpiciendus quoque eſt humor, qui aut paucus, aut multus, acris, aut viſcoſus, calidus, aut frigidus, aut denique malignus eſt, aut certe euadere poteſt. ſi ex omnibus ſignis coniicies ad caput humorum impetum ferri, parotidas continuò fore prædica.

prædica. In febribus in quibus vrinæ tenuiores feruntur, si inferiores corporis partes frigidiores sint, circa aures & collum abscessus expectare oportet. abscessus excitantur, cum humor crudus est & tempus anni frigidius. abscessus vel interiora occupant, vel exteriora inuadunt; hi leniores, illi pestiferi sæpe esse solent. Febre occupatis morbus Regius superuenit, aliquando quidem tanquam symptoma iecoris affecti, interdum naturabilem per cutim extrudere conatur. at id præstare non potest, quod in omnibus fere abscessibus præstare potest natura.

At si digiti ac pedes penitus nigrescant, minus pernicioſi sunt, quàm liuidi, verumtamen alia quoque signa expendere oportet; etenim si facile videantur ferre morbum, & aliquod aliud ex salutaribus ad hæc signum accesserit, morbum abscessu finiri posse sperandum est, ita vt æger quidem incolumis euasurus sit, at corporis partes nigræ decidant. Quicunque vrinas tenues & crudas diutius edunt, si cætera veluti incoluminibus signa accesserint, abscessum expectare oportet in locis infra septum transuersum. ex pulmonis inflammationibus, quibus abscessus circa aures oriuntur, ac suppurantur, aut inferiores partes occupant, ac fistulæ fiunt, ii superstites sunt. Atque huiuscemodi abscessus hoc pacto perpendere oportet, si & febris non quieuerit, & dolor minime depulsus fuerit, & sputum, vt ratio ipsa maxime postulat, non edatur, neque bilioſæ neque solutiores & sinceriores alui sordes fuerint, neque vrina valde multa, & multam habeat subsidentiam; cætera verò omnia signa salutaria consequantur, eaque superstitem ægrotum futurum indicant, tum abscessum huiusmodi fore prænunciant. Fiunt autem abscessus, cum in inferioribus quidem partibus iis, in quorum ægritudinibus inflammatio præcordia occuparit; tum verò in superioribus iis, quibus præcordia mollia & minime dolentia fuerint, & spi-

randi difficultas, quæ longo interuallo ægrum vexarit, ceſſarit nulla manifeſta cauſa præcedente. Si verò ſputum non rectè edatur, neque in vrina aliquid ſubſederit, verendum eſt, ne claudus futurus ſit articulus, aut certe quamplurimum moleſtiarum exhibiturus. Capitis dolores magni ac continui cum febre, ſi mortiferorum ſignorum aliquod acceſſerit, pernicioſi valde ſunt; ſin verò abſque talibus ſignis dolor viginti dies pertrãſierit, & febris vrgeat, ſanguinis ex naribus profluuium aut abſceſſum quendam in inferiores partes peruadentem expectare oportet, verumtamen quamdiu dolor recens adfuerit, eadem ratione ſanguinis è naribus profluuium ſperandum eſt, cum aliàs, tum ſi dolor tempora ac frontem occuparit. Quæcunque febris moram longiorem facit ægroto ad ſanitatem properante, ſic vt neque dolor vrgeat propter inflammationem, aut propter aliam manifeſtam cauſam, huic abſceſſus prorũpet cum dolore ac tumore in aliquem articùlum, maximeq; in inferiorem. Prorumpunt autem huiuſcemodi abſceſſus magis & ocius iis, qui triginta annos minime exceſſerint. expectare verò oportet illico abſceſſum, ſi febris vrgeat, vigeſimumq; diem tranſierit. Seniores verò minus corripiunt abſceſſus febre productiore. At verò huiuſcemodi abſceſſus expectare oportet in febribus continuis, quæ ad quartanas deflectent, ſi intermiſerint, & multiplici, & erratico motu ægrum occuparint, atque hæc agens Autumnus appropinquet. Atque vt abſceſſus oritur his, qui nondum xxx. annos attigerint, ita quartanæ magis eos occupant, qui xxx. annos agunt & amplius. Cæterum illud animaduertere operæpretium eſt, magis hieme gigni, tardiuſque decedere, ac minus recurrere. Abſceſſus febres cauſos abſtergere ſolent, at non veros. Et ſi in hiſce vel ieiunum inteſtinum, vel iecur maxime afficitur, abſceſſus inferiores magis partes occupant. Hinc coxæ dolores oriuntur, pudenda liuent, teſteſque

teſteſque denique contenduntur. In quibus abſceſſus oculos occupaturi ſunt in febribus ardentibus, iis maxillæ rubent, & ſanguis è naribus fluit; ſed & quibus poſt aures oriuntur. Forte autem & abſceſſus articulos corripient; nondum tamen id aperte noui. Abſceſſus non ſæpe oriuntur, quibus rigores ſuperueniunt. Tumorum præter naturã concoctio ſuppuratio eſt, quæ ſi in exteriorem partem feratur & parua ſit, & quàm maxime foras deferatur, optima (vt & antea diximus) eſt; quæ verò magna & latior, & in exteriores partes minime fertur, minimeque acuta eſt, peſſima eſt; quæcunque verò in exterioribus partibus rumpuntur, optimæ ſunt, quæ nihil habent commune cum interioribus partibus, ſed contractiores ſunt, doloremq; minime afferunt, & tota exterior pars vno & eodem colore prædita eſt. Phymata, quæ acuta ſunt, in exterioremq; partem maxime feruntur, ac omni ex parte matureſcunt, atque circum circa dura non ſunt, deorſumque minime vergunt, bifariamq; minime diſtribuuntur, meliora; contraria verò mala: & quo magis contraria ſunt, eò ſunt deteriora. Quibus tumores poſt aures in iudicio excitati non ſuppurarunt, his euaneſcentibus recurrunt, quemadmodum ſolet accidere in morborum repetitionibus; vbi autem morbus recruduit, iterum in tumore ſunt ac permanent, quemadmodum in ſimili febrium ambitu redintegrationes facere ſolent; in his ne abſceſſus in articulis oriantur, timeri poteſt: idem planè ſcriptum reliquit 3. De humor. 6. vrina craſſa, alba vt in puero Archigenis obſeruauimus in quartanis die, quas laſſitudines excitant, procedere ſolet, & liberat ab abſceſſu: quod ſi huic quoque accedat ſanguinis è naribus profluuium, citiſſime morbum tollit. eadem ſanè litteris mandauit 3. De humoribus. Quinimò & in febribus cum laſſitudine tuſſes ſiccæ ſi inuadant, ac cum febre ſemper hæreant, in articulos abſceſſus vel dolores excitant. Abſceſſus in febribus

maxime in articulis maxilliſque oriuntur: eum autem locum protinus obſident, quem dolor maxime occuparit, atque potius ac ſæpius ſuperiores partes peruadunt; ſi verò lentè morbus agat, doloreſque inferiores partes vrgeant; abſceſſus quoque in inferioribus partibus excitantur, maxime vero pedes calidiores inferius, frigidiores ſuperius abſceſſus orituros eſſe ſignificant. Siquidem ex fluentibus aliquid intus relinquatur, illico morbus ad abſceſſum conuertitur. In iis, qui ex morbo emerſerunt, ſi de improuiſo manus & pedes doloribus conflictentur, in illis abſceſſus cõtinuò concitabuntur. Et ſi quæ pars ante morbum vehementius laborarit, ibi morbus conſidet; quod iis maxime euenit, quos Perinthi tuſſis, anginaque vexauit. Tuſſis enim non aliter atque febris abſceſſus excitat. Qui in febribus laſſitudines ſentiunt, iis in articulis, & in maxillis potiſſimum abſceſſus prorumpunt. Quibus à morbo confirmatis, pars aliqua laborem affert, eò abſceſſus prorumpunt. At ſi quæ ante morbum pars dolorẽ attulerit, ibi ſedem ſuam abſceſſus delegit. Quos febres longiores vexãt, iis tubercula in articulis erumpunt, aut dolor eos affligit. Vbi ſuſpitio eſt ad articulos abſceſſum erupturum, eum planè delet vrina multa, craſſa & alba, qualis in febribus laborioſis IIII. die nonnullis profluere incipit: quòd ſi ex naribus etiam ſanguis fluxerit, breui exitũ res habebit. Si iis, qui renum dolore iampridem correpti ſunt præter prędicta ſigna dolores etiam in ſpinæ muſculis oriantur, modò exteriora loca occuparint, foras quoque vertetur abſceſſus, quòd ſi interiora magis obſederint, interius quoq; abſceſſum prorupturum potius ſuſpicandum eſt. vbi tuſſis & febris infeſtarit, ſubitoque tuſſis quieuerit, aut abſceſſus conſequi, aut iuncturas, aut renes vehementiores dolores occupare ſæpe obſeruaui. acutiores dolores & ponderis ſenſus lapidem in renibus ſubeſſe demonſtrabant; punctiones, & idem ponderis

ſenſus

sensus vel iuncturarum dolorem, vel abscessum assurgere ostendebant.

Conuulsiones. CAP. XXXII.

CONVVLSIONES, vel neruorum distentiones. Si pus cum vrina edatur in eorum ægritudine, qui in distentione neruorum inciderunt, signum bonum est, & morbū maturari indicat. At verò pueris neruorum distētiones consequuntur, si febris accesserit acuta, & venter nihil reddiderit, nec somnus accesserit, & terreantur, & plorent, & sæpe colorem mutent, & viridem seu pallidum, aut liuidum, aut rubrū diffuderint. Accidunt verò hæc potius quidem pueris nuper ortis vsq; ad septimum annū; qui verò hos excesserint, & viri huiuscemodi morbo non corripiuntur, nisi si aliquod signum maximum, & pessimum accesserit, qualia sanè in phreniticis accidere consueuerunt. pueri, quos grauitas capitis totius, stomachiq; morsus, atque fastidia male habent, & bilioſa & pituitoſa euomunt, plerunq; in conuulsionem incidunt. Quos ceruicis, capitisq; dolores ac grauitas cum febre, & sine illa vrgent, si pueri sunt, plerumq; ad conuulsiones compelluntur. Quibus tumores in vlceribus apparent, non valde conuelluntur, neque insaniunt, his repente dissipatis retrorsum quidem conuulsiones, & distentiones fiunt, antrorsum verò insaniæ, lateris dolores acuti, aut suppuratio, aut dysenteria, si rubicundiores magis fuerint tumores. Eadem ferè litteris consignauit secundo De m. V. Maxillarum contractio, manuumq; (vt ita dicam) porrectiones, & dentium stridor, neruorum distentionem præcinunt. Alui contentio, liquida vix vi expressa extrudens celeriter intumescentes, nescio quid distentionis prænunciat, veluti quoq; Aspasii F. superrigere his pernicioſum: post hæc conuulsus factus ac tumefactus diutius ægrotabit, orisque putrefactio viridis accedet.

Ex iis, quæ semel obseruauit, generalia præcepta colligere conatur in multis magnopere errans. Quibus in lumbis dolor est lenis, & diutinus præcordia corripiens, & ciborum fastidium afferens vnà cum febre, eos si capitis dolor vehementior, grauiorque occuparit, repentinò cum quadam distentione neruorum moriuntur.

At hic nobis optime consultum esse minime vult; namque hæc, quæ hîc coniunctim affert, necessariò minime sequuntur. Rigores superuenientes, qui noctu magis aliquo pacto accessiones habent, cum vigiliis, & venarum agitationibus in somnis vrinæ non nunquam procedunt sine voluntate, in neruorum distentiones aliquando cum sopore desinunt.

Multa hic affert, quæ cum cæteris minime congruunt, communiaque à propriis separare, seiungereque nescit. Qui inter initia sudoribus madent, vrinis concoctis; incenduntur que, ac sine iudicio frigore frigescunt, breui toti ardere videntur, torpidi item, sopore distentioneque neruorum occupati perniciosè se habent quædam, & hac in sententia planè superuacanea reperiuntur. Vterum gerentibus capitis dolores soporesque cum grauitate accedentes mali sunt, forte autem hisce etiam distentio neruorum prodest.

Quæ rarò eueniunt à Prorrhet. scientia remota esse debent. In faucibus gracilibus dolores; qui strangulare videantur, distentionis neruorum quandam dant significationem, cum aliàs, tum verò si dolere antea caput inceperit, veluti in Thrasimontis F.F. contigit.

Quas in aliquo ægroto concursiones obseruauit, notauit, quæ cum præceptis generalibus colligari minime possunt. Tremores si in neruorum distentiones euadunt, dum sudores oriuntur, recurrere solent, iudicium eorum exercetur, cum rigor iterum eos occuparit; iterum verò rigent maxime in ventre concluso ardore.

Huius

Huius ſententiæ prima pars planè falſa eſt; ſecunda verò hoc pacto ad veritatem traduci poteſt. ægritudines, quæ cum ſudore deſinere viſę ſunt, iterumque recurrunt, & rurſus incenduntur, atque iterum ſudoribus abſtergi viſæ ſunt, verum, certumque habent iudicium, vbi ſuperriguerint. Tertia verò pars ſic. Ventris æſtus rigorem antecedit. Lumborum dolor, capitis, & oris ventriculi cum ſputo, quod vix ex pectore expuitur, diſtentionem neruorum aliquo modo portendunt.

Meritò hæſitat cum ſingulas res efferat, quaſi generalia ſint. Vrina ſupprimitur, quibus rigores ſuperuenire debent, & ex hiſce neruorum diſtentiones. Turbulentæ ac (vt ita dicam) feroces ex ſomno excitationes, diſtentiones neruorum portendunt, cum aliàs, tum ſi ſudor penitus emanat.

Nihil hæc planè neceſſarii habent. Et colli & dorſi refrigerationes manifeſtæ, quæ & totum corpus corripiant; præterea verò & vrinæ quæ ſpumam habeant vnà cum animi deliquio, & oculorum obſcuritate diſtentionem neruorum non longe abeſſe ſignificant.

At quædam hoc loco reperiuntur, quæ diſtentionem neruorum ne indicant quidem, quædam verò ex euentu. Qui in febribus ſudore madent, caputque eis vehementius dolet, aluo aſtricta neruorum diſtentione corripiuntur.

Non ſæpius, ſed ſemel hoc fortaſſe obſeruauit. Quæ ex lumbis ad collum & caput redundant, & lenis apoplexiæ modo reſoluta ſunt, neruorum diſtentiones oſtendunt & de mente deiiciunt, an & talia diſtentione neruorum ſoluãtur? qui verò huiuſcemodi malis correpti ſunt, variè ægrotant.

Hæc quoq; in aliquo ægroto aliquando ſuperuenire obſeruauit. Neruorum diſtentiones in hyſtericis ſine febre lenes ſunt, vt Dorcadi contigit. in aliis quibuſdam codicibus ſic ſcriptum reperi. Frequentiores

in phreniticis permutationes neruorum distentiones prænunciant. Quæ tantula ferocitate de mente deturbant, atram bilem imminere significant, quod si post muliebrium purgationum retentionem consequantur, ferina sunt: hæc verò amplius superuenire solent, num & hæ conuellantur? num & vocis suppressiones cum sopore neruorum distentionem indicant? Veluti Coriarii F. quæ muliebri profluuio correpta ægrotare cœpit.

In hac omnia non continentur. Post sanguinis profluuium nigrorum alui sordium reiectio mala, praua sunt & valde rubra. an quarto die illud sanguinis profluuium accedat? sopore occupati ex his neruorum distentione pereunt. an nigro stercore præcedente, & ventre tumefacto?

Quicumque hoc scribit, aut obseruat aut in singularibus planè versatur. Quibus largè magnoque impetu, atque copiosè sanguis ex naribus profluit, ii aliquando in neruorum distentionem incidunt, venæ verò sectio liberat.

Delirium, inflammatio, furor.
Cap. XXXIII.

Delirvm, inflammatio, dolor, furor febres & deliria senioribus minus superuenire solent, quàm iunioribus. In Phrenitide iudicialem diem exspectare non potest natura. Quarto & quinto die acuta phrenitide correptos vidi, quibus ex morbo mors consequuta est, at tertiò non vidi. Vigesimum verò diem nõ attingunt. Phrenesis verò cum concitari soleat aut à bile, aut ab humore melancholico, tacere melancholicorum esse notamus; cooperiri verò est proprium vtriusque, nisi si frigore vrgente cooperirentur. In acutis morbis cum repente sanguinis profluuium ex naribus superuenit, vrinam tenuiorem & clariorem fere semper descendere obseruauimus. quod si manus tremulæ

mulæ conſequantur, vel delirium, vel neruorum diſtẽtionem ſemper prædixi. Hinc illa Hippoc. In acutis morbis qui Æſtate & Autumno excitantur, repentina, ſanguinis eruptio, naturæ firmitatem, multamq; in venis inflammationem ſignificat. Itemq; quod poſtero die vrina tenuis deſcendet. & ſi æger ætate floruerit, prædituſq; fuerit ob exercitationes corpore bene carnoſo, vel melancholico, vel ex nimio potu manus trẽmulæ fuerint, delirium vel neruorum diſtentionem prædicere conſentaneum eſt. Natura omnino Æſtate propter aëris caliditatem magis ad ſuperiora mouetur. Boni autem medici officium eſt prædicere mortem, aut dolores magnos. At in ventre iacere, ſi quis ſanus minime aſſueuerit ita dormire, delirium ſignificat, aut dolorem, qui loca circa ventrem vrgeat. Dentium ſtridor in febrib. qui a puero non conſueuit, furorem aut mortem prænunciat. at verò prædicere oportet, ab vtriſq; periculum imminere; quod ſi inſanus hoc faciat, iam valde pernicioſum eſt. Reſpiratio denſa dolorem portendit, aut inflammationem, quæ loca ſuper ſeptum tranſuerſum poſita ſunt, occuparit. Quę verò magna reſpiratio eſt & longo interuallo ducitur, deliriũ indicat. Si verò pulſus quoq; in præcordiis ſentietur, perturbationẽ, aut delirium ſignificat; Oculos item eorum ſpectare oportet; etenim ſi frequentius moueãtur, furioſos hoſce fore ſuſpicandum eſt. Aquæ porrò inter cutem ſi ab acuto morbo concitatæ ſunt omnes malę ſunt, neq; enim febres abſtergunt & ſummos dolores afferunt, & mortiferę ſunt; fons autem & origo huiuſce morbi ſunt præcordia & lumbi, plerũq; verò à iecore incipit. Teſtes & pudenda reuulſa magnos dolores prænunciant, & periculum mortiferum. Peſſimum autẽ eſt neq; noctu neq; interdiu oculis ſomnum videre ſuis; aut enim præ labore vigiliis vrgeri, aut delirio ex huiuſcemodi ſigno colligimus. Flatum ſine ſono & ſtrepitu edi, quàm inibi reuolui melius

est; & qui hoc pacto editus est flatus, aut dolere quidem ægrum significat, aut insanire, nisi si voluntariè ægrotus ita flatum eiiciat. At si desinant, deinde assurgãt abscessus, ægriq; ex toto spuere desinant, febre vrgente, terribile est: periculum enim est, ne deliret ęgrotus, & moriatur. Auris dolor acutus cum febre cõtinua & magna horribilis est; effugere enim non potest, quin aut deliret aut pereat ægrotus: quoniã igitur lubricus hic locus est, cætera signa statim post primã diem animaduertere oportet: namq; minores natu VII. potissimum aut celerius morbo pereunt, ætate verò prouectiores tardius multò: febris enim & delirium minus hos vrgent; ob eamq; causam aures antea suppurantur. At si in recidiuam incidunt, ex ea mors consequitur, minores verò natu antequam suppurent aures, intereunt, si verò ex auribus candidum pus pfluat, spes est natu minorẽ conualiturum, præsertim si aliquod aliud bonum indicium in eius ęgritudine notetur. In magna febre ægrotum minime sitire, vel illum de mente deturbatum esse indicat, vel naturalẽ ventris vim ac facultatem (vt ita dicam) cadaueroſam esse. nisi si fauces humore, qui à capite descendat, madeant, atq; irrigentur. In vrinis eneorema nõ sublime nõ semper indicat desipiẽtiam, sed interdum ex euentu eam commonstrat, quoniã spiritum in corpore abundare eneorema demonstrat. Quibus in aliqua corporis particula dolor vrget, doloremque non sentiunt, iis mens non constat. Quibus in febribus aluus liquidior est, & mens minime constat, horumq; plurimi floccos legunt, nareſque scalpunt, & interrogati, pauca respondent: cæterum per se nihil quod sanum sit planè loquuntur: hæc indicia nõ melancholica, sed phrenitica sunt. Cũ febrientis IIII. die lingua titubet, venterque liquidiora, & biliosiora reddiderit, hic in delirium incidere solet, sed diligenter animaduertere oportet, quid subsequentibus diebus potissimum eueniat. Ab ossis vulnere in-

sania,

sania, præsertim si vulnus ad medullam penetrauerit. Oculi ardentes delirium portendere videntur. Quibus in dextra corporis parte contentio præcordiorum mollior sentitur, hi insaniunt, nisi si febre desinente planè illud abstergant.

At hoc perpetuum minime est. Sputa rotunda deratione deturbãt, qualia in Pleno obseruauimus. Sputa rotunda insaniam significant, vt in Perinthio, huic ex sinistra nare sanguis profluxit, & quinto die conualuit. Vrina, in qua multa subsident, qualis Dexippi post caluitiem fuit, insaniam abstergit. Qui comate occupati inter initia cum capitis, lumborum, præcordiorum, colli dolores vigilantes num phrenitici sunt? nasus hisce stillans pernicioſus cum aliàs, tum verò si quarto die cœpit. Densæ linguæ atque aridæ phrenitim portendunt.

At hoc minime perpetuum est. Ægri si in maximis perturbationibus vigilarint, vrinæque profluxerint sine colore nigræ, in quibus aliquid innatet, illæque cum sudoribus emanant, delirium portendunt.

At nullum neque sudoris neque vrinæ signum proprium phreniticorum est. Insomnia quoque in phreniticis manifesta sunt.

Hoc non phreniticis solis conuenit, neque cunctis, verum plurimis. Screatus frequentiores si & aliud quoddam signum præterea accesserit, phrenesim portendunt.

Hoc item multis, non autem omnibus neque solis superuenire obseruamus. vomitus cum capitis doloribus æruginosi cum surditate, & vigiliis insaniam subesse significant.

Signa hæc delirium notare quidem solent, at perpetua & inseparabilia signa non sunt. In acutis morbis faucium sine tumore dolores haud magni, & qui hominem iugulare queant: atque vbi æger hiarit,

os claudere minime facile possit, mentis errorem portendunt. ex quibus phrenitici euadunt & perniciosè se habent.

Ex huiuscemodi symptomatis phrenesis minime consequi necessariò solet: nihil enim est, quod cerebrum affectum esse demonstret. In phreniticis albæ alui sordes malæ, vt Archecrati: num & hisce etiam torpor superuenit? rigor in his pessimus.

Ne hoc quidem proprium phreniticorum est. In phreniticis inter initia mansuetudo, veruntamen nullo loco posse consistere malum est, & screatus malus.

Nihil planè habet phrenitidis proprium. De mente deiecti, vbi præterea acuta febris accesserit cum sudore, phrenitici euadunt.

Nihil quod perpetuum sit habet. Phrenitici qui exiguè bibunt, ad omnem sonitum protinus commouentur, nullo negocio incidunt in tremorem.

Non omnes quidem, sed qui deterrime se habet. à vomitu cum fastidio si vox cum clangore consequatur, aut sordes in oculis inhæresçant, & quasi puluere pleni videantur insaniam portendunt, vt Hermogigi vxori contigit, quæ insania vehementer vexata, voce amissa, mortua est.

Quædam communia sunt cum tabe occupatis, cætera solis Phreniticis minime conueniunt. In febre ardente si sonitus aurium accedat, sensusque visus hebetior fiat, grauitasque narium superueniat, melancholico modo de mente deturbantur.

Hoc nonnunquam verum est. Mentis errores cum voce, quæ clangorem habeat, linguæ conuulsiones tremebundæ, & voces tremebundæ, mentem depellunt. in hisce durities pernicioſa.

Ne hæc quidem phrenitidis propria sunt, linguæ tremebundæ signa sunt ægros de mente deseri.

Neque hoc proprium phrenitidis signum est.

Molestè

Moleſte ferre morbum cum horrore, partibus ſuperioribus ſi non ſine febre ſudore madeant, phrenitim prænunciat, veluti Ariſtragoræ, hoc quoque pernicioſum.

Hæc dubia ſigna ſunt: illud argumento eſt, quod ægrum laudat. Surditas & vrinæ rubiores, in quibus nihil omnino ſubſidet, & aliquid innatat, de mente ægrotum diſcedere portendunt.

Neque multos huiuſcemodi ægrotos vidit, neque rei euidentiam ſequitur. Mentis errores tremebundi, obſcuri, lenes, in quibus ægroti facile contineantur, valde phrenitici ſunt, veluti Didymarco in Co.

Nunc & verum videtur dicere, & ſingulas res minime notat. Poſt rigorem torpores, mentem conſtare non ſinunt.

A morbis ad ægrotos tranſit, aliquando è contra. Dolores, qui vmbilicum vexant palpitantes de mente quidem aliquando deturbant, verum in iudicio aceruatim ſpiritus cum haud vulgari cupiditate peruadit; ſuræ quoque dolores in his cooriuntur, qui protinus de mente deiiciunt.

Hoc vero in vno aut altero obſeruauit. Si innatarit aliquid in vrina dolore recurrente, mentem deturbari ſignificat, & quæ in aurium ſonitu oriuntur, talia exiſtunt.

Quanto melius hoc pacto. Dolores coxæ, ſi qui eos excitauit, humor recurrerit, inſaniam aliquando excitare poſſunt, ſi caput humor occuparit. Ægroto defatigato infirmiori cui dolor capitis acceſſerit, ſitis, vigiliæ, aluus liquida male habeant, obſcure loquatur, verendum eſt, ne à mente tandem deſeratur.

In hac reperiuntur quædam ſigna, quæ neque eiuſdem ſpeciei, neque generis ſunt. Quibus mulieribus poſt partum alba cum febre non reiiciuntur, ſurditaſq; acceſſerit, & lateris dolor acutus vrgeat hæ de mente pernicioſe deiiciuntur.

Hæc singularia sunt, generalibus subiecta, quemadmodum & multa alia in eo libro continentur. Lateris dolor cum sputis biliosis, si præter expectationem soluatur, ægroti mente non consistunt.

Habet hoc quoq; quod omnia complectitur; quod tamen neque perpetuo, neq; sæpius consequitur. Quæ ex lumbis ad collum, & caput redundant, & lenis apoplexiæ modo resoluta sunt, neruorum distentiones ostendunt, & de mente deiiciunt.

Hæc quoque in vno aut altero ægroto aliquando subsequi obseruauit. Insaniæ signa sunt vigiliæ, tristitia, μδρμάεις, aurium sonitus, vrinæ albæ, vel pellucidæ, sudores circa collum orientes, anxietas, frequens & magnus spiritus, si inter morbi initia consequantur, & ante materiæ maturationem, vel ante morbi impetum.

Animæ defectio. Si vero sæpe aceruatim aluus reddiderit, periculum est, ne ægroti animo malefiat. Eos, qui corporis optima præditi sunt sanitate, purgante sumpto medicamento anima statim deficit: veluti & eos, qui prauis vtuntur alimentis. Post tuberculi interiores partes occupantis ruptionem, virium infirmitas, vomitus, & animæ defectio.

Dysenteria. Post diarrhœam dysenteria. Quibus suppurationibus vmbilicus terminus est, suppuraturis aluus cita redditur. Et ex naribus quoque sanguinem profundere sperandum est, ea quæ caput concutiunt; & quæ aurium sonitus excitant sanguinem profundunt, aut menses cient, cum alias, tum si in spina ardor consequatur: forte autem dysenteriam excitabunt.

Hoc minime perpetuum est. Dysenteria, quæ desiit, vel abscessus, vel tuberculum excitabit, nisi aut febris, aut sudor superuenerint, descenderuntque vrinæ crassæ & albæ & leues, aut in tertianis aut in varicibus vel dolor testiculi, aut cruris, aut coxæ accedat.

Aqua

Aqua inter cutem. Albæ pituitæ aqua inter cutem ſubſequitur. Poſt ſanguinis profuſionem aqua inter cutem.

Inteſtinorum leuitas. Dyſenteriæ inteſtinorum leuitas conſequitur. Quibus ventre adſtricto ſuperuenit ſanguis è naribus profuſio atque rigor præterea: num aluus inteſtinorum leuitate corripitur, & durior fit, aut aſcarides ſubſunt, aut vtrumque?

Parotides. Cap. XXXIIII.

PArotides. Magno impetu & naturæ conatu conſequuntur. quamobrem in earum curationibus repellentibus minime vtimur. Parotidis ſigna ſunt, quod febris minime acuta ſit, ſeneſcat, calor ſuperiores partes occupet, ceruicis capitiſque grauitas ſubſit, huc accedunt faciei tumor, rubor, oculorum humiditas, viſus caliginoſus & ſi quæ alia. Sinceræ deſinentes purgationes, quæ in omnibus quidem affligant; his vero etiam valde ex huiuſcemodi abſceſſus in auribus concitantur. cum autem morbi ſedes eſt, & in ceruice abſceſſus, & Parotides conſequuntur.

At hi conſequuntur ſæpe, non perpetuo. vrinæ quibus poſt aures abſceſſus conſequuntur ſi cito, & parce concoquantur, vitioſæ, & ita refrigeſcere malum.

Hoc autem ſingulare quoddam eſt. Qui ſomno vrgentur, morbo regio correpti ſunt, nec valde ſentiunt, quibus ſuperuenit ſingultus, his cita aluus conſequitur, an ſi ſupprimitur, exoluuntur? num his quoque abſceſſus in auribus oriuntur?

Propria ſigna minime affert. Suppreſſæ cum rigore vrinæ malæ, cum alias, tum vero ſi antea ſopore correptos parotides occuparint: an hæc res ſalutem aliquando afferre poſſit?

Nihil quod parotidum proprium sit, plane continet. Ex eo, qui torminibus occupatus sit, si, quod venter reddidit, id quod subsidet, & limosum, subliuidumque est, malum: an si inter præcordia dextra potiss. dolere videantur, exoluuntur? atque hisce parotides, quę parum doleant, superueniunt? Soluta his omnibus aluus perniciem affert.

Singulares notat tantummodo ægritudines. Vigiliæ, quas minime tranquille ferunt ægrotantes, parotides maxime antecedunt.

At hoc sane esse non potest; quinimo quis nescit, hæc insaniam aliquando præcurrere? ex vuluis male olentibus cum febre acuta, præcordiisque sublimibus diutius vexantibus parotides, quę excitantur, protinus iugulant.

At mors parotides subsecuta non est. Surdos leniores parotides occupant cum alias, tum si cum fastidio quodam afficiantur & comatosos magis.

Quasi vero quicquid indicet humorum impetum ad partes superiores, id continuo parotidas indicet. Abscessus in auribus iis, qui Apoplexia lenius laborant, mali sunt.

Bis terve hoc ad summum obseruauit. Qui conuulsiuo modo cum catoche magis vrgentur, parotidas excitant.

Ex symptomatum concursione nihil plane colligere possumus; quare ad rei naturam, de qua aliquid præsentire volumus, perpendendam, nos conuertere debemus: Neruorum distentio tremor, fastidium cum catocho parui post aures abscessus cum dolore excitāt.

Symptomata diuersi generis affert. Num quibus post aures abscessus gignuntur, capitis dolore vrgentur? num & superiores partes sudore madent, & item aliquo pacto rigent? Deinde & venter sordes extrudit? & somnus profundior consequitur? num & aquosæ vrinæ, in quibus alba quædam innatant? & quæ

varie

varie alba ſunt,ac male oleant, abſceſſus in auribus gignunt? num qui huiuſcemodi vrinas profundunt, ſæpe ſanguinis ſtillas è naribus profluunt? num & lingua his leuis eſt?

Certo nihil prænunciat. Qui magnam & frequentem habent reſpirationem morbuſque regius conſequatur, & febres acutæ cum præcordiis duris deferbuerint,num hos abſceſſus magni poſt aures occupãt?

In aliquo hoc obſeruauit. Quibus ſymptomata,comatoſa,quæque faſtidium creent,præcordia dolentia, & pauca cruenta appareant,in his parotides concitantur,antea vero faciei ſigna obſeruanda ſunt.

Hæc vero quam potiſſimum partem corporis noſtri abſceſſus occupaturi ſint, oſtendunt. Aluus nigra ſtercoroſa extrudens,ſoporque accedens abſceſſus in auribus gignunt.

. Sat ei erat ſcripſiſſe coma,cætera fruſtra appoſita ſunt. Tuſſiculæ cum frequenti ſputo abſceſſum poſt aures abſtergunt. In capitis dolore coma & ſurditas abſceſſum aliquem poſt aures profundunt.

Modo abſceſſum aliquem futurum antea nouerimus. Præcordiorum contentio cum comate minime tranquilla,& capitis dolore parotidæ,vt prorumpant, in cauſſa ſunt.

Duo ſunt propria parotidum ſigna, cæteraque per ſe illas minime oſtendunt.

Puris eruptio. Capitis dolores magni & cõtinui cũ febre,ſi aliquid mortiferorũ ſignorũ acceſſerit, pernicioſi valde ſunt;ſi vero ſine huiuſcemodi ſignis dolor viginti dies tranſierit,& febris quotidie vrgeat, ſanguinis è naribus profluuium,aut abſceſſum quendam expectare oportet, & quoad dolor recens fuerit, ſimiliter ſanguinis è naribus profuſionem , aut puris eruptionem ſperare oportet,cum alias, tum ſi dolor tempora & frontem occuparit. Verumtamen ſanguinis profluuium magis expectandum eſt iuuenibus,qui

xxxv. annos nondum attigerint, senioribus vero puris eruptio.

Recidiua. Cap. XXXV.

REcidiua. In Recidiuam incidunt ægroti cum omnia in morbis cruda sunt, aut cum nondum plane maturitatem assecuta sunt, aut cum diebus, qui iudicia minime afferre solent, humorum emissiones eueniunt. Namque vt (Hippocr. aliquando tradidit) quicquid suppuratur, non illico in recidiuam incidit; nempe ipsamet concoctio iudicatio simul & excretio est. Reliquiæ vero humorum aut multæ sunt, aut modicæ; si modicæ, & minime malæ, nullæ morborum repetitiones; non enim recurrunt morbi, nisi aut medicus, aut ægrotus offendant. quod si moderatum peccatum sit, minime morbus repetet. quod si multæ sint reliquiæ, tametsi nulla præterea causa subsit, continuo morbus reuiresci t. Recidiuæ, quæ in morbis superueniunt, seniores consumunt: minores vero natu antequam ad suppurationem spectent humores plane tollunt morbi acuti; illi enim viribus cum imbecillioribus præditi sint, morborum reuocationes ferre non possunt. morbi diuturniores magis recrudescunt, quam acutiores; morbi autem leniores nunquam fere repetunt. Si vero neque in diebus, quæ iudicia exercent, depellatur erysipelas, neque tuberculum in exteriorem partem feratur, neque pus tussiendo reiiciatur, ægrotusque omni morbi perturbatione careat, mortem significat, aut ruboris recidiuam. Quibus febres decedunt, neque signa apparent, quæ à febribus liberare solita sunt, neque in diebus, quæ iudicia exercent hisce febres reuertuntur. Causi, qui discutiuntur absque sanguinis è naribus profluuio, aut sudoribus cum concoctionis signis, reuertuntur, & vel coxa,

coxa,vel crus dolet, expuetque crassa, si ad sanitatem æger perducetur. Quæ in morbis post iudicia relinquuntur,recidiuas afferre solent. Siquidem ex fluentibus aliquid intus relinquatur,illico morbus ad abscessum conuertitur. Eodem pacto si relinquitur sitis, orisque siccitas, & sentiat aliquid,quod insuaue sit, atque ciborum fastidium vrgeat. Febres minime acutæ huiuscemodi sunt, nempe recurrunt. Sudores febre occupato si incœperint III. ægritudinis die, aut V. aut VII. aut IX. aut XI. XIV. XVII. XXI. XXXVII. XXX. XXXIIII. boni sunt; hi enim sudores iudicia afferunt,qui vero alio consequuntur tempore, laborem morbi diuturnitatem, aut eiusdem recidiuam significant. Febricitanti nisi diebus imparibus febris decesserit, ea recurrere solet. At vero ignorare minime oportet, si alio tempore iudicium fiat, recidiuas fore prænunciandum, quæ erunt plane pernicioſæ. Quæ ante præiudicata sunt cum cruditatibus, in recidiuas incurrunt. Si febris in die impari non desierit, morbi repetitio protinus subsequi solet. Minus hi,quibus à capite raucedo, & grauedo excitatur, & febris accedit (vt arbitror) in recidiuam incidunt.

Sanguinis è naribus profluuium.

CAP. XXXVI.

SAnguinis è naribus profluuium. Sanguinis profluuio, non quoniam sanguinis effusio fit, tantum tribuo, sed quod humorẽ, à quo morbus excitatur, protrudat. quamobrem in delirio & sudores, & alui profusio, & vrinæ copia magni ducuntur, modo vel vrina,vel exoluta aluus,vel sudores quæ morbum afferat, materiem extrudat. cum autem morbus crudior est,

naturæ conatus vehementior est, & magna quædam cõsequitur sanguinis profusio. Materia crudiori in morbis iudicium recte exerceri solet vel cum sanguinis è naribus magno profluuio, quod & Hippoc. memoriæ mandauit, magnum sanguinis ex naribus profluuium fere liberat; idem & in Methonis ægritudine obseruauit; aut sudore, vt in mulieris morbo, quæ in littore lecto tenebatur, idem notauit Hippoc. At illud hac in re diligenter perpendendum, quod sanguinis ex naribus profusio, tametsi copiosior, morbum maximũ abstergere non potest, vt Galen. in muliere, quæ in Mendaciûm foro tenebatur, diligentissime animaduertit: etenim morbi magni, magna quoque & egregia postulant auxilia, quæ optima iudicia afferant, & tamen sanguis copiosior quoquo modo profluat, spem salutis affert. Contingit autem his in prima circuitione quoque sanguinis ex naribus profluuium, & valde prodest. At interrogare oportet, an caput doleat, an visum habeant hebetiorem; si enim horum quid acciderit, ad eum locum sanguis repit. Magis autem id euenit iuuenibus, qui xx xv. annum nondum attigerint. Sanguinis vero profluuium ex superioribus locis maxime expectare oportet. Capitis dolores magni & continui cum febre, si aliquod mortiferum signorum accesserit, pernicioſi valde sunt; si vero sine hisce signis dolor viginti dies transierit, & febris quotidie vrgeat, sanguinis è naribus profluuium aut puris eruptionem cum alias, tum si dolor tempora, & frontem corripuerit. Quibus vero in huiuscemodi febre caput maxime dolore vexatur, & pro caligine oculorum sensus visus hebetior sit, aut splendores quidem ob oculos obuersentur, & pro oris ventriculi morsu contentio prȩcordiorum cum dextri, tum vero sinistri lateris sine dolore aut inflammatione accesserit, iis sanguinis è naribus profluuium pro vomitu expectandum est; magis tamen hoc loco in iuuenibus sanguinis profusionem

expectare

expectare oportet: qui autem xxx. annum attigerint, & præterea senioribus multo minus, cum vomitus in hisce expectandi sint, in ardentibus autem & cæteris febribus, quibus colli dolor & temporum grauitas, & (vt ita dicam) caligo vertiginosa in oculis, aut etiam præcordiorum contentio nullo cum dolore accedunt, his sanguis è naribus profluit. In his caussis, in quibus pulmo maxime afficitur, sanguinis è naribus profusio expectanda est. Signum profusionis sanguinis è naribus in febribus acutis feruentioribus, minime voluntarias lacrymas aliquando fuisse obseruauit Hippoc. modo nulla alia pernicioſa signa, aut antecessissent, aut subsecuta essent. Qui in febribus obsurduerunt, iis sanguis è narib. profluens, aut cita aluus morbum soluit. Post vehementiorem pulsum in vlceribus sanguinis profluuium, malum. Et si è naribus sanguis fluxerit, abstergitur ægritudo; nec non & si sudores superuenerint, qui iudicia afferant cum vrinis, in quibus subsideant alba, crassa, & leuia. Quibus in febribus crura in tumore sunt, qui febre nō remissa maturitatem minime sit assecutus; faucibusque non tumentibus suffocari ægrotus videatur, tumorque illarum recurrerit, sanguis his è naribus fluere consueuit, qui si copiose profluxerit, morbum absterget, sin minus morbi diuturnitatem indicabit; quo vero minus sanguinis profluxerit, eo deterius & diuturnius malum erit.

Dum singulas res notat, omnia se complecti putat. Qui comate occupati inter initia cum capitis, lumborum, præcordiorum, colli dolore vigilantes; num phrenitici sunt? nasus hisce stillans pernicioſus cum alias, tum vero si IV. die cœpit.

Pessimum signum esse testatur Aëtius; magnam enim esse vim sanguinis vel in toto corpore, vel in capite indicat. At Galenus aut copiam indicare tradit, aut imbecillitatem naturæ, quæ superuacanea extrudere

nequit. ea vero, quæ in diebus iudicialibus depelluntur, exigua esse non possunt. Quibus lumbi dolent, his si oris ventriculi dolor accesserit, suspicor sanguinis profluuii antegressam notam esse.

Per hæmorrhoides scilicet, fieri etiam potest vt id accidat propter hæmorrhoidum retentionem. Qui statis quibusdam temporib. sanguinem profundunt, hi siti vrgentur, difficiles sunt & exoluti sunt, ni sanguis proruperit, in comitialem morbum incidunt.

Quædam addit, quæ retentionis sanguinis propria minime sunt. Tranquilli, qui perturbãtur, peruigilãt; è naribus aliquid profundunt, VI. die meliores sunt, noctu laborant, postridie sudant, somno opprimuntur, delirantque, copiose sanguinem profundunt; an & aquosa vrina tale quid indicat?

Cuncta, quę sanguinis profluuium antecedunt, hoc loco literis consignauit. Quibuscumque sanguis multus eruperit, procedente morbo aluus eum male habet, nisi si vrina concocta descenderit.

Hæc eadem quarto sententiarum conscripsit. In iudicialibus refrigerationibus sanguinis eruptiones vehementiores, pessimæ. Qui capitis grauitatem sentiunt, quibus sinciput dolet, qui somnum oculis non vident, sanguinem profundunt, cum alias tum si quid in ceruice contenditur.

At non multi. Qui peruigilarint, repente cum iactatione quadam sanguinem profundunt, cum alias tum si quid antea profluxerit, an & vbi horruerint?

Horum quædam sanguinis profluuium præcurrunt. Colli dolores, oculi rubriores sanguinis profusionem præcinunt.

Hæc vero non perpetuo sed sæpius tamen sanguinis profusionem significant. Quibus aluus adstricta est, hi sanguinem profundunt.

Semel hæc fortasse vidit. Quibus à lumbis ad caput & manus recursus fit, hi stupidi & dolore oris ventriculi

culi conflictantur, sanioſis & ſeroſis humoribus pleni large ſanguinem profundunt, verumtamẽ & cita aluus accedit cum corporis vexatione.

In quibuſdam tantummodo hoc notauit. Quibus poſt ſanguinis profluuium largum & frequentiorem, alui ſordium nigrarum, multarum depulſio acceſſit, his aluo adſtricta maximis doloribus vexatis ſanguinis profuſio accedit; quod ſi alia quædam eruptio conſequatur, facilius illam ferunt; num hi multis frigidis ſudoribus madent? conturbata in hiſce vrina non mala; neque id quod genituræ ſimile in ipſa ſubſidet, repræſentat, at ſæpe his aquoſa vrina profluit.

Hæc aliquãdo in re medica exercenda notauit, quæ generatim extulit, quod ſingulorum ſymptomatum vires ac facultates minime nouerit. Quibus ex rigore febres cum laſſitudine, his menſes muliebres profluunt: at ſi colli dolor acceſſerit, ſanguis è naribus erumpit. in mulieribus quoque valentibus idem contingere nullo negocio poteſt. Ex naribus ſanguinem profluere maxime ſperandum eſt, cum caput vexatur, & quę aurium ſonitus adferunt ſanguinis profluuium indicant: aut menſes cient cum alias, tum ſi in ſpina ardor conſequatur: forte etiam dyſenteriam excitabit.

In hiſce omnia minime continentur. Ventris quoque palpitationes cum præcordiorum contentione ſublonga, & quæ in tumore ſit, ſanguinis profluuium ſignificat: horrent autem hi.

Hæc cum obſcura ſint, tum vero in illis cuncta ineſſe minime videntur. Præcordiorum contentio cum capitis grauitate & ſurditate, & quæ viſus obtundunt, ſanguinis profluuia ſignificant.

Nihil plane noui affert, eadem Hippoc. noſter tradidit. Vndecima die ſanguinis ſtillicidia, difficilia cum alias, tum ſi iterum ſtilla emanarit.

Hoc quoque ſingulare eſt. Quibus in humoribus ſudor ſimul in iudicio, conſecutus eſt: poſtridie autem

postquam horruerint, præter rationem vigiliis vrgeantur, eis sanguinem profluxurum arbitror.

Neque semper, neque magna ex parte hoc consequitur. Quos inter initia longa sanguinis profluuia vexant, rigor illa sistit.

Hoc aliquando accidere solet. Quibus capitis & ceruicis dolores, & totius corporis infirmitas quędam cum tremore accedit, hæc sanguinis profluuia plane abstergunt, verumtamen & cum tempore hac ratione depelluntur.

Multas concursiones symptomatum literis consignauit, & viam & rationem generalem perscribere noluit. Non operis exigui est sanguinis profluuium prænoscere. at recte iudicabis, si hæc tecum ipse perpendes. Principio considerandum num in toto corpore sanguinis affluat copia; deinde num tempus vernum, æstiuum aut temperatum sit; deinde num febris ardens & acuta ægrotum vrgeat; deinde num in præcordiis aliqua subsit inflammatio; deinde si quæ signa faciei, ceruicis, capitisque notentur, ex quibus intelligi possit sanguinis profluuium futurum, pręsertim vero si partes illæ sanguine completæ ac refertæ sint. Postremo si aliquod in thorace, præcordiisque signum adsit, ex quo coniectura facile fiat humores ad superiores partes propelli.

Suppuratio. CAP. XXXVII.

SVppuratio. Si vero XX. dies pertransierint, & febris vrgeat, tumorque minime euanescat, ad suppurationem tendit. Si vero transierint LX. dies, febrisque vrgeat, tumorque non euanescat, suppuratum fore significat, & hunc, & eum, qui aliquā aliam partem ventris occupauit. Quæcumque suppurationes, dum sputum adhuc bilioſum est, maturitatem assequūtur; pernicioſæ valde sunt siue bilioſum illud separatim, siue simul

simul cum pure admixtum expuatur. Atque illud potissimū si morbo ad VII. diem progresso suppuratio ab huiuscemodi sputo separari incipiat. At vero suppurationum quam plurimæ rumpuntur XX. die: nonnullæ XXX. multæ XL. quædam LX. diem pertingunt. perpenderevero principium suppurationis futurę necesse est; suppuratione orta ea ipsa die, in qua primum hominem febris corripuerit, aut si forte ipsum primo rigor occupauit, & si pro dolore grauitatem se sentire dixerit eo in loco, in quo dolor infestabat. Hæc enim in suppurationum initiis accidunt. Ergo ex hisce temporibus suppurationum eruptionem fore coniecturam capere oportet, eaque accommodare ad prędicta tempora necesse est. Si vero suppuratio alterum tantummodo latus occuparit, ægrotum vertere oportet, & perpendere, num in altero latere dolorem sentiat; ac tangere, num alterum altero calidius sit, & reclinato ægroto in latus sanum interrogare oportet, num sentiat graue aliquod ex superiori latere incumbere, si enim ita se res habeat, in altero erit suppuratio, in quo grauitas sentietur. Cæterum hisce signis suppuratos cognoscere oportet: principio quidem si febris non dimiserit, sed interdiu lenior, noctu vero vehementior appareat, & sudores multi consequantur, tussis & tussiendi cupiditas, in qua nihil memorabile expuat, vrgeat. Oculi caui fiant, maxillæ rubeant, & vngues curuentur, digiti calefiant, præsertim vero summi, pedes in tumore sint, cibos non appetant, & pustulæ deniq; in corpore passim oriantur. Quæcumque igitur suppurationes diuturniores sint, hæc obtinent signa, quibus fidē adhibere necesse est. Quæ vero leuiores sunt, his signis cognoscere oportet, si quid acciderit ex his, quæ inter initia fieri consueuerunt: præterea vero si difficilius spirauerit æger. At vero, quæ ex ipsis citius aut tardius disrumpuntur, his indiciis cognoscere oportet: etenim si dolor inter principia accesserit, spi-

randi difficultas,tussis,screatus permanens ad xx.diem perduret,eruptionem tunc potissimum expectare oportet,aut etiam multo ante: si vero lenior fuerit dolor & cætera huius proportione,eruptio posterius expectanda est; necesse vero est & dolorem subsequi,& spirandi difficultatem,& screatum ante puris eruptionem. Horum autem maxime incolumes seruantur, quos febris eodem die post puris effusionem reliquerit, ciboſque citius, auidiusque sumpserint, minimeque siti vrgeantur,venterque pauca, & coacta profuderit; pus album & lene & eiusdem coloris accedat, atque sine pituita,dolore & tussi molestiori edatur;sin minus hi, quibus proxime his contigerint. At vero pereunt hi,quos febris non dimiserit, aut vbi eam decessisse putauerimus,rursus exardescens ęgrotum corripuerit,& qui siti vrgeantur, cibos vero minime appetant, & si aluus liquida fuerit, & pus pallidum & liuidum ex pectore expuerit, aut pituitosum, aut spumosum,si cuncta hæc accesserint,pereunt.Quibus vero exiis quædam subsecuta fuerint,quædam vero nō, horum nonnulli intereunt, nonnulli vero diutius incolumes euadunt. Verumtamen ex omnibus signis, quæ adsunt,cum in hoc casu, tum vero in aliis coniecturam facere oportet. Qui pleuritide correpti sunt: nisi intra xiiii. diem superne expurgentur,morbi in Empyema fit translatio. Quibus ex angina in pulmonem fit conuersio, ii septem dierum spatio plane intereunt. Si vero hos præterierint, purulenti euadunt. Si in ventrem sanguis præter naturam profusus est, ii ad suppurationem veniant necesse est. ab Erysipelate putredo aut suppuratio,malum. Post diutinū partium ad ventrem pertinētium dolorem, suppuratio. Destillationes in ventre superiori ad suppurationem perueniunt spacio viginti dierum. Suppurationibus occupati cum vruntur,aut secantur, si purum & album pus profundatur, incolumitatem habent. Quibus purulentum

lentum iecur vritur, si purum pus & album extrudatur, incolumes euadunt, in tunica enim pus continetur. Dolores cum febre, qui lumbos, & inferiores partes occupant, si ad septum transuersum transierint, ab inferioribusq; partibus discesserint, pernicioſi valde sunt. quamobrem cætera quoque signa perpendere oportet; namq; si aliquod malorum signorũ præterea accesserit, ægrotus desperatus est: sin morbi impetus ad præcordia conuersus sit, & alia signa minime praua consequantur, ægrotũ purulentum euasurũ sperabis.

Vomitus. Quicumque vero in febri non mortifera dixerit capitis dolore vrgeri, aut etiam præ oculis obscurum quoddã obuersari, si & oris ventriculi morsus huic accesserit, ei bilioſus vomitus aderit: quod si rigor quoque accesserit, & partes infra præcordia frigidiores habuerit, citius euomet.

At si quid biberit aut ederit hoc tẽpore, citius multo euomet. Quos autem grauitates quidem totius capitis, oris vero ventriculi morsus vrgent, & nauseant, hi bilioſa & pituitoſa euoment. Post tuberculi in interiores partes eruptionem virium infirmitas vomitus, & animæ defectio.

Dolor capitis. CAP. XXXVIII.

EX doloribus facile cognoscimus morborum tempora, quod tradit Hippocrates; melius ne, an peius affecti sint ægroti perpendere oportet, qua in re nunquam offendemus. Iam vero quibus horum dolor accesserit prima ipsa die, hi 4. magis quam 5. premuntur. 7. vero liberantur. pleriſque tamen ipsorum 3. die, dolere incipit, vexantur vero 5. eo priuantur 9. aut 11. Qui vero incœperit 5. die, cæteraque horum proportione accedant, horum morbus 14. iudicium subit. superueniunt autem hæc & viris & mulieribus, maxime in tertianis febribus. iunioribus vero fiunt & in hisce, & in febribus continuis & sinceris tertianis. Capitis

dolor vehemens, & perpetuus si cum febre afflixerit, aliquodq; ex pestiferis signis cõlequatur, mortiferum admodum est. Quibus febre occupatis vrinæ descendunt perturbatiores, quales esse solent iumentorum, iis dolor capitis vel vrget, vel vrgebit. Quicumque sani doloribus capitis repente corripiuntur, & muti illico euadunt, & stertunt, septem dierum spatio, nisi si febris eos occuparit, pereunt. Caput dolenti & circumdolenti pus vel aqua, vel sanguis descendens per os, nares, aures morbum soluit. Vterum gerentibus si capitis dolores superuenerint, quæ somnum afferant cum grauitate, mali sunt.

Vteri dolores. Hi, quos grauitas totius capitis, stomachique erosiones atque fastidia male habent, biliosa & pituitosa euomunt; pueros neruorum distentio plerumque vexat, mulieres vero non modo hæc mala corripiunt, verum etiam vteri dolores.

Paraplegiæ, maniæ, oculorum sensus priuatio. Seniores, atque hi quorum calor natiuus in dies magis ac magis debilitatur, ac frangitur, si grauitate totius capitis, ventriculique morsibus, eiusque fastidio conflictantur, quod præ imbecillitate neque vomitu, neque sanguinis profusione copiam abundantiamque coaceruatam propellere non valeant, aut in paraplegiam, aut in maniam, aut oculorũ cęcitatem incidere solent.

Sudor. Cap. XXXIX.

MAteria crudiori in morbis sudore aliquando iudicium subeunt ægroti, quod in mulieris ægritudine, quæ in littore lecto tenebatur, obseruauit Hippoc. Quorum cutis arida & sicca cõtenditur, ii sine sudore pereunt; quorum vero laxior est, ii sudoribus madentes moriuntur. In iis morbis, in quib. sudoris spes ostenditur, & minime diffunditur siccitatis morbi indicium est: & si in febribus acutis sudores superuenerint,

rint, qui iudicia afferant cũ vrinis, in quibus ſubſident craſſa, alba & lenia, morbum planè abſtergent. Rigor. Rigores ſi ſuperueniunt in die, quæ iudicium afferre ſoleat & cum maturationis ſignis, optimum ſubſequitur iudicium; minime autem bonum neq; perfectum cum vel diei, vel maturitatis indicia optima non erunt. Quibus in febribus ſexto die rigores excitantur, ii difficile iudicium afferunt. Si rigor conſequatur febre non deſinente, ægroto iam imbecillo mortiferum eſt. Qui ardente febre correptus eſt, ſi rigor conſequatur, morbum abſtergit. Frigidum, diſtentiones neruorum, tetanos, denigrationes, & rigores, quales in febribus ſubſequi ſolent, excitat. Poſt multam vini potionem rigor & deſipientia malum. Morbi in quibus vehementiores rigores ſubſequuntur, minime leuantur, niſi prope vigorem. Ante rigorem vrinæ ſuppreſſio ſi à bonis indiciis emanarit, perpendendum num aluus fluxerit, & ſomni acceſſerint, pariter & febris ratio, præſertim verò quæ ex laſſitudine concitatur. Rigor a ſuperioribus ventriculi partibus magis incipit, calor verò ab inferioribus. Quæ in diebus, quæ iudicia afferunt, cum iactatione & anxietate & abſque ſudore refrigerationes ſunt, malæ ſunt atque ex hiſce ſuperuenientes rigores mali.

Quanto melius ex Galen. hoc pacto. Si rigor iudicium afferat, concitetur verò ex iactatione, morbum ſoluit, præſertim ſi accedant ſudores vel vomitus commodi, vel cita aluus. Ignoratio cum rigore mala; mala quoq; & obliuio. Ex rigore refrigerationes, quæ non iterum calefiant, malæ. Æſtuoſi rigores aliquantum pernicioſi, flammea quoque cum ſudore facies in his mala, poſteriorumque refrigeratio, diſtentionem neruorum excitat.

Galenus hæc. rigor ſi tertio vel IV. die conſequatur, proprium febrium eſt ſymptoma; in morbis verò ſi poſt appareat, iudiciumq; non afferat, deterrimum eſt.

Tremores in neruorum distentiones si euadunt, dum sudores emanant, recurrere solent, iudicium eorum exercetur, cum rigor iterum eos occuparit, iterum verò rigent maximè in ventre incipiente ardore.

Hæc ex Galen. commentariis. Aegritudines, quæ cum sudore abstergi visæ sunt, iterumque recurrunt, & iterum incenduntur, atque iterum sudoribus euelli visæ sunt, verum certumque habent iudicium, vbi iterum rigore ægri correpti sunt. Ventris æstus rigorem antecedit: cætera falsa sunt. Rigor si bonam aliquando humorum exinanitionem antecedebat, bonum; cum verò humores propelluntur, si subsequatur, malum. Rigor, qui iudicium affert in phrenesi, sudoribus morbum abstergit. Post sanguinis profluuium rigores diuturniores. Cum oculi peruertuntur cum febre & lassitudine, rigor pernicioſus; coma occupati in hisce malis minus commode se habent.

Prioris libri de morbis vulgaribus Hippocratis ægroti XIV.

Cap. XL.

Gravia & difficilia symptomata permiscet. Indiciis ita notatis, ac separatis antequam ad ægrotorũ historias explicandas veniamus, animaduertendum, quod vrinæ nullo non morbi genere contemplandæ sunt, etenim & in ventris, pectoris, pulmonis, neruorumq; morbis semper illæ perpendendæ sunt: namq; si bonæ profluxerint, magnum habent cunctis in morbis momentum vel ad salutem obtinendam, vel ad interitum præmonstrandum. Si quis enim magno in discrimine versatur propter ventriculi inflammationem, si & alia quædam in eodem homine accesserit ęgritudo, magnam quoq; ad malum illud accessionem fieri est necesse. Quapropter consueuit Hipp. in morbis pectoris vrinas quoque inspicere, & quales essent nobis indicare; quamuis enim nullum non impende-

re vi-

re videatur periculum ab iis partibus, quę aërem & ſpiritum hauriunt, & reddunt: ſi tamen & illæ haud belle ſe habuerint, minime dubium eſt, quin maior multò illius partis affectæ acceſſione ægroto calamitas imminebit: veluti quoq; & iis, qui voluulo laborát, parua in vrinis, vt ſint bonæ, ſalutis ſpes conſiſtit: at non paruum ad perniciem eſt momentum, ſi prauæ ferantur. Illud prętera obſeruandum, quod ſępenumero morbi quidam cum ſtatim occupant, mortiferi ſunt, cum tamen inter initia maligni minime appareát; quoniam natura robuſta egregiè morbo ſe opponit, eumq; pulcherrimè reprimit, atq; retundit. Quare accidit, vt ad exiguum temp° intermittat, iterumq; deinceps recurrat: atq; vbi naturæ vires fractas atq; debilitatas inuenit, grauius affligit, quòd in vigore potius, quàm in cæteris ægritudinis temporibus euenire ſolere obſeruamus; quamobrem quidam moriuntur, quidam verò ad ſanitatem perducuntur. illi ſalutem maxime accipiunt, qui medicum habent, qui hæc maxime ſecum meditetur, & ex artis præceptis morbo medeatur; illi pereunt, qui medicum nacti ſunt, qui vtilitatis ſuæ tantummodo rationem habet: longiuſq; à recta morbi curatione animum abducit. Hippocrates autem in ſuis hiſtoriis ſignorum magnitudinem minime perſecutus eſt, quæ intelligi quidem poteſt, at litteris conſignari non poteſt. Ægrotum ſudaſſe litteris tradidit, at quantum ſudorem diffuderit, minime ſcribit. tempora quoque morborum deſiderantur, quæ ſi cognita haberemus, ægritudinum tempora egregie teneremus. conſilia vero temporum ſunt, quæ in horas aliquando commutari videmus.

Ægrotus I. Ex iis, quæ in Philiſci ægritudine tertia die conſequuta ſunt, manifeſtè admodum morbi ipſius exitum cõiicere poſſumus: etenim cum his, quæ iudicia afferre ſolent, illaque minime exercent, non modò mortifera ſigna accedunt, verumetiam, quæ magis

mortifera ſigna appellauimus, ſuperueniant, meritò mortem prędicere ac preſentire debemus. hæc autem in tertio ſignorum gradu antea à nobis collocata ſunt. Indicium illud præterea acceſſit, quod certum, dilucidum, inſigne, & fidum antea nominauimus, vrina ſcilicet nigra, quæ non modò tertia die profluit, verum etiam quarto deſcendit, quæ peſſima eſt, atque in tertio gradu poſita. Sitis anxietas, vigiliæ, lingua arida, febris ardentis ſymptomata ſunt. ſudores frigidi, parui ſomni prauis moribus morbum præditum eſſe demonſtrant, quæ in primo gradu locauimus. at extrema frigida, mala ſunt. Delirium terribile eſt; quod intelligi facile poteſt ex Hipp. Progn. at ſi deſinant & iterum aſſurgant abſceſſus, ægrique omnino expuere deſinīt febre permanente, horribile eſt: periculum enim eſt, ne delirent ægri, aut moriantur. Et infra. Auris dolor acutus vnà cum febre continua & magna, horribilis eſt; effugere enim non poteſt, quin aut deliret, aut pereat ægrotus, quod ſignum medium eſt. Stilla ſanguinis è naribus ſyncera prauum eſt, perniciemque affert; quod in tertio gradu ponitur. Extrema verò liuida mortem ſubeſſe ſignificant, qui malorum ſignorum IIII. gradus eſt. Tot igitur, tantiſque vel ſignis vel ſymptomatibus obrutus ægrotus, quę III. & IIII. gradum malorum attingebant, diutius ſpiritum ducere non poterat. vrina autem, in qua nebulæ apparebant rotundæ genituræ conſimillimæ, interque ſe maximè diſiunctæ, humoris vitrei febrem generantis genus demonſtrabant. quòd verò minime ſubſiderēt, naturā crudiorem humorem cōcoquere & maturare non valere, planè indicabant. II. Silenus verò non aliter atq; Philiſcus affectus, quoniam egregiè validus erat, XI. die mortem oppetiit. principiò lumbi præcordiaq; dolebant, capitis grauitas, vigiliæ, colli contentio eum vexabant, quæ imminentis delirii certiſſ. ſigna eſſe ſolent, quod pulcherrimè obſeruatum eſt ab auctore Prorrhet. in ipſo ſtatim

libri

libri initio. Verumtamen hæc quamquam nihil ad prædictionem vel salutis vel mortis conducere videantur, tamen prætereunda non sunt: propterea quòd intaniam indicant in qua tametsi cuncta posita nò sint: tamen quoniam haud contemnendum indicium est, minime silentio inuoluendum erat. Cæterum prima ipsa die biliosa, syncera, spumosa, multaque aluus reddidit: quæ cum mala signa sunt, tum vero causæ, quæ illa excitant, malæ sunt: primumq; malorum signorum gradum ascendunt. Alui sordes spumosæ, malæ, biliosa, pernicioſa: quicquid item synceri extrudit per ventrem natura, perniciem affert: quæ tertium malorum signorum gradum faciunt. Mala & pernicioſa est vrina nigra: nisi si talis fortasse appareret, quòd bilis atræ serum in ea descendisset. in qua verò nigra quædam subsident, mortifera est, quæ eundē assequuntur gradum. Sitis, vigiliæ, lingua arida, mala sunt: at febris ardentis symptomata. Secunda die eadē signa consequuta sunt, quibus insania quoq; accessit, quæ nota non sine horrore est. Tertia die cuncta deteriora subsecuta sunt. vrinæ non modò nigræ, verum etiam turbidæ profluxerunt, præcordiorum contentio eorundem inflammationem significat. Quinto die colliquationis signa adiuncta sunt, quæ magis mortifera sunt. Vrinæ tenues perlucidæ valde malæ sunt: & tempore egent ad maturitatem. Sexta die pessima accesserunt indicia: sudores enim circa caput tantummodo consequuti sunt, qui pessimis moribus prędituin morbum esse indicāt. Extrema verò frigida proximæ mortis certa indicia sunt. quę quartum malorum gradum tenent. quòd verò neque alui sordes, neque vrinæ profluxerint: iam in præcipiti ægrotum esse denunciant, quam rem euentus ipse comprobauit: namque septima die ægrotus obiit: etenim planè obmutuit, extrema corporis vim caloris nullam amplius continebant, neque vrina profluxit. At octaua die signa nonnulla apparuerunt reuiuiscen-

tis naturæ: namque exanthemata consequuta sunt rubriora, rotunda, parua, quæ pugnam naturæ cum morbo ostendebant: etenim illa conata est extrudere, quicquid prauorum humorum superfluebat: at vires multis partibus inferiores habebat: quod demonstrauit sudor frigidus, qui per totum corpus emanauit, qui pessimus est, ponitur que in tertio malorum signorum gradu. Stercora tenuia & veluti crudiora: vrina item acrior, tenuis, perlucida; quæ reddebatur cum dolore, somni tenuiores, postremò illud, quod ne verbum quidem proloqui potuisse adscribit, pernicioſissima sunt, quæ quartum malarum notarum gradum assequuntur. Ergo meritò decima planè concidit: hinc confertim profluxit vrina, quam natura amplius continere non poterat, quæ tamen praua erat. Extrema iterum refrixerunt: quod signum etsi in primo malorum gradu collocatum sit: namque malum est: tamen, quoniam consequitur signis, quæ quartum tenent gradum, pessimè cum ægroto agi, atque adeo actum esse de ægroti salute demonstrant. vndecima plane periit. Iam verò in hisce duobus ægrotorũ historiis illud maximè animaduertendum, si pernicioſa signa, quæ ad quartum gradum efferantur, primis diebus indicatoriis continenter in morbis acutis apparuerint, VI. vel VII. hominem rapiunt: sin in cæteris diebus consequuta fuerint, moram aliquam exitium interponit: namque maior in prioribus diebus quàm in cæteris vim ac potestatem inesse obseruauimus. Etenim vbi in ægritudinibus aliqua facta est temporis accessio, dies continuò infirmiores redduntur, & eorum quasi vis exinde emoritur. III. Quantum habeant ponderis signa ea, quæ certa sunt ex Herophontis historia maxime discere possumus: nam cum inter ipsa principia ad mala & pernicioſa signa, mortifera quoque, quæ tertium gradum attingunt, accesserint, nisi si v. die certa aliqua nota quasi Sol quidam illuxisset, desperatus

speratus homo fuisset, παραδόξας μεταβολὰς vocant: namque vigiliæ, pauca bilioſa, quæ frequentius deſcenderunt mala erant, & pernicioſa; vrinæ verò tenues & nigræ planè mortiferæ quæ tertium gradum aſcendunt. At illud bonum, quòd humores tametſi non omnes in inferiores partes fuerunt detruſi, vnde lien 5. die protinus intumuit: etenim bona, magnaque pars eorum ad ſuperiora propulſa fuit, quare & ſurditas conſequuta eſt, quæ mala eſt, & delirium quod horribile eſt; lienis verò tumor inter certa indicia à nobis aggregatus eſt; quod tertium malorum gradum planè obſcurauit: etenim vrinis nigris, quod aliud opponeres planè non habebamus. 7. verò alia bona quoque ſigna apparuerunt: nam extincto illo febris incendio ægrotus refrixit, mentis compos factus eſt, ſomnus acceſſit 8. Quamuis febris eum iterum corripuerit, lien tamen imminutus eſt, mens conſtabat, dolor vrgebat in inguine, principiò è lienis regione, deinde vtramque tibiam infeſtauit, quod haud dubium argumentum eſt materiam morbum facientem ad inferiores partes deturbatam fuiſſe: huc acceſſit nox, quam facile tulit, quæ omnia bona, atq; adeo optima indicia ſunt, tertiumq; gradum inter bona indicia tenent. vrinæ præterea profluxerunt meliore præditæ colore, in quibus nonnihil ſubſidebat, quæ humorum incœptam maturitatem oſtẽdebant. Inſtituta igitur, at nondum abſoluta maturatione 9. ſudor emanauit, iudiciumq; ſubſequutum eſt, quo ægrotus omnino non eſt; namq; haud contemnenda humorum pars intus incluſa relicta erat, quæ longius aberat à maturitate. Quare ex Hippoc. ſentẽtia, quæ poſt iudicia in morbis relinquuntur, recidiuam inducere conſueuerunt, iudicium verò ob morbi vexationem exercitum fuiſſe apparet. 14. febris, ſurditaſque iterum ęgrotum occuparunt, lienq; in tumore fuit. 17. tandem morbus exitum optabilem habuit: namque interdiu lien amplius

tumore prędítus non erat, surditas nulla, nulla dementia, crura tantummodo dolore premebãtur, quòd naturam egregie validam fuisse demonstrabant. noctu sudor iterum consecutus est, qui penitus ægritudinem absterſit. IIII. Philini vxor febre ardente correpta fuit, quam rigor oris ventriculi, præcordiorum, locorum muliebrium, capitis colli, lumborum dolores, alui sordes biliosæ consequutæ sunt: quæ symptomata morbi, locorum scilicet inflammationis erant; quæ & si mala essent, periculum tamen vitæ nullum creabant. præterea signa quædam accesserunt, quæ morbi malos mores declarabant, vt sitis & vigiliæ. vrinæ verò tenues, & nullo colore prędítæ ad humorum crudorum maturitatem consequendam tempore egere naturam significabant. At naturæ vires, quæ ex pulsibus maximè cognoscuntur, quos planè præteriit Hippoc. prorsus ignotæ nobis sunt. quare de longitudine & breuitate morbi certò præsagire minime possumus. Extrema frigida cum malum indicium sit, tamen quoniam inter morbi principia apparuit, maxime pernicioſum euadit, & 4. malorum gradum ascendit. 6. delirium acceſſit cum antea præceſſerint signa ea, quæ ab auctore Prorrhet. commemorata fuere, capitis scilicet, lumborum, præcordiorum, colli dolores: nec non vigiliæ. 8. neruorum distentiones acceſſerint, quæ peſſimæ sunt, quartumque gradum malorum signorum attingunt, præsertim cum tot malis, pernicioſisque signis consequantur. 10. aliquid planè sperare iubebat; nam ea die mens rediit. 11. etiam somnus acceſſit, cuncta memoria retinebat, quæ tamen minime perseuerarunt, continuò de mente deturbata est. vrina copiosè, ac coaceruatim cum neruorum distentione, profluxit. 14. dolores, qui totum corpus occuparunt, verba multa, mentis suæ paululum fuit, sed illico ab eadem mente fuit deserta. Hæc 17. vel 20. mortem impendere demonstrant. vtrumque exitus comprobauit, nam 17.

planè

planè obmutuit, 20. verò periit. V. vxor Epicratis febri acuta vexabatur, quæ vt ſuperior ex crudis & biliosis humoribus concitata eſt, morbi id eſt locorum inflammationis ſymptomata erant oris ventriculi, locorum, capitis, colli, lumborum dolor, alui ſordes biliosæ. Sitis verò & vigiliæ, & dementia, quamuis minimum perdurarit, malis moribus morbum præditum ſignificabant. 10. ex dolore illo crurum vehementiori magnum eſſe naturę cum morbo pro ſalute certamen, coniecturam facere poſſumus, & humorum partem maximam ad crura protrudiſſe, verum illico ad ſuperiora recurriſſe; vnde iterum eam oris ventriculi dolor, capitis grauitas ſubſequuta ſunt. 11. ſudor, qui vt ægra facilius morbum ferret, in cauſa fuit, ſubſequutus eſt, quod bonum indicium fuit. Vrinæ autem melioribus præditæ coloribus, in quibus multa ſubſidebant, inchoatam humorum concoctionem eſſe demonſtrabant, quæ certa & inſignis nota concoctionis eſt. Quare morbus neceſſariò protrahebatur, atque 15. iudicium ſubiit, vt omnino liberata minime ſit, ſed tamen longe à periculo aberat; namque poſt illa ita deinceps ad 40. vſque ægrotauit, vt omnino expers eſſet periculi; etenim tametſi 18. ſiti vehementius vexaretur, lingua combuſta videretur, ſomnum non caperet, deliraret, & 20. ſomno planè opprimeretur, vomituſque nigrorum & ſurditas conſequuta eſſet, tamen (omitto conſultò vrinam editam fuiſſe craſſam cum candidiore ſedimento) crura doluerunt; quod indicium certum ſupra à me appellatum eſt, rigor, ſomnuſque acceſſit: cæteris verò diebus etſi pugna iam ſeneſcere videretur, attamen victoria minime dubia erat, namque hoſtes diſſipati. 21. copias ſuas in pectus ſubduxerunt, vnde lateris ſiniſtri grauitas, dolor, tuſſiſque conſequuta eſt. inde pulſi veluti in arcem montemque aliquem in caput ſe receperunt, vnde faucium dolor, ruborque continuo apparuit; columella con-

tracta est, & destillatio acris, mordax, salsaque emanauit. 34. primo per aluum, deinde 40. per vomitum depulsi sunt humores propè omnes, tandem perfectè illius iudicium 80. editum est. VI. Magna quædam errans, & vaga febris Cleonactidem occupauit; cuius symptomata erant capitis, sinistra lateris, atque aliarum nonnullarum partium dolor; quasi verò id ex lassitudine, defatigationeque contigisset; qui dolores humorum multitudinem significabant, bonis moribus præditum morbum esse demonstrabant bona indicia, quorum nonnulla quartum gradum bonorum attingunt, ciborum cupiditas, somnus, quod siti minime affligeretur, vrinæ colore præditæ, præterea sudores, & vomitus, quæ vt æger morbum facilius multò ferret, effecerunt. vomitus autem nota extremarum manuum refrigeratio fuit: vrina verò subrubra, in qua rubra quædam subsidebant, quales XL. dies profluxisse testatur. morbum quidem diuturniorem, attamen salubrem reddebant: optima verò fuit, quæ LX. descendit. LXXX. indicium subiit, cum in vrinis rubrum, & lene subsideret tantum species, formaque subsidentiæ in morbis potest. VII. Febris, qua correptus fuit Methon, continua & ardens erat, cuius symptomata sunt lumborum dolor & grauitas, in quibus erat humorum putrescentium sedes, alui sordes tenues, biliosæ, subrubræ humoris morbum facientis genus significant. III. die capitis grauitas subsequuta est, quæ humores superiores partes petiisse ostendit, quare IV. die sanguis ex naribus profluxit: at verò vrinæ nigræ, in quorum medio nigrum quoddam innatabat, diuulsum, quod omnino non subsidebat, cruditatẽ humorum, & periculum minime vulgare imminere demonstrabant: tertium enim malorum signorum gradum attingunt, pessima enim sunt. V. verò sanguinis profluuio & sudore iudicium subiit non perfectè, quòd cruditas iudicium sustulerit; nam (vt antea ex

Hippoc.

Hippoc. adnotauimus) concoctio breui iudicium futurum declarat, optatam & expeditam securitatem significat; cruditas vero & immaturitas aut ad abscessus recidit, aut iudicia extinguit, aut morbos prorogat, aut dolorem, aut mortem affert, aut horum ipsorum morborum recidiuas minatur. Qua propter post iudicium sæpius sanguinem erupisse tradidit; hoc verò est exemplum abscessus κατ' ἐκροὴν, qui scilicet eruptione fiunt. Illud nullo modo prętereundum, quod commemorat Hippoc. Methonem aquam multam II. die bibisse, eamq; ventrem egregiè reddidisse hoc factum (præsertim si ipsius consilio data non fuerit aqua) vituperandum videtur, quod eo tempore humorum maturatio incœpta non erat; at ad sitim extinguendam, qua mirifice in morbis acutis ægri vexari solent, aluumque ciendam optimum remedium est; præsertim si frigida detur, & non valde multa, nã tanta dari minime debet nisi si humorum absoluta cõcoctio sit. VIII. Non dubium erat, quin huic ægroto cõtinuò pereũdum esset; nã vt vigiliæ, delirium, iactatio, febris ardẽtis symptomata sint, desperat⁹ homo planè erat, cum tot cõgruerent indicia mala & pessima nullis omnino bonis intercedẽtibus: etenim sudores ppetui, qui morbum minime imminuebãt, pręcordia sublimia, cõtenta dolentia, sitis nulla, vrinæ nigræ, extrema frigida, subliuida, omnium rerũ desperatio, & denìq; neruorum distẽtiones inter ipsa initia cõsequuta sunt; quæ III. malorum signorum gradum attingunt. Quapropter illud veriss. est, quod Hippoc. scriptum reliquit, febres natura maxime maleficæ & quæ signis (vt ita dicam) terribiliss. ægrotos corripiũt. IV. die aut citi⁹ interimere: diẽ verò V. vidit, ppterea quod prim⁹ lenior fuerat. IX. Veriss. illud est quod Gale. adnotauit, quod si huic ægroto inter morbi principia missus fuisset sanguis, nullo negocio mortifera ęgritudo ad salutẽ cõuerti poterat: namque certissimum signum extulit natura, quo ostendit

hoſtes facile poſſe propellere, modo paulum fuiſſet adiuta; etenim ad partes inferiores eos egregiè protruſit, ſed tanta eorum erat copia (quæ ex ea re potiſſimum dignoſci potuit, quod caput quoque occuparunt, delyriumque excitarunt) vt paruum illud membrum tantam multitudinẽ capere non potuerit. Quapropter II. ipſa die natura planè concidit. huiuſce verò ægroti caſum nunquam obliuiſci debemus propter mortis celeritatem: maxime verò malefici erant humores, quam rem delirium & puſtulæ nigræ comprobauerunt. ſymptomata verò febris ſunt horror, nauſea, alui ſordes meræ, bilioſæ. X. Clazomenio vehementiori febre occupato, quippe inflammatio dextri præcordii ſuberat, capitis, colli, lumborum dolores, vigiliæ, lingua ſicca illico inter ipſa morbi initia conſequuta ſunt, quæ ægritudinis ſymptomata ſunt. IV. die delirium acceſſit, quod & præmonſtratum antea fuit à colli, capitis, lumborum doloribus, nec non vigiliis, quæ & malis moribus morbum præditum eſſe ſignificant. huc accedit magna corporis vexatio, & alui illuuies tenuis, & quæ aquam referret, quæ humorum etiam cruditatem ſummam oſtendebant. idem prænunciabant vrinæ tenues, quæ ob coloris bonitatem ſalutem quidem pollicebantur, aut concoctionis tempus proferebant, in quibus innatabat aliquid diſperſum, quod minime ſubſidebat. XVI. vrinæ profluxerunt craſſiores, in quibus aliquid ſubſidebat; vnde ægroto mali quoddam leuamentum ſubſequutum eſt, verùm illæ minime perſtiterunt. Subdit. XVII. tenues profluxerunt circa aures, tubercula excitata ſunt, quæ neque reſederunt, neque ad ſuppurationem ſpectarunt. coxarum dolor quoq; acceſſit, quod ſignum tametſi inter certas notas à me antea relatum ſit, ille tamen dolor ſymptomaticus fuit: humores enim acriores naturam pungebant, ac lacerabant, quorum ſtimulos diutius ferre non potuit. XXX. verò

die

die abscessus κατ' ἐξοχὴν illos extrusit. XX. morbum planè iudicasset, si vrinæ subsequutæ essent crassiores. XVII. enim XX. prænuncius est. at morbum non sustulit propter humorum summam cruditatem, quos neq; per aluum potuit emittere, quod tandem XXX. dies præstitit. Sordes ramentosæ, quales profluere solent in Dysenteria, consequutæ sunt, quæ humorum, qui profundebantur, acrimoniam haud vulgarem ostendebant: ergo XL. diem morbus expectauit, in quo omnino optabilem exitum habuit, namque & oculus dexter minime dolebat, minimeque obscurè videbat. XI. Vxor Dromedæ illico acuto morbo correpta est, præcordiorum scilicet inflammatione, cuius symptomata erant rigor, anxietas, iactatio, horror, vigiliæ, spirandi difficultas, capitis verò & lumborum dolorem minime præteriit, cum febri acuta eum laborasse scripsit, anxietas, iactatio, spirandi difficultas malis moribus præditum morbum indicabant. II. die praua admodum primò signa consequuta sunt: nam vrinæ turbidæ, quæ non subsident, prauæ admodum sunt; deinde vigiliæ subsequutæ sunt, quæ pessimæ sunt, & tertium malorum indiciorum gradum ostendunt: hæc omnia III. die permanserunt. accessit deinde præcordiorum dolor maxime animaduertendus, ac extimescendus: anxietas, quæ pessima est, sudores frigidi, quamuis per totum corpus emanarint, cum febre acuta morte significant. Verumque illud est quod si multa mala signa apparuerint, nihilque lenius consequatur, mortis timorem incutiunt, signaque ea stabilitatem maiorem habent, quæ IV. gradum attingunt. V. die sopor consequutus est, qui malus est: è naribus stillauit, quod & pessimum signum est. Vrinæ oleosæ, quæ colliquationem ostendunt, quæ VI. ægrotum periturum facile portendebant: nam (vt antea diximus) pernicioſa signa si continenter in morbis acutis apparuerint, mortem. VI. vel. VII. impen-

dere demonſtrant. V. nihil planè boni ſuperuenit: nam ſitis, anxietas, vrinæ oleoſæ, delirium aluus ſuppreſſa in præcipiti ægrotum eſſe demonſtrant: meritò igitur. VI. extrema frigida, delirium, ſpiritus magnus & ratus, neruorum diſtentio, & tandem mors illico conſequuta eſt. XII. Febris acutæ, qua homo hic vexabatur, ſymptomata tantummodo ſcripſit, vomitus, & lingua ſiccà, præcordiorum dolor morbum malis moribus præditum eſſe indicat: nam febres ex præcordiorum doloribus excitatæ malignæ, vrinæ rubræ, quæ minime ſubſidebant, malæ ſunt, & maxime vituperandæ, ſitis præter rationem depulſa, mala eſt, primumque gradum malorum ſignorum tenent. V. Indicia planè mortifera apparuerunt; nam oleoſa & leuis profluxit. hæc verò ſigna tertium malorum gradum attingunt. VI. delirium acceſſit, quod horribile eſt. VII. vrinæ eædem, aluus reddidit liquida, quæ mala ſunt, nec non turbata, quæ magnam naturæ cum morbo dimicationem eſſe oſtendebant. Lumbrici humores marceſcere indicãt, & morbum malignum. in maximo verò cum morbo certamine naturam veniſſe illud argumento eſt, quod bene mane ſudor conſequutus eſt calidior, qui morbum propè omnem depulit; nam febrem planè abſterſiſſe viſus eſt, at vigiliæ, delirium, cuius nota ante præceſſit, ſcreatus ſcilicet frequentiores, & nigrorum vomitus, qui malus eſt, haud magna ſalutis nota nos nixos eſſe demonſtrarunt: nam vnum tantum bonum indicium inter multa mala obiectum eſt. dolor crurum, qui X. hominem occupauit, morbum cuncta iam tenere oſtendit, vnde & mors XI. conſequuta eſt. XIII. Quod ægroti non vno morbi genere laborent aliquando manifeſtum eſt: multiplices verò morbi non vno & eodem tempore, neque vnico iudicii genere iudicium ſubire potis eſt. hęc mulier principiò febre vehementiori correpta eſt, cuius ſymptomata erant, capitis, colli, lumborum dolores,

ſordes

sordes alui bilioſæ, vigiliæ, delirium, & præcordiorum dolor, magna verò materiæ pars ad cerebrum & principium neruorum manus dextræ & linguæ propulſa eſt, quare ægra vocem amplius exprimere nõ poterat, & reſoluta eſt manus dextra cum neruorum diſtentione. Signa verò erant maxima & periculoſa: nam delirium terribile eſt, vigiliæ malæ, præcordiorum tumor magnum quoddam eſt, & minime contemnendum: neruorum diſtẽtiones periculoſæ. Vrinæ tenues morbum crudiorẽ eſſe indicant. V. die ſudor noctu conſequutus eſt, qui febrẽ planè depulit, ſed quoniã morbus ad maturitatem planè non peruenit, iudicium optabilem exitum non habuit, quemadmodum Methonis, cuius morbus paullatim deinceps maturitatem conſequutus eſt. propter morbi verò vexationem iudicium cito editum eſt, quod minime aliquando pernicioſum eſt, præſertim ſi in natura vires ſint firmiſſimæ, id antea quoque aliquando accidere poſſe adnotauimus & in Methone obſeruauimus. Reſtabat alius morbus, qui neruoſum genus occupauit, comprobant id ſymptomata ipſa, tremor, ſopor, delirium, qui vomitu & ſudore 14. abſolutè iudicium ſubiit. XIV. In hac quoque anteuertit iudicium natura, cum & in hoc morbo plurimum poſſet, & ab acrioribus humoribus vehementius vexaretur, ac agitaretur. iudicium verò exercuit 7. dies, cum vix dum inchoata eſſet humorum maturitas: nam vrinæ perpetuò bonis quidem coloribus præditæ erant, veruntamen tenues erant, febri laborabat acuta, cuius ſymptomata erant capitis, colli & pectoris dolores. Delirium & anxietas malignum morbum oſtendebat. Ergo meritò in recidiuam incidit; in qua notabantur quoque indicia quædam mala: nam ventris ſordes nigræ & male olentes, malæ ſunt. optima 11. profluxit vrina, in qua album & lene quoddam ſubſidebat, quapropter optimum ſtatim ſudore ſubſequutum eſt iudicium.

Tertii libri Hippoc. Ægroti XII.

Cap. XLI.

DVPLICI Pithion quoque morbo correptus est febre & humorum copia haud multa, quæ thoracis partem, quæ cum vltimis ceruicis vertebris connectitur, occupauit. Primum intercostale spatium vulgò appellatur, huius maturitatis principium fuit 6. die, namque sputa reddita sunt subrubra, 10. verò sudauit, sputaque maturiora prodierunt. huius symptomata fuerunt tremor manuum, & os distortum, quæ consequuta sunt, cum natura humores deorsum raperet. Febris verò materia nunquam ad maturitatem planè perducta est: namque vrinæ semper tenues & colore minime præditæ profluxerunt, quæ humorum summam cruditatem demonstrabant. Quòd verò in ipsa innatabat nubilosum, medium quoddam est inter album & nigrum. quare bonum quidem iudicium consequutum est, veruntamen imperfectum; vnde Hippoc. Quicumque vrinas tenues, & crudas diutius edunt, si cætera veluti incolumibus signa accesserint, abscessum expectare oportet locis infra septum transuersum positis, quem in hoc ipso accidisse obseruauimus: nam die 40. abscessus cum stranguria factus est, febris vero symptomata erant delirium, & alui sordes biliosæ. II. Iocinoris inflammatione correptus est Hermocrates, cuius symptomata sunt febris, lingua adusta, capitis & lumborum dolor, alui sordes paucæ, combustæ. Signa verò erant surditas, vigiliæ, delirium, ciborum fastidium, morbus regius, vrinæ tenues, quæ non subsident, morbi cruditatem ostendunt, & grauiss. morbi diuturnitatem. Turbatæ verò cuncta naturam turbare ac inuoluere significant. hæc signa, quæ primum malorum gradum attingunt ad 11. vsque diem perseuerarunt: quibus coma adiunctum est; quod pernicioſum est, tertiumque gradum tenet;

id enim

id enim accidit vel ob virium imbecillitatem, vel quod pars omnino refrixerit. quod vero 14. febre carere visus sit, id malignum præditum esse demonstrauit, & pernicioſissimū signum est; nam his, quę præter spem, rationemq; leuant, fidem habere non oportet: etenim signis mortiferis apparentibus quanto leuius se habet ægrotus, tanto pernicioſior morbus est. à febre vero liberatus est nō modo sine sudore, sed & sine vllo alio signo. ægroto febre ardente occupato, quam excitarunt humores acriores, & mordaces, quorum significationem dederūt aluus liquida, & tenuis, malis signis & pernicioſis apparentibus, in die iudiciali, cum nihil quod ad iudicium pertineat plane consecutum sit, malum sedatum est. quid præsagiendum nisi mortem & calorem natiuum cum consumptum, tum vero extinctum esse? hoc vero comprobant ciborum fastidium, sopor, lingua arida, & quod siti minime vexaretur 111. magna fuit in hac ægritudine naturæ dimicatio cum morbo, in qua non semel, sed ter, quaterque descendit, & ni ægrotus virium firmitate præstitisset, mortem profecto cum vita commutasset. febre ardente occupatus fuit, cuius symptomata erant, capitis dolor, sopor, præcordiorum contentio; signa delirium, vigilię, lingua arida, sitis, lienis tumor, dolorque femoris directo. Vrinæ tenues, quæ aliquando encoremata dispersa habebant, & crassiorem farinam, genituramque referebant, aliquando vero nigra quædam in ipsa subsidebant; alui sordes nigræ, tenues, spumosæ, sopor, vomitus, sanguinis meri stilla, quæ quarto die emanauit, sudor collum & caput tantummodo madens. horum plurima mala sunt, quæ tametsi primum gradum prauarum notarum tantummodo teneant; tamen cum multa sint, mortis timorem incutiunt. horum fidem optima nota plane imminuit, lienis tumor, dolorque femoris directo; significant enim humores recta ad inferiores partes fuisse propulsos; quod indiciū inter

certa antea à nobis numeratum est. Rigor 1x. ad quem diem superiora signa perdurarunt, subsecutus est, atque sudor, quę propter febris magnitudinem eandem protinus abstergere non potuere. delirium, dextri oculi distortio signa sunt iudiciorum. at quoniam in iudicio vrinæ tenues descenderunt, imperfectum illud fuisse ostenderunt; quare 14. febris iterum hominem corripuit, eiusdemque generis signa consecuta sunt; & in secundo malorum gradu collocantur. Vrinę tenues profluxerunt, in quibus innatabāt nebulosa quædam, vigiliæ, delirium vigebant, dolor femoris, & tibiarum aderat. 17. iterum natura in morbum impetum fecit, sudorque per totum corpus emanauit, vomitus consecutus est, febris decessisse visa est. Verumtamen non magnum omnino ex hoc iudicio natura fructum percepit; nam materia nondum maturitatem assecuta erat; vrinæ enim iterum tenuiores profluxerunt, & ea consecuta sunt, quæ morbi robur indicarent. in tanta tamen contentione ac certamine naturæ cum morbo, illud nullo negocio diiudicari poterat, naturam facile posse morbum superare; nam & illum aggredi, & paulum propellere potuit. tertio quoque sudore morbum depellere conata est, idque in die iudiciali: verum quoniam materia ne tunc quidem maturitatem cœperat: vrinæ enim tenues semper erant, ad xl. vsque iudicium perfectum est productum, qui dies de morbis acutis, sed longioribus iudicare solet. 1111. Morbus magnus est: cerebrum enim affectū est, quod eius symptomata indicant, surditas, delirium haud vulgare, conuulsio, præcordia dextra retracta mortifera plane signa, quæ tertium malorum signorum gradum tenent. huc accessit vomitus æruginosorum quā plurimorum, quæ celeriter morbum moueri indicabant: namq; ex eorum, quæ profunduntur quantitate morbi motum cognosci iampridem adnotauimus. vrinas vero in quibus innatabant quædam genituræ similia,

perni-

pernicioſas eſſe iampridem diximus,& celeritatis notam eſſe. merito igitur v. obiit die.v. Quod hic febre ardente correptus fuerit,quam excitauit copia biliioſorum humorum,aperte oſtendunt, quæ emiſſa fuerunt. nam inter ipſa initia,nec non toto morbi ſpatio multa venter reddidit biliosa, & XVI. vomuit biliosa, flaua,multa:præterea vero & morbi ſymptomata:nam vigiliæ,delirium,rigor, poſtremo ſudor cõſecutus eſt, qui morbum prope abſterſit. humores autem hi ſtatim caput occuparunt,vnde capitis grauitas cum dolore,labri inferioris,& capitis tremor,neruorũ diſtentio, delirium, vigiliæ. principio vero nonnulla ſigna praua conſecuta ſunt,quæ primum malorum gradum tenẽt. at IIII. ſomnus acceſſit,quod optimum ſignũ eſt,vrinæ erant optimis coloribus præditæ: & quod in illis innatabat,cum modicum quoddam eſſet inter album & nigrum,concoctionis tempus paululum prorogari demonſtrabat.VII.iudicium ſubiit cum ſudore,imperfectumque fuit,quod ſine concoctionis notis dies ſeptima iudicarit de magno morbo. nono igitur febris rediit.XVII. iterum iudicium ſubiit: verum neq; huic fidendum fuit: quoniã XVIII. tertio febris rediit. abſolute xx. iudicatus eſt. hoc loco maxime animaduertendum,quod poſt recidiuam & iudicium vrinas optimas profluxiſſe affirmat,& tamen tertio febre ægrotus correptus eſt. An aliquando natura paulo infirmior,tametſi materia maturitatem cõſecuta eſt,tardius,quę aduerſa ſunt,nonnunquam propellere conatur,vt & antea obſeruauimus. inde iudicia paulum extrahi contingit? hæc res cum non ſatis fortaſſe à veteribus medicis cognita, ac percepta fuiſſet, delendum putauerunt,vigeſimo. at vero cum ſic in omnibus codicibus legatur,veterem lectionẽ tueri voluimus. Suſpicari quoque aliquis poſſet, poſt iudicium vrinas optimas ſubſidentias non habuiſſe: nam Hippoc. non optimam ſubſidentiã, ſed tantummodo ſubſidentiam

habuisse, scriptum reliquisse videmus. nos vero eam sententiam maxime secuti sumus, quam probare Galenus visus est. VI. Nullus in huiusce virginis ægrotantis historia, dierum iudicialium certus est ordo, & in dierum enumeratione codices ipsi veteres & probati minime inter se congruunt, ac consentiunt. illud tantummodo in huius virginis casu notandum est, summa eam capitis destillatione laborasse, & tabe, in quam natura propensior erat, consumptam tandem fuisse. symptomata omnia ac signa cum malignum morbū, tum naturalis caloris, extinctionem significāt; etenim cum ardenti febre vexaretur, minime sitiebat; nihil assumebat, nihil appetebat, ciborū omniū fastidium eā vrgebat, extrema frigida, verba nulla, tristis erat, animū despondebat, nihil, quod maturitatem aliquā assecutum esset, ex pectore expuebat: destillatio multa tenuis, acrior. Illud minime prætereundum, quod vuā, quam sumpsisse dicit, delirium excitasse dicebant. An forte id ex mulierculārum, aut eorum, qui ægrotum adseruabant sententia scripsit? minime; namque id eam præstare solere aliquando testatum reliquit Galenus VII. Hæc angina laborabat, cuius symptomata febris acuta est, colli, pectorisque œdema subrubrum, quod priorem & posteriorem pectoris partem occuparat, quod morbi magnitudinem ostendit: obscura vox, spirandi & deuorandi difficultas, lingua rubra, & arida febris magnitudinem indicant. extrema frigida, anhelitus sublimis, potus per nares effusio, quod omnino deuorare non posset: vrinarum & alui sordium suppressiones pernicioſa signa sunt, quartumque malorum indiciorum gradum assequūtur: extinctionem enim & (vt ita dicam) mortificationem natiui caloris portendūt, quare merito v. die mortua est, VIII. Adolescens hic febre ardente correptus est, quam excitarunt crudi, & biliosi humores: id indicant aluus cita, eius sordes tenues ac biliosæ, præterea vero delirium & sitis.

& ſitis. Prima ipſa die mala, imo vero peſſima apparuerunt indicia, quæ in tertio malorum notarum gradu collocatur: nam ſubnigrę profluxerunt vrinę, aluus tenuis, vigiliæq; ſubſecutæ ſunt. Secunda vero cuncta deteriora fuerunt: grauioribus enim & pluribus ſymptomatibus plena eſt: nam ſordes alui plures profluxerunt, illæque minime ſuo tempore extruſæ ſunt, de mente deiectus eſt, paulum ſudauit, quæ periculoſa indicia ſunt, & primum tenent malorum gradū. Tertio vero auctus eſt morbus, nam perturbatus ægroti totus erat ſtatus, ſiti vrgebatur, anxietas, iactatio, deſperatio acceſſit, de mente deturbatus eſt, præcordiorum cōtentio mollior, quæ periculoſa ſigna ſunt: nam iecur & lien inflammatione correpti ſunt: extrema liuida & frigida plane mortifera ſunt, & tertium gradū aſcendunt, præſertim in adoleſcente, qui xx. ætatis ſuæ annum agebat, notæ enim hæ deteriores ſunt, cum in huiuſcemodi ætate apparent: merito igitur vii. extinctus eſt ix. Ileo correptam mulierem hanc propter morbi celeritatem tam cito deceſſiſſe veriſimile eſt. inflammata vero erant tenuiora inteſtina, vomitus multi, potum retinere non poterat, dolores circa præcordia vrgebant, tormina aderant perpetua, quæ nullo non tempore morbum conſequi ſolent. vigilię vero & anxietas malignum morbum oſtendebant, & praua indicia ſunt, quæ primum gradum tenent. extrema vero frigida mortifera nota eſt, & tertium gradum aſcendit. Verba autem fecit de vrinis, quoniam ſi in huiuſcemodi morbo bonæ profluxerint, ad ſanitatem quidem perduci poſſe ægrotum ſperandum omnino non eſt: at ſi malæ ſint, exitio ſunt; cum enim periculum aliquod imminere videtur, vno tantummodo morbo occupatis; ſi & alia quædam acceſſerit ægritudo, malum ægro augeri neceſſe eſt. x. Hæc mulier, febre ardente correpta, cum in primis venis meſeraicis, & gibbis iecoris partib. cruda quædam aggregata

essent, cuius symptomata, lingua arida, sitis, vigiliæ vero & anxietas, malignum morbum significant; in hoc morbo concoctionem materia nunquam assecuta est: nam perpetuo, inquit, alui illuuies multa erat, tenuis, cruda, vrinæ vero paucæ & tenues. XI. Altera etiam mulier incidit in febrem ardentem, cuius symptomata erant lumborum dolor, capitis grauitas, vigiliæ, coma, cuncta, quæ in ea signa adsunt, mala sunt: quæ primum tenent malorum gradum: nam secundo die tenuia & mera deiecit. 3. deteriora, vigiliæ. 4. delirium, metus, mœstitia, oculi distortio, sudor circa caput tantum pessima nota est, & tertium gradum ascendit, extrema vero frigida mortem prænunciant, subsequentibus vero diebus multa ad ea adiuncta sunt pessima & mortifera: quibus apparentibus illico mors expectanda erat. Vrinæ erant paucæ, quæ vim expultricem iam extinctam esse significant, cum præsertim multum biberit: nam quinta scriptum reliquit, siti eam maxime vrgeri. vrinæ nigræ extinctionem caloris indicant, extrema subliuida mortem maturiorem prænunciant. VII. vero mortem obiit. XII. Tertiam hanc mulierem exemplum nobis proposuit Hippoc. naturæ fortioris: nam cum omnia indicia inter ipsa initia essent plane mortifera, tamen XIV. diem eam vidisse tradit, nihil vero in toto eius ægritudinis tempore omnino apparuit, quod illi bono esset; nam sudores frigidi circa caput, alui sordes multæ tenues, vigilia, sitis magna, iactatio, frigidior sudor, qui per totum corpus emanauit, extrema frigida, delirium, partim mala, atque adeo pessima sunt, partim vero mortifera quæ tertium gradum ascendunt. Quapropter magis mirum est quod IX. vel. X. non interierit, vixit autem vsque ad. XIV. propter naturæ robur; nondum enim. XVII. annum excesserat; naturam vero fuisse egregie robustam, illud argumento est, quod etiam prope victa, conata sit hostes cum sanguine per nares protrudere. septimo quoque

quoque sudores emisit. IX. vomitum excitauit. X. vrinarum maximam copiam effudit, quæ nonnihil ægrotam iuuisse visa est. at paradoxa mutatio fuit, signumque illud naturam plane concidisse significat: etenim cum antea de vrinis ne verbum quidem fecerit; Hippocrates X. vero scriptum reliquerit multam descendisse vrinam, naturam eam amplius continere non potuisse indicium est, & vires omnes plane amississe, quod & in secundo ægroto pri. De m. v. animaduerti. Satis adhuc aperte (vt arbitror) ostendemus quemadmodum rationem hanc præceptionis accommodari ad ægrotorum historias oporteat, satisque (ni fallor) in multis ægrotorum historiis id ita se habere experientia comprobatum est. Nunc quoniã in hoc tertio libro XVI. quoque ægroti restant, quo res ipsa cognitu facilior sit, quæcumq; etiam in hisce ægrotis obtigerint eadẽ, qua prius via ac ratione, seruata summa industria perpendemus, vt plane certam, ac perspicuam totam præsagiendi doctrinam habeamus.

Pestilentis anni ægroti. XVI.

CAP. XLII.

PArius in Thaso febre correptus est ardentiori, cuius symptomata statim Hippoc. ipse explicauit, siti cruciabatur, coma occupabatur, atq; interdum vigiliis cita aluus erat, quæ reddebat liquida & bilioſa multa, quæ humorum cacochymiam demonstrabant, vrina alba summam humorum cruditatem indicat. ciborum fastidium, & odium, naturam imbecillam esse portendit. oleosæ vero vrinæ minime quidem bonæ sunt, at non valde mortiferæ; ea vero minime pinguis erat, sed colore & crassitie oleo persimilis videbatur. Pinguia vero quę aluus 7. profudisse testatur magis mortifera sunt, quæ 2. gradum malorum signorũ ascendunt.

Vomitus æruginosus malus est, 11. De morbo iudicare natura conata est, verum nihil ad exitum perducere potuit, quæ res illam infirmiorem esse testatur 12. delirium accessit 18. iterum iudicium exercere conata est, sed frustra, nam superioris meliorem exitum nõ habuit, vigilię enim & coma consecuta sunt. ciborum fastidium idem erat, alui sordes bilioſæ & crudæ. Quare 24. in recidiuam incidit 34. iterum iudicium editũ est. item 40. sed perpetuo à morbo natura victa est ac superata. Huc accessit praua victus ratio, quæ perniciem ei plane comparauit: quare 100. die obiit, cum mala & mortifera semper signa consecuta sint nullis vnquam bonis apparentibus. 11. Mulier hæc egregie valida erat: nam & morbus diuturnior fuit, & natura multoties conata est morbum depellere. Febre acuta laborauit ob retentionem purgationis post partum, cuius symptomata erant rigor, horror, atq; delirium. malignum morbum factum esse ostendit, animi deiectio, ciborum fastidium, anxietudo, iactatio, & quod siti minime vrgeretur, cum tamen satis acutarum febrium proprium sit symptoma: atque ea signa praua sunt, & primum malorum gradum tenent. Sanguis autem, qui post partum profluit, melancholicus est; qui cum caput occupasset, melancholica facta mulier est. vrinæ multæ, tenues, & nigræ editæ sunt: quæ si multę profluxissent, quemadmodum in huiuscemodi casibus euenire sæpe solere scimus, morbum facile depulissent. at in huiusce ægritudine nihil tale contigit: namque vt multæ fuerint, certe crassiores non erant. hæc quoq; cacochymia laborauit; nam cita erat aluus, reddebatque multa, tenuia, & bilem aquosam, vigilia vero affligebatur, quod humores in cerebro putrescerent. coma erat propter humores humidiores, & frigidiores, qui superiora loca petierunt 27. natura egregie morbum aggressa est, ad coxendicemque humores detrusit, quod naturæ robur maximum demonstrauit.

strauit. at 40. humores recurrerunt, pectusq; obsederunt, vnde tussis excitata est, quæ ægrotã somnum capere minime patiebatur, & multa expectore expuebat: verum nullam vnquam maturitatem materia assecuta est. Neque vero abscessus aliquis consecutus est ex iis, qui in longis morbis, cum æger ad salutem perducitur, apparere consueuerunt: nam (vt scriptum reliquit Hippoc.) quæcumque febres moram longam faciunt, ægroto ad sanitatem properante, sic vt neque dolor vrgeat propter inflammationem, aut propter aliam manifestam caussam, huic abscessus erumpit cum tumore aut dolore in aliquem articulum, maximeque in inferiorem, at hanc sanitatem assecuturam esse minime verisimile erat: etenim signa omnia mala antecesserant, ciborum fastidium, tenues, & aquosæ vrinæ, coma, iactatio, cita aluus, cuius illuuies erat cum multa tenui & aquosa bile. tussis perpetua, humidior, delirium quod siti minime vrgebatur. cuncta mala erant indicia, & tantum abest, vt sanitatem pollicerentur, vt interitum minarentur. nullis igitur bonis apparentibus notis mirum alicui minime videri debet, si 80. perierit, nam & antea prope mortua iacebat: etenim superioribus diebus ne vocem quidem præ imbecillitate mittere poterat, quod extincti caloris natiui portentum est. 111. Nemini mirum videri debet, quid sit, quod homo hic 10. mortem obierit, nam inter principia ipsa cuncta mortifera aderant indicia, quæ 3. gradum ascendunt, atq; à diebus paribus accessiones occupabant. febri acuta correptus fuit, cuius symptomata rigor, lingua arida, sitis & vigiliæ erant, vrinæ edebantur subnigræ, quæ malæ sunt. 2. extrema frigida erant, mutus erat, quod malum quoque est; sine voce, quod peius est, nam 4. malorum gradum attingit: extinctionem enim caloris natiui portendit. idem significat, quod & statim subdit, breui spiritu, iam iam enim calor extinguebatur. hoc comprobauerunt stercora

frigida, quæ non à calore, sed à frigore concreta fuerant. vrinæ nigræ & oleosæ 10. propter naturæ robur mortuus est, cum multo ante perire deberet: remitti vero videbatur morbi aliquando impetus, quoniam natura morbo se opponere minime audebat. IV. exemplum acuti morbi nobis reliquit Hippocr. nam hic phrenitide (quod nonnulli putarunt) minime periit, verum ob æruginosorum humorum prauam qualitatem; id nobis demonstrat æruginosorum, atque adeo venenosorum humorum vomitus, qui inter ipsa initia consecutus est: ea enim, quæ inter morborum principia excutiuntur, humorum genus, quod morbum excitat, demonstrant, quę etiã aluus reddidit, idem ostendunt: in hoc vero cuncta mala signa adfuerunt, nam sudor multus per totum corpus emanans febrem minime discutiens, & qui minime sit in caussa, vt ægrotus facilius morbum ferat, malo esse cõsueuit, & primum malorum indiciorum gradum attingit. Stercora vero quæ profluxerunt, cum affatim & multa reddita sint, naturam iam victam succumbere demonstrant. Secunda die ea consecuta sunt, quæ idem sane demonstrarent: nam sine voce fuisse tradit: id autem caloris natiui extinctionem significare antea tradidimus, & 4. gradum malorum ascendit. in fine 3. periit, & tertio potius quam quarto interiisse dicendum est. v. Caluus hic exemplum est mutationis præter naturam: namq; cum hic tertio plane die vitæ finem facere deberet, præter spem femoris dolor remissus est, & 4. expirauit, & vrina multa descendit; quoniam natura vim, quę retinet, plane amiserat. extremæ vero partes frigidę signum mortiferum est, & tertium malorum gradum assequitur 3. dies non 4. illius vitæ finem esse debebat, in qua præter opinionem femoris dolor finitus est, & materia in caput peruenit, de mente enim deturbatus est ægrotus. hoc vero die nulla pessima signa consecuta sunt VI. Ego vero lætor exemplum hoc nobis oblatum

latum acutiſſimi morbi, in quo homo ad ſanitatem perductus ſit, nam ea res mirifice me leuat, præſertim cum tot iam periiſſe viderimus, hic febri acuta vexatus eſt, cuius ſymptomata erant ſitis multa, capitis grauitas, quod pars materiæ aliqua ſurſum lata eſſet, anxietas. Lien in tumore erat, quod maior materiæ pars eo detruſa fuerit, quę inflammationem excitabat, ſanguis ex ſiniſtra nare poſtea acceſſit, quod eſt celeris iudicii ſignum: idem oſtendebant vrinæ multæ turbatæ, quæ magnum eſſe naturæ cum morbo certamen indicant. 2. die vrinæ craſſæ quę ſubſidebant, hæc vero naturam arbitratu ſuo materiam moderari demonſtrant. anxietas adeo male hominem non habebat: præterea ſomnus acceſſit, qui ſalutem certo expectare iubebat. 3. vero die cum multa & optima vrina profluxerit, noctuque quies ſubſecuta ſit, minime dubium erat 4. hominem iudicium ſubiturum; ſudor autem morbum egregie depulit. VII. virgo hæc humorum copia laborat haud vulgari, illud argumento eſt, quod inter ipſa morbi initia menſes profluxerunt, rubor & anxietas aderant, quæ humorum copiam oſtendebant. correpta fuit febri acuta & ardenti, cuius ſymptomata erant ſitis, & vigilia, anxietas vero malignum morbum indicat, ſigna aderant ad 7. vſque mala: quantum igitur ad ea, quæ apparuerunt, ſpes exigua ſalutis erat, at vrina profluxit optimo prædita colore, quod ſignũ tametſi diuturniorem morbum fore indicet, tamen maxime ſalutare eſt; quapropter ea deinceps conſecuta ſunt ſymptomata, quæ magnum quoddam eſſe certamen atque diſcrimen naturæ cum morbo oſtenderent; ita tamen vt victoriam natura reportaret; nam octauo die ſurditas, quæ profuſionem ſanguinis portendebat, vigilia, anxietas, acceſſit 14. etiam de mente deiecta eſt. 17. ſigna victoriæ edita ſunt, nam ſanguis è naribus profluxit, ſurditasque prope depulſa eſt. at iudicium imperfectum fuit, cuius ſigna anteceſſerunt, ſurditas,

delirium, vigiliæ anxietas. 20. materia in inferiora loca detrusa est, pedum dolor excitatus est, surditas, deliriumque plane absterſa. Sudor, sanguinis ex naribus profusio consecuta sunt, febrisque tandem discessit. Sed quoniam ea erat morbi magnitudo, vt à natura illico vinci minime posset, idcirco ad 27. iudicium perductum est, cuius iudicii signa antecesserunt, surditas, & delirium, maximo sudore morbus depulsus est, cum tamen sanguinis quoque profusio merito esset expectanda VIII. Quod contemplandæ perpetuo vrinæ sint, antea nos docuimus, nunc vero Hippoc. demonstrat idem in hac historia, in qua narrat Anaxionem lateris dolore correptum fuisse, cuius symptomata erant lateris dextri dolor perpetuus, febris acuta, spirandi difficultas, tussis. Vrinas inter ipsa morbi initia tradit bonis coloribus præditas fuisse, multas, tenues, quæ febris tempora diuturniora futura ostendebant. Vrinarum exinde non meminit. 27. tantummodo in ea multa alba subsedisse affirmat, quę absolutam materiæ maturitatē ostendunt. cætera maturitatem humorum, qui pleuritidem concitabant, demonstrant 20. cuius prænuncia erat. 17. iudicium subiit ægrotus, at imperfectum fuit, & quoniã morbus in incremento erat, & quoniã nondum absoluta erat humorum maturitas, nihil ergo mirum, si in recidiuam inciderit: etenim quæ in morbis relinquuntur post iudicium, morborum renouationes excitant 27. vero & morbus statum tenuit, & absolutam materia consecuta est maturitatem, & perfectum iudicium 34. natura exercuit sudore per totum corpus emisso, febriq; penitus profligata IX. Hic febre ardente & magna principio correptus est, cuius symptomata sunt capitis dolor, vomitus bilioſus, sitis, molestia, delirium, ac ante 14. febris (vt ita dicam) acumen retusum est; nam febris accessio non vno & eodem modo repetebat. Surditas subsecuta est, quæ profusionis sanguinis aliquando nota

nota est: nam, qui in febribus obsurduerunt, iis sanguis è narib. profluens, aut cita aluus morbum soluit. Vrinæ tenues & nigræ, malum erat indicium, & nisi natura virib. valuisset Herophytus periisset. Spiritum libere ducebat, quæ imperabantur optime sumebat, quę magnam habent ad salutem præmonstrandã vim. diutius in morbo superando natura laborauit; attamen 40. plane vicit, sanguinemq; è naribus profudit, & febris remissa est; at totam abstergere ægritudinem non potuit: quoniam morbum maximum depellere non potest. magni enim morbi magna naturæ auxilia postulant. 60. coxæ dolor accessit, quod optimum signum est. 80. manifesta maturitatis indicia adfuerunt, profluxerunt vrinæ bonis coloribus præditæ, in quibus, quod subsidebat, multum erat 100. perfecte iudicium subiit. x. Hunc completum, refertumq; crudioribus & biliosis humoribus febris occupauit, quæ diebus paribus accessiones habebat; eius symptomata erant, sitis, lingua exusta, horror, vigiliæ, bilioſorum vomitus, malignum indicant, anxietas; cordis vero dolorem biliosi humores os ventriculi occupantes excitabant. Vrinæ nigræ malæ erant, quæ nota insignis est, tertio die cuncta leuata sunt. 4. vrinæ tenues, & eneorema habebant 7. & 8. leuata & remissa sunt omnia 20. crassa & alba, in qua nihil subsidebat, vrina profluxit, quæ certamen naturæ cum morbo primum, deinde & crassitiem crudorum humorum significat. Sudor dein multus subsecutus est, qui iudicium exercuit: at cum sine concoctionis signis factum fuerit, merito ægrotus in recidiuam incidit 24. De morbo perfecte iudicauit, tametsi non omnino optimæ vrinæ profluxerint, albæ erant vrinæ, verum quod subsidebat, (ad id enim nunquam non respicere debemus) optimum erat. in hoc quoque ægroto natura egregie valida erat xi. Hęc quoque mulier humorum copia laborauit ob mensium retentionem, vnde facta melancholica est,

triſtis, timida. humorum abundantia, neruorum diſtentiones, dolores multi & magni continui totum corpus vexantes comprobant, febri correpta eſt. primo die ea lenior fuit, quam conſecuta ſunt mœſtitia, verba multa, quæ caput humores petiiſſe demonſtrãt. 3. dies de morbo iudicauit ſudore emiſſo. Vrinæ nigræ erant, quoniam menſes, qui retinebantur melancholici erant. Eneorema autẽ valde rotundum habebat & humorũ craſſitiem indicabat. iudiciũ vero minime fidum ſubſecutum eſſet, niſi ſi menſium profluuium acceſſiſſet, quod fidum ex infido vt eſſet effecit. XII. Virgo hæc plethora laborabat; id ſignificat rubor faciei, oculorum dolor, capitis grauitas, anxietas: febri ardente correpta eſt, cuius ſymptomata ſunt, ſitis, vigiliæ, lingua fuliginoſa, ſicca; maligna vero minime erat febris. Prima igitur ipſa die concoctio humorum cõſecuta eſt; at infirma erat maturitas: nam vrinas bono tantummodo colore præditas eſſe tradit. 3. naturæ opera humorum effuſio, quamuis minime abſolutam maturitatem aſſecuti fuerint, facta eſt; illud argumento eſt, quod ſequentibus etiam diebus facile, tolerantèrque huiuſcemodi humorum profuſionem tuliſſe affirmat ægrotam. Iudicium ſubiit 6. die, quod obſeruare diligenter debemus; nam id perraro accidit, quanquam perfecte tunc non iudicatum ſit; quoniam poſt illa menſes profluxerunt; quæ res iudicium perfectum reddidit. XIII. Hunc incidiſſe in iocinoris obſtructiònem, antequam ad morbi narrationem ſe conuerterit, memoriæ mandauit, & ſecundo De morb. vulg. ſic ſcriptum reliquit: Color qui multum pallidus eſt, & qui candeſcens pallit, quoniam omne huiuſcemodi à iecore eſt, & ex hoc ſunt iecore hi morbi, & morbi regii à iecore ad ſubalbidum colorem vergunt. caro bouina craſſum & crudum humorem gignit, lac vero caprinum & vinum, niſi ſi ſuo tempore ſumatur, facile putreſcit, & in bilem vertitur. Quare mirum non

non videtur, si corpus ad obstructionem procliuior mala victus ratione in morbum inciderit, inflammationem scilicet iecoris. huius symptomata erant præcordiorum dextrorum tumor cum dolore, sitis multa, vigiliæ, sopor vero inflatio, delirium & obliuio, vna cum bilioſis humorib. crudorum humorum copiam supereſſe demonstrant, extrema frigida mortem prænunciant. Vrinæ tenues & nigræ mortiferæ, quæ 3. malorum gradum ascendunt. earum vero paucitatem obstructionem haud vulgarem, & naturam plane concidiſſe ostendunt. sordes vero alui nigræ, & tandem lacteæ naturam vires omnes amiſiſſe demonstrant, quæ pernicioſiſſima sunt: merito 34. periit. præter opinionem accidit, vt 14. commodius se haberet. XIV. Mulier hæc quemadmodum & superiores sanguine melancholico retento incidit in febrem acutam, quæ vteri inflammatione mirifice aucta est; cuius symptomata erant capitis & colli grauitas, sitis, vigiliæ, triſtis vero erat & seuera; humoris, qui morbum excitabat, copia & natura huius pars caput occupauit, inde vehementer insaniuit. Anxietas malignum morbum ostendebat. Vrinæ tenues crudum morbum, nigræ vero, oleosæ colliquationem demonstrant. 14. vero peſſimis signis, atque adeo pernicioſiſſima quę quartum gradum malorum assequuntur, interiit; namque neruorum distentiones aderant. extrema erant frigida, vrinæ amplius non profluebant. XV. Hæc & phrenitide & melancholia correpta est, illius symptomata erant, quod minime loquebatur, lacrymæ, risus, vigiliæ, verba multa, febres leuiores erant, quare ad 21. morbus perductus est, multa ac mortifera signa notantur, quæ & 3. & 4. malorum gradum ascendunt, palpitatio, floccorum euulsio, & extremarum partium frigiditas, iam vero proximæ mortis indicia fuerunt, sic cæcutis contentio, & quod, quæ bibebat cito venter reddebat. Sensus vocisque omnis amiſſio,

& ſpiritus breuis, quæ caloris plane extinctionem indicant. XVI. Hic ex potu & venere cum diu calore leniori correptus eſſet, tandem decubuit, inciditque in febrem ex vitioſa humorum copia excitatam, quæ inflammationem quoque præcordiorum mouit, principio minime grauem, deinde magnam, poſtremo & delirium excitatum eſt. febris ſymptomata fuerunt, ſitis, vigiliæ, horror, anxietas. at tenues vrinæ paucæ, nullo præditæ colore, materiam caput occupare ſignificant; his acceſſit ſpiritus magnus & rarus. cutis autem arida & contenta, peſſimum ſignum eſt, tertiumque gradum malorum tenet, necnon & alui illuuies multa, tenuis & pinguis in præcipiti ægrotum fuiſſe ſignificat; cum vrinæ minimum profluit, naturæ vim illam, quæ expultrix dicitur, iam conſumptam à morbo fuiſſe præmonſtrat.

Deo Vni, & Trino ſempiterna
Laus, & Gloria.

IN


IN QVÆ DESINERE PLERUNQUE soleant ægritudines, & eorum iudicia.

Abſceſſus. 108.
Animæ defectio. 122.
Aqua inter cutem. 123.
Conuulſio. 113.
Delirium. 116.
Dolor. 116,135.
Dyſenteria. 122.
Furor. 116.
Inflammatio. 116.
Inteſtinorum leuitas. 123.
Mania. 109.
Parotides. 123.
Puris eruptio. 125.
Paraplegiæ. 136.
Recidiua. 120.
Rigor. 137.
Sang. e narib. profluuium. 127.
Sudor. 136.
Suppuratio. 132.
Vomitus. 135.
Vteri dolor. 136.

ÆGRORVM HIPPOC. nomina, quorum Hiſtorias in extremo libri diligentiſſime perpendimus.

Abderis virgo. 164.
Adoleſcens. 156.
Adoleſcens. 168.
Anaxion. 164.
Anginoſa. 156.
Apollonius. 166.
Chærion. 154.
Clazomenius. 148.
Cleonactides. 146.
Crythonus. 148.
Eraſinus. 147.
Eurinactis. 156.
Lariſſæ Caluus. 162.
Hermocrates. 152.
Herophytus. 165.
Herophon. 142.
Homo quidam. 150.
Mulier apud Pantimedem. 158.
Altera. *ibid.*

Dromades. 149.
Dealus vxor. 168.
Epicranis vxor. 144.
Mulier in Cyzico. 167.
Mulier quæ decumbebat in Mendaciûm. 158.
Mulier in Thaſo. 160.
Methon. 146.
Melidi. 151.
Nicodemus. 165.
Parius. 159.
Pericles. 162.
Philiſcus. 140.
Mulier moroſa. 166.
Mulier apud Teſemenũ. 157.
Mulier quæ decumbebat in lectore. 151.
Philini vxor. 144.
Philiſtes. 154.
Pithion. in Thaſo. 161.
Phreniticus. 162.
Pithyon. 152.
Qui in Dealui horto. 152.
Silenus. 140.
Virgo Lariſſa. 163.
Virgo in Abderis. 164.


Animalia regunturaut PAG. 14,15
ab anima,
à natura, quæ gignit, augget, nutrit, conseruat, cognit.
hac eadē monet in iudicijs aut
ordinatim, 15
acriter lente, 15, 16
κατ' ἐξοχὴν
κατ' ἀποδοσιν
criticè, 10
symptomatice, adpositores, ad anteriores, 11, 12
aut ob morbi vehementiam, aut ab iis quæ extra, 21, 22 aut ab iis quæ intra.
Iudicium aut
Præteritum ex 48
futurum, aut
Præteritu. præsentibus. natura plurimum potest. 28, 29
ex morbi morbus id cognoscitur ex 28. 29
Ex excrementorum ----- Ignotum Notum
symptomatibus 31
signis ----
Genere, magnitudine, tempore.
Pulsis, functiones naturæ, tempertes partium principalium. morbi specie, magnitudine, symptomatum multitudine, materia cruditate.
Medicus qui ægrum adseruant
morbi celelitas-- forma 22, 23, 24 acceßio
magnitudo causæ 24 Symptomatum
Corporis constitutio
Certa, incerta, dubia aperta, insignia, obscura. fida.
eiusdem speciei, generis neque eiusdem speciei, neque generis. 38. 39
Ordine, Quantitate, Qualitate.
Secundum naturam
Secundum quod conferunt. 23, 24
Secundum dignitatē facultatem
Communiter
Proprie.
ex morbi magnitudine, causis, 96 tempore acceßionu, morbi tēpore, ætate, 24, 25 corporis habitu, ab iis quæ prosunt & nocent, ab iis quæ exernuntur
32
36
37, 38.
Hæc
37, 38
Iudiciorum 49
Quatitate, Qualitate, 25
Modo, Tempore, Loco.
Iudicia differunt 24, 25
bona, mala, 43 maiora. minora. plura, digniora.
perfecta, imperfecta, cum signis, sine signis, fida. infida. tuta, periculosa, bona, mala, manifesta, obscura.
morbi forma, cauditas, causa veluti acriores. symptomatum inopia & paucitas, aegroti habitatio.

BONORVM SIGNORVM GRADVS.

Primus.	Secundus.	Tertius.	Quartus.
Bona. 57.	*Melius.* 55.	*Optima.* 53.	*Valde magni momenti.* 53.
Salutaria. 58.	*Securius.* 56.	*Placidiſſ.* 55.	
Superſtes. 59.	*Valde prodeſt.* 57.	*Securiſſ.* 56.	
		Securitatem. ib.	
Vtile. 59.		*Commodiſſ. ib.*	
Prodeſt. ib.			
Commoda. 60.			
Oportet. ib.			
Conducit. ib.			
Soluit. 62.			

MALORVM SIGNORVM GRADVS.

Primus.	Secundus.	Tertius.	Quartus.
Mala. 66.	*Peiora, ſeu deteriora.* 82.	*Peßima.* 83.	*Mortẽ proximam, & citam.* 97.
Magnũ malum. 75.	*Valde mala.* 83.	*Pernicioſa. ib.*	*Valde pernicioſa.* 98.
Abſurdum. ib.	*Magis periculoſa.* 83.	*Terribile.* 88.	*Terribilia maxime.* 99.
Maligna. 77.	*Minus pernicioſa.* 83.	*Mortifera.* 89.	*Maligniſſ.* 100.
Minus graue. 81.	*Non magnopere pernicioſa.* 82.	*Mors.* 93.	*Periculoſißima.* 99.
Prauum. 75.	*Non valde mortifera.* 84.	*Valde mortifera.* 96.	*Perniciosiſſ.* 99.
Praua admodũ. 77.		*Magis mortifera.* 97.	*Timor.* 100.
Periculoſa. 81.		*Magis terribilia.* 97.	*Deſperatus homo. ib.*
Minus periculoſa. ib.			
Non bonum. ib.			
Minus bona. ib.			
Damnare. ib.			
Minus ſecurũ. 82.			

MEDIA SIGNA. 103.

Inutilia, aut incommoda. 101.	*Suſpecta.* 101.	*Non malum.* 102.	*Morbus incoctus* 103.
Difficilia. ib.		*Difficile iudicium. ib.*	*Longitudo morbi. ib.*
		Morbus magnus, et paruus. 101.	

FINIS.

REI

REI MEDICÆ

STVDIO STIPENDIVM TERTIVM,

IOANNIS BAPTISTÆ

DONATII;

De signis morborum iudicialibus,

Liber I.



FRANCOFVRDI

Apud Ioannem Wechelum,

M D X C I.

IO. BAPTISTÆ DONATII DE SIGNIS MORBORVM IVDICIALIBVS LIBER I.

Futurorum cognitionem curatione anteponendam. CAP. I.

MVLTA quidem, ac præclara sunt, quæ docti viri in re medica excolenda litteris consignant; at nihil maius, aut honorificentius meo iudicio, quam cum ea tradere instituunt, quæ morborum Prognosticis, quæ in magna naturæ obscuritate semper latuerunt, lucem aliquam afferre conantur. etenim si perpendimus, quæ ab antiquissimis medicis de morborum curationibus acutissime scripta sunt, ea tanti a nobis facienda non esse facile intelligemus, quam hæc, quæ diuina præsagitione futura præsentire, ac prædicere docere enituntur: namque curationes propriæ medicorum non sunt, sed eorum partem sibi fortuna, partem excubitores, partem extranea quædam sibi vendicant; medico enim in curationibus satis est curam, consilium, vigilantiamq; præstare, futurorum cognitionem totam medici secum domo portare debent; neque enim, quæ extrinsecus obrepunt, cum hac commiscentur scientia, neque adhanc aut excubitores, aut fortuna admittuntur. Et si propter curationem res medica tantopere expetitur, magna, & clara apud omnes est; quid tandem rerum futurarum cognitione optabilius esse potest, quę quid spei, quid metus in morbis subsit, indicat, naturæ mirificam vim, munerumque eius functiones admirabi-

les demonſtrat, curationem ipſam, quæ vix dum inſtituta eſt, quaſi abſolutam multo ante prouidet? quod ſi curationem commendat ipſa ſanatio, vna certe hæc cognitio & iucundiſſima, & admirabilis videri debet, quæ in variis morborum mutationibus ancipitibus euentis, nec opinatis denique naturæ victoriis, quæ curationes neceſſario ſemper antecedunt, explicandis tota verſatur. eadem in rerum futurarum præſagitionibus talem medicum reddit, quales ſunt, qui circa illa verſantur, quæ ſub noſtros ſenſus cadunt: adeo enim futurorum certus vates, ac coniector fit, vt non argumentari, ſed oculis ipſis ea, quæ futura ſunt, cernere plane videatur. atque vt multi in omni memoria extiterint, qui de futurorum præſentionibus in re medica luculẽte tradiderint, Hippocrate, & Galeno exceptis, neminem in earum rerum explicatione ſolidam ſibi laudem comparaſſe videmus; multos enim ad Commentariolos conſcribendos in Hippocratis libros ſe contuliſſe cognouimus; plures ad deprauata quædam corrigenda, necnon de Græco in Latinum vertenda animum adieciſſe perſpicimus; nullus quod ſciam (tametſi haud perexigua omnes propoſita præmia haberent induſtriæ ſuæ) qui magnorum virorum exemplo nonnullum & ipſe ſtudium in Prognoſticis collocarit.

Librum hunc deſiderari in Galeni voluminibus, & quæ res eum ad ſcribendum impulerit.

CAP. II.

CVM autem multa, quæ ad hanc rei medicæ partem pertinerent, deſiderari omnes perſpicerent, aliquem futurum putabam, qui variam, multiplicémque doctrinam atque induſtriam ſuam ad ea quæ deſunt in prognoſticis reſtituenda conferret: nam multa inimica vetuſtas abſumpſit: ſed nullum profectò graui⁹ vulnus accepimus, quàm cùm libros Galeni De iudicialib. morborũ ſignis amiſimus. Ego verò indigniſſimè fero aurei

aurei illius libelli fructu diutius nos carere, qui ægros in noſtro dominatu, nos in naturæ eſſe docebat, quam qui à ſuis functionibus abducit, & interpellat, iudicia protinus diſſoluit ac corrumpit, ægros planè iugulat. Illius neglecta, & abiecta doctrina, medicorum curationes velut in tenebris futuræ ſunt. Cùm autem mea induſtria libri quarti De iudiciis paulò antè indicia quædam oſtenderim: mihi nunc committendum eſſe non arbitratus ſum, vt hunc librum præſertim tam multis iamdiu cupientibus ac petentibus diutius deberem. Et quamuis ſuperiori libro facilè contentus eſſe poſſem, in quo hæc ferè explicata videntur, tamen quoniam Galenus de ſignis, quæ iudicia præcurrunt, libellum quendam ſeparatim ſe ſcripſſe memoriæ mandauit, nos quoque quanta maximè poterimus cura, & diligentia de notis iudicialibus ſeparatim agere inſtituemus: librúmque illum temporum iniuria amiſſum, eámque doctrinam iam pridem ab omnibus penitus neglectam, nulli labori parcentes, Deo Opt. Max. auxilium ferente excitare conabimur.

Quæ ante cognoſci oporteat.
CAP. III.

ET quoniam multorum doctorum hominum iudicium me ſubiturum eſſe facilè intelligo, prædico moneóque, quòd qui aliquid in vſum ſuum ex hoc libello conuertere cupit, illum in Phyſicis aliquam operam poſuiſſe oportet: illúdque in primis exploratum habere eum decet, meliora multò eſſe illa, quæ à natura, quam quæ ab arte perficiuntur: præterea verò naturam propriis, definitis ordinatíſque motionibus ſi quid aliud ſemper vti, quod à nobis in libro quarto De iudiciis apertè admodum demonſtratum eſt: & nihil aliud eſſe naturam artis minime expertem, animalium conſeruatricem, morborum victricem, iudiciorum dominam, quàm quæ ſibi maximè

accommodata, & conuenientia sunt desiderare, conseruare, tueri. Ad summum, quod in naui gubernator, in curru auriga, in ciuitate lex, in exercitu imperator, hoc idem ferè in corporibus nostris est natura: quam tunc aliquid præstare dicimus, cùm symptomatum causſæ ex ægrotorum corpore oriuntur ac sumũtur: cum verò causæ extrinsecus obrepunt, naturæ opus ac munus minimè esse certum est: siue autem naturam, siue vires scripsero, idem te maximè intelligere semper velim. Accitus inter initia ad ægrotum mèdicus, cùm aliis atque aliis casuum generibus eum conflictari offenderit, (dolet enim aliquando caput, renes, præcordia intenta sunt, tussis eum malè habet, anhelitum vix recipit, cibos omnes respuit palatus, atque illos, in quibus indulget medicus, deuorare omnino non potest) non continuo aliquid de prædictione cogitare debet: etenim humores huc, atque illuc impelluntur à natura, quòd eam vellicent, ac malè habeant. Qua in re medicus se protinus sustinere debet, & expectare quo cuncta exitu concludantur: aliquam enim sedem tandem aliquando occupare solent humores, qui morbum concitant. Huiusce quasi statu constituto, quantum dein coniectando assequi possit, experiri debet medicus naturæ administer, qui ita curationem ad morbum diriget vt eum principio excitet atq; augeat: cùm enim morbum nactus est, eius causſam intuetur ac perpendit: quam dum primo quoque tempore reiicere conatur, illam continuò commouet, ac commutat: ea commotiuncula partium ægrotus multis, ac multis casuum generibus obiicitur, deinde morbus detegitur, ac quasi nouatur: deinde exasperatur, ac increscit: nouissimè curationi opportunior fit. Nemini dubium esse potest, affectuum quosdam solidas animantium partes occupare, qui & difficiliùs pelluntur, & ferè senescunt, quosdam vero humidas, quorum proprium est lon-

est longè, latéque vagari: humidæ igitur hæ particulæ tenuiores redditæ, aut veluti halitus digeruntur, aut per meatus, qui sub sensum cadunt, extruduntur, & aliquando à natura gubernatrice & regina concoctæ meliores, sæpe à febrili immutatæ deteriores euadunt, haud rarò bonis alimentis admixtæ meliores fiunt: nonnunquam à prauis alimentis confluentibus planè corrumpi obseruauimus. Illæ aut in venis concluse coërcentur, aut in interiorem aliquem locum inclinatæ inflammationē concitant. Doctissimos viros à calore febrili, totius corporis humores, & spiritus, commoueri, dissipari, vertiginem consequi, tenebras oculis effundi non monebo: quòd neminem omnino esse arbitror, qui hoc optimè per se non intelligat. Lucretius certe hoc significauit;

Quippe, vbi cui febris bili superante coorta est,
Aut alia ratione aliqua est vis excita morbi,
Perturbatur ibi totum iam corpus. ———

Quid verò naturæ laborioſius, molestius, grauiúsque febri potest interuenire? in qua, si quando medicamenta præbemus, nihil mirum, si mirificas humorum eruptiones aliquando notemus: cuncta enim in corpore feruidiora, atque commotiora sunt.

Natura in iudiciis aut ipsa se mouet, aut ab alio mouetur & signa quædam effert.

CAP. IV.

OMNIVM igitur naturæ motuum ille vtique optimus censendus est, in quo ipsa à seipsa mouetur: cum ab alio pellitur, tunc deterior meritò multo eius est motio: tunc enim incomposita sunt illius agitationes, & sæpenumero ob eorum celeritatem nobis sanè quamincognitæ. Quapropter Hippoc. in acutis morbis non omnino certas esse prænuntiationes rectè admodum censuit: ea verò non modò cùm sua sponte mouetur, materiámque arbitratu suo moderatur, ve-

rùm etiam cùm ab alio agitata & impulsa est, signis obiectis monere medicum censendum est quid euenturum sit, quæ ad diuinandum deinceps ab illo varia ac multiplici via notari videmus. Etenim cum natura quædam reprobare ac depellere conatur, tum apparere necesse est, quæ prænuncia iudiciorum esse meritò dicimus indicia; quæ non in principio, non in incremento, sed in morborum impetu adesse solent, vt alio in loco demonstrauimus. Atque cùm morbi omnes sine febre quoque futurarum rerum notas habeant sanè quamperspicuas, tum verò multò manifestiorà, & certiora consequuntur signa, vbi febris accessit: in qua cùm maius sit certamen morbi & naturæ, & maiores omnium rerum commutationes fiant, & quasi æstus incitentur, signa quoque ac indicia omnia apertiùs conspici, manifestiùs apparere, faciliùs obseruari à nobis necesse est.

Quid iudicium significet.

Cap. V.

Cvm igitur multa ac varia morborum sint genera, iudicii nomen, quod naturę in morbis motus quidam, & expellentis facultatis, vt quæ eam excruciat, extrudat, excitatio (vt ita dicam) & impulsio quædam est, ad eos tantummodo pertinere videtur, quos humor concitare solet. Iudicium verò, quam κρίσιν Græci nominant, plura significare apertum omnibus est: aliquando enim morborum τὴν λύσιν, id est, solutionem, significat: nonnunquam verò vehementem quandam naturæ impulsionem ad aliquid, quod eam malè habet, extrudendum: sub hac significatione cætera omnia colliguntur; cuncta enim iudicia ea amplectitur, partúsque etiam continet. Sæpe sumitur, præsertim apud Hippoc. pro magna in morbis mutatione raptim facta, cuius quædam ad salutem hominem perducunt, quædam illi exitio sunt. Præterea verò

verò in quibuſdam ægrotis meliores ſunt, in nonnullis autem peiores: quæ media ſunt inter illa, quæ naturæ opera, & quæ (vt ſcribunt) ſymptomaticè contingunt.

Iudicium exerceri vbi materia ſubeſt, & quo tempore iudicia exerceantur. CAP. VI.

HVMOR ille, qui morbum concitat, nunquam non crudior eſt, & eius qualitates protinus deprauatæ ac corruptæ: nam ſi concoqui poteſt, vbi perfecta & abſoluta concoctio eſt, protinus alet, ægrotuſque ex morbo in priſtinum valetudinis ſtatum continuò reſtituitur: ſi verò maturitatem tantummodo aſſequi poteſt, vbi maturationem perceperit, & qualitatum prauitas retuſa fuerit, continuò ſanitas ex morbo conſequitur. At quoniam humor hic quamuis perfectam maturitatem ceperit, omnino nutrire non poteſt, eum natura velut ſuperuacaneum protinus extrudere conatur. Quòd pedetentim & longiori temporis ſpatio, & maturetur, & extrudatur; maturitas non iudicium appellabitur, morbúmque ipſum maturitate, non iudicio ſolui dicendum erit. Hoc autem modo morbi illi potiſſimùm minuuntur, qui tardiores ſunt, & virtus imbecillior eſt: maturitatis verò ſigna apparent, necnon vrinæ toto morbi tempore craſſiores feruntur, aut in illis multa ſemper ſubſidere animaduertimus: in iudiciis raptim & confertim humorum expulſiones ſunt expectandæ. Ergo ſi à natura victrici humores ſuperuacanei magna quadam impulſione illico excutiendi ſint, maturitas ſemper antecedit, ſubſequitur ſecretio: natura enim quaſi animal ſentiens ſuis fungitur muneribus, ſegregatque ea, quæ ſecundùm naturam ſunt ab alienis, hoc eſt cruditate correptis, matura tantummodo extrudere conatur, cruda verò aut nunquam expellit, aut ſi ea exterminare

aggrediatur (etenim & copia, & mordens qualitas ante materiæ maturitatem naturam irritat ac vexat) negotii multum habet, eáque vel vix extrudit, vel magnæ quædam humorum eruptiones ſtatim conſequuntur, quorum dein curſum retinere non parui negotii, multi laboris eſt. Quamobrem optima iudicia in ipſo morbi impetu, vel paulò ante ipſum, maximis motibus ac mutationibus exercere ſolet, quo tantummodo tempore humores abſolutam maturitatem aſſequuntur, vt in primo de materiæ in morbis concoctione demonſtrauimus.

Quo potiſſimum tempore medicamenta in morbis acutis præſcribenda ſunt.
CAP. VII.

ERGO contra naturam planè aliquid committunt, quicunque alio tempore medicamentis purgationes faciunt medici naturæ motuum, ac mutationum planè ignari: Nam Hippocrates in præſcribendis medicamentis vt ad iudicia reſpiciamus auctor eſt, & Galenus eadem medicamenta vehementius corpora permouere, atque eadem pene frangere teſtatum reliquit. Artes idcirco requiſitæ ſunt, vt naturam adiuuent, tueantúrque, quod à natura datum eſt: quódve deſit acquirere conentur. At illi naturæ vires labefactant, humores crudos ac minimè ſegregatos mouere conantur, & denique naturam omnia pro ægrotorum ſalute molientem plane interturbant: quare cruditates, dolores, iactationes, vigiliæ, deliria, neruorum diſtentiones, ſingultus, atque alia periculoſa ſymptomata ſubſequuntur, quæ ægrotum cum peſte, ac pernicie ægrotare demonſtrant: III. vero, vel IV. die natura temere interpellanda non eſt, præſertim ſi maior morbi motus expectandus eſt: namque in vſu rei medicæ animaduerti in concitata natura, in morbi incurſu nunquam non intempeſtiue his diebus

diebus humores exagitari: in quibus quæ adesse video signa obseruo, & quæ vel ad perniciem, vel ad salutem sunt, noto, ac leniora quæque adhibeo medicamenta, & quò maximarum rerum momenta vertantur, minime ociosè perpendo; non enim in ipso doloris æstu remediis vtendum vulgo homines censent, sed cum modice dolor resedit, ac se paullulum quasi remittere cœpit; etenim ad extinguendas doloris reliquias monita, præceptaque sapientum recte adhibentur. Hæc eadem litteris quoque consignasse haud ignoro Hippocratem; III. enim, & IV. (inquit) die nulla vulnera sunt agitanda, (& vt paucis cuncta comprehendam) a scalpellis, aliisque etiam omnibus hisce diebus abstinendum, quibus vulnera irritari solent. Sæpe enim III. & IV. dies in plerisque vulneribus alienationes, & immutationes afferunt; atque in illis, quæ ad inflammationes, & sordes decurrunt, & quæcunque ad febres properant. quamobrem magni admodum momenti, si quod aliud hoc est præceptum. quod autem (obsecro) in re medica præceptum vtile reperitur non modo in vlceribus, verum etiam in multis aliis morborum generibus quod cum isto cognatione quadam coniunctum non reperiatur? non si quis ceteros morbos vlcera esse affirmarit, quæ res verisimilitudinem quandam sequitur; multis enim rationibus alii aliis naturali quadam cognatione iunguntur. præterea vero si ambulatio non sinit naturam quiescere, quæ occulto ac tacito quodam motu munere suo perpetuo fungi conatur, quid de medicamentis censendum est, quæ non modo naturam interturbãt, verum etiam, omnes eius conatus plane auertunt? omnibus autem ægritudinibus, quemadmodum & cunctis animantibus (vt ait Plato) certus quidam curriculus à natura datus est, cuius spacium medici si augere conantur, ex paruo ma-

gnum morbum efficiunt: contingit tamen nonnunquam, vt qui magno, ac difficili morbo laborent, vt in deterius ſæpe malum irruat, quod in illius curatione, maioris periculi metu propoſito difficile admodum ſit medico, quamuis prudenti, ita cuncta regere, ac moderari, vt ægrotus in eodem ſtatu permaneat, neque vllam aliquando ſubeat iacturam. Galenus, vt iudicia citius exerceãtur, optimum eſſe ratus eſt aliquando inter morborum initia medicamentis purgationes fieri: contingit enim, vt minore reddita materia, facilius multo natura ea, quæ reliqua ſunt maturare poſſit. Morborum autem tempora & circumſcripſerunt, & egregie ſemper medici obſeruauerunt: quatuor autem morborum tempora eſſe tradiderunt, principium, accretio, impetus, id eſt, ſtatus, & diminutio Hippoc. matura medicamentis deiectionem petentibus nos extrudere iuſſit, ideſt, poſt ipſum morbi impetum: adſunt autem eo tempore quædam ex eiuſdem auctoris ſententia maturitatis indicia: nulla enim eo tempore ægrotos anxietas vexat, nulla capitis grauitas, calor leniſſimus eſt, atque in ipſis acceſſionibus infractus: at ſi quid inter morborum initia, in quibus cruda omnia reperiuntur, mouendum videbitur, id velut in re difficili accuratius cuncta nobiſcum ipſos perpendere debere auctor eſt idem Hippoc. etenim ſi medicamentum ægroti in morbi principiis deuorabunt, vrina minime maturitatem aſſequetur, morbus diuturnior euadet, ſudores nunquam orientur, neque denique febris iudicium vnquam ſubibit. Præſtantes medici dum corpus febri pene exuritur, & cauſſæ, quę morbum efficiunt, eum ampliorem reddunt, ægritudini fere indulgere, & quaſi obſecundare ſolent, quo ad illius impetus ad ſummum peruenerit: neq; enim vllum ægroto vnquam aut comparãt, aut ſummittunt ſubſidium: at detecto, & conſiſtente iam morbo illico ad ar-

ad artem, id est, ad medicamenta decurrunt, quę ipsius (vt ita dicam) radices euellere possint. Ergo id non nisi raro faciendum est, etenim nõ sæpe humores turgent, id est, mouentur: mouentur autem à natura quod si turgeant excutiendi sunt: à medicamento humores, qui eam vexant, ac male habent, protinus propellendi sunt. Cunctis vero in morbis (quod nonnulli faciunt) materiæ partem semper adimere tutum non est: id enim aliquando ad infirmitatem naturam redigit, præsertim si antea imbecillior fuerit, & humores minime turgeant.

Vires aut opprimi, aut exhauriri.

CAP. VIII.

VIres imbecilliores sunt, aut quod oppressæ, aut quod exhaustæ sint: exhauriuntur vires ciborum inopia, morbi malignitate, animi perturbationibus, dolorum magnitudine, & diuturnitate, & deniq; immodicis euacuationibus opprimuntur à materię multitudine, ab instrumentorum affectibus, vt inflammationibus, scirrhis, tumoribus, abscessibus, & humoribus qui aliquo modo exputruerint. Imminutæ facultatis signum est, venarum pulsus paruus, languidus, creber: oppressę vero pulsus inæqualitatem quandam obtinet, & ordinis cum cæteras perturbationes, tum vehementiæ, & magnitudinis. Neque vero verendum est ne inter morbi initia vires soluantur, concidantque: falso sæpe de naturæ imbecillitate queruntur medici, quæ in principiis morborum opprimi quidem potest, at dissolui plane non potest, nisi si pestilens morbus sit.

Naturam aut ordinate, aut inordinate mouere: ac de iudiciis intempestiuis.

Cap. IX.

CVm igitur natura ordinatim in ægritudinibus opus ſuum facit, neque à ſuo abducitur munere, humorum qui ægritudines excitant maturitas in fine vigoris, aut potius impetus ſemper perfecta eſt: morbuſque ſua cuncta habet tempora, atque in ſtatu iudicia conſequuntur. Ita enim natura comparatum eſt, vt virtus expultrix munus ſuum efficere, ac perficere moliatur, poſtea quam alteratrix ſuum pulcerrime expleuerit eaque iudicia tempeſtiua nominantur. Quod ſi morborum principia longiora erunt, morbi quoq; ſtatus erit paulo productior: ſi maturitas moram non faciet, morbus plane breuis erit: tempora enim morborum quadam inter ſe proportione diſtinguuntur. Quę vero antea quam morbus conſiſtat eduntur iudicia, ea ab Hippoc. intempeſtiua appellantur: in quibus duo concurrant neceſſe eſt, alterum vt acrioribus ſtimulis natura agitata ſit: alterum vero, vt eadem in eodem morbo plurimum poſſit, morbus vero ſua tunc tempora protinus amiſit. Plena igitur certaminis iudicia exercentur, & eo minus commoda illa accidunt, quo acrior naturæ ſtimulus extiterit, nec non materia longe abſit à maturitate. Materia vero aut qualitate, aut quantitate, aut vtraque ratione naturam male habere ſolet: quantitas venas & arterias implet, naturam onere premit, qualitas vero eandem pungit, ac ſtimulat, nec ſinit vnquam quieſcere. ergo à morborum cauſſis naturæ motus atque conatus excitantur. Hæc iudicia, quæ nunquam non imperfecta ſunt, nonnunquam recidiuas parere ſolent, nonnunquam perniciem ægrotantibus afferunt: in illis enim non modo quæ aliena ſunt reprobantur, verum etiam quæ maxime alere poſſunt aliquando extruduntur. Atque hi quoque humorum motus, ex arte impellendi aliquando ſunt: etenim haud imbecillioris, & cum morbo pugnantis naturæ conatus ſunt, cuius impetus tantum

abeſt

abeſt vt reprimi, vt à medico adiuuari quoq; debeant, quod vel à multitudine, vel à praua humorum qualitate vexetur: quapropter nulla expectata maturitate eam extrudere conabimur. Quod ſi virium infirmitas ſubſit, non item, namque cum virium imbecillitate cruditas quoque conſequitur: & tanto minus conatus hi recipiendi, & adiuuandi ſunt, ſi cum cruditate humorum etiam copia coniuncta ſit. In his vero iudiciis, in quibus naturæ plurimum roboris, firmitatiſq; virium fuiſſe animaduerti, de nullius ægroti ſalute actum vnquam memini: neque enim ægroti ex morbo euadere poſſunt, niſi ſi natura victoria potita ſit: neque idem ęgrotus extingui, niſi ſi morbus ex natura victoriam tulerit. In incremento vero morbi, intempeſtiua iudicia perſæpe accidere ſolent, raro inter initia, niſi morbus valde pernicioſus ſit: naturam enim peſtiferos nactam eſſe aculeos indicat, & eiuſdem ſummã imbecillitatem, aut materiæ copiam. Morborum vero quidam breuiores ſunt, quidam vero longiores: atque horum nonnulli ad ſanitatem ægrotos perducunt, nonnulli vero illis perniciem afferunt.

Morborum acutorum qui ad ſanitatem perducantur, & mortiferorum indicia.

Cap. X.

MOrborum acutorum, & qui ad ſanitatem perducunt, eadem ac ſanitatis ſigna ſunt: his enim qui breui ex morbo euaſuri ſunt, cuncta maxime extant indicia: namque minus doloribus conflictantur, noctu dormiunt, facile ſpirant, & alia ſigna, quæ ſecuritatem pollicentur, conueniunt. De his autem, quæ ægrotos letho dant, ac dedicant, dies vnus, ac nox vna decernit: illi enim in diras ac peſtiferas notas incurrũt: quaſi enim medicamentum ſumpſerint, ſæpe euomũt, cita aluus eſt, anxietas ſubeſt, difficulter ſpirant, & alia

pernicioſa notantur ſigna, quæ ſi die vna, ac nocte extenuantur, ac deniq; euaneſcunt, minime terrere nos debent: ſi enim diutius perdurarint mortifera ſunt. Contrarii igitur ſunt morbi qui cito iudicia ſubeunt, ſimiles vero qui iudicia differunt: in morbis autem aliquando affectus, interdum ſymptomata augentur, ſæpe vtraque creſcunt.

Quando ſymptomata magis affligunt, & quando minus vrgent.

Cap. XI.

CVm aliqua pars inflammatione laborat, puſque conficitur, dolores & febres, id eſt, ſymptomata quidem magis affligunt, at affectus leuior redditur: ſed in morbis peſtiferis, & malignis ſymptomata quidem imminuuntur, quod natura morbum aggredi minime audeat, at affectus ingraueſcit. In illis morbis in quibus vel plus partim iam confectum eſt, partim vero cõficitur, vel materia heterogenea eſt, vel eius partem maturitatem quidem percipit, partem vero eam minime aſſequuta eſt, vel denique in ſede affecta concocta eſt, in toto vero corpore nondum ſatis maturuerit, & ſymptomata & affectus amplificantur & augentur.

Iudiciorum raptim factorum indicia.

Cap. XII.

QVoniam vero nos de iudicialibus ſignis acturi ſumus, & quale, & quando futurum iudicium ſit diſſerendum. Aliquantulum de ſpacio deflectimus: at fieri plane non poteſt, vt cum aliqua ſingulari in re verſetur oratio noſtra, aliquantumque progreſſi in ea fuerimus, extra cancellos vel inuiti protinus non egrediamur, quos vel rei natura, vel nobis ipſi circundederimus. Cum igitur raptim, turbateque cuncta in iudiciis agantur,

agantur, & morbi ex humoribus concitentur, qui vel quantitate, vel qualitate, vel vtraque ratione virtutem expultricem vehementius ſtimulant: quoniam ab ea virtute ſubito expelluntur, ea à viribus firmior eſſe debet, nec non aditus omnes pateant neceſſe eſt, vt commode humores illi pertranſire poſſint. Futuram verò naturæ impulſionem ex morbi magnitudine, motu, ex eiuſdem forma facile coniicere poſſumus: etenim in febribus ardentibus quæ magni morbi ſunt, citoque mouentur, iudicia fere ſemper expectanda ſunt. Item humores acriores, putreſcentes, maligni naturam irritant. Item ſi caput, ventriculum, iecur aut venas, aut denique partes aliquas robuſtiores occuparint, ex affecto loco iudicia ſperare poſſumus. Præterea vero naturæ vires firmiores, corporis raritas (etenim qui corporis denſitate præditi ſunt, horum morbi diuturniores ſunt) vomitus, deiectio, vrinarum profuſio, præſertim ſi quotidiana ac conſueta ſunt, ſtudia, victus ratio, temperamentum calidius, iudicium portendunt. Iam vero ea quæ iuuant, & nocent, iudiciorum notæ ſunt: etenim ſi a medicis adhibeantur ea, quæ maturitatem humorum perficere poſſunt, eaque (vt ſæpe fit) minime ſequatur, & humorum qualitates minime ratundantur, ea iudicium protinus ſubſequuturum prænunciant: necnon & dies iudicia prægradientes aperta illorum dant iudicia. Qua in re maxime obſeruandum in acutis morbis, æſtate in iuuenibus partibus dextris, aut ſuperioribus affectis, impares dies ſæpius iudicia exercere: in diutinis vero ægritudinibus hyeme in ſenibus ſiniſtris partibus affectis, iiſque inferioribus, pares dies iudicia nõ raro afferunt, quod ab Hippocrate notatum eſt. Hæc diebus imparibus ſurſum fiunt, ſi & circuitus, & conſtitutio ex ipſis acceſſionibus talis euadat: plurima autem paribus diebus fiunt deorſum.

Quæ consequuntur iudicia. CAP. XIII.

POstremo quæ consequuntur, & maximas motiones ac perturbationes, quæ παραχαὶ κρίσιμαὶ appellantur, ostendunt, antecedunt vero humorũ eruptiones, iudicia præmonstrant, præsertim si prope morbi impetum consequantur: namque si inter morbi initia accedant, non iudicium, sed vel insaniam portendunt, vel periculum haud vulgare imminere significant, vt vrinæ vel rufæ, vel rubræ, pulsus maximi, altissimique nec non vehementes, iactatio, colli, capitisque dolor, labri inferioris tremor, difficultas respirandi, vigiliæ, somnus, insania, præcordiorum contentiones, tenebræ, oculorum distortiones, lacrymæ, facies, & oculi rubei, nausea, eiulatus, incendium, nox deniq; quæ antecedit perturbata: significant enim naturam cum morbo prœlio decertare. Atque hæc tantummodo signa appellantur, quæ hieme, temperamento ægroti frigidiori & humidiori, ętate senili, loco frigido & humido cunctari: æstate, temperamento ægroti calidiori & sicciori, ætate vigente, loco calido & sicco longius minime duci nouum non est.

De signis iudicialibus quibusdam partibus primariis ægritudine affectis.

CAP. XIIII.

HÆc signa in morbis semper non conueniunt: non enim cunctis in morbis omnes corporis particulæ pariter afficiuntur, sed colli, & capitis dolorem, vigilias, somnum, temporũ grauitatem, oculorum distortiones, lacrymas, tenebras, insaniam, labri inferioris tremorem, pręcordiorum contentiones magis notamus in iis morbis, qui superiores partes occupãt. At vero cordis dolorem, nauseam, iactationem, sitim, clamorem, cum ventriculus male nos habet, consequi animaduertimus. Præcordiorum dolor, ac contentio, iactatio,

iactatio, vrinæ rubræ obseruantur, cum morbus iecoris anfractus corripuerit: nausea vero & vomitus præsertim æruginosi cum eiusdem flexus obsederit. Maxillæ rubræ sunt, & difficulter spirant ægri, siti mirifice affliguntur, cum pulmo inflammatus est.

Quædam non modo signa, verum etiam causſas iudiciorum esse. CAP. XV.

QVædam vero non modo signa, verum etiam iudiciorum causſæ sunt, vt vomitus, alui profusio, vrinarum copia, sudores, sanguinis eruptiones, parotides. Hę vero humorum in iudiciis profusiones, exiguę esse non possunt: morbum enim protinus tollere debent ac si accedant, morbumque non abstergant, pessimæ sunt, atq; adeo malignæ: significant enim materiæ copiam à natura diutius ferri non posse propter acrimoniam, aut potius eandem conata perficere non valere.

Signa iudiciorum in diebus quibusdam afferri debere. CAP. XVI.

SIgna vero ac casus, qui iudicium exercere debent, in diebus, qui iudicia afferre solent apparere oportet: etenim sudores si incœperint III. die, aut y. VII. IX. XIIII. XVII. XX. XXVII. XXXIIII. boni: hi enim sudores morbos plane iudicant, at in ceteris naturę effusionibus in iis, qui interiacent, diebus cum accidunt, non natura, sed morbus iudicium exercet. Incipientis igitur morbi indicia, signa illius prognostica sunt: & ægritudinis prognostica signa propriæ notæ sunt iam facti morbi. Proprias appello, quæ solos illos morbos perpetuo cõsequuntur. Cum inseparabilibus vero signis eiusdē generis, vel speciei, indicia coniungi debēt, vt in quarto de iudiciis declarauimus: etenim cum vnumquodque genus speciei familiare, coniunctumq; sit, ad singularum specierum præcognitionem genera maxime conferri verisimile est.

Iudicia in acceſſionibus exerceri.

Cap. XVII.

IVdicia vero in acceſſionibus potiſſimum exercentur: etenim humores in illis magnopere mouentur, ac veluti exardeſcunt; necnon natura tunc ad eos propulſandos concitatur, quod illi vel quantitate, vel qualitate eam male habeant, & quod tunc cum diſiuncti, fuſique maxime ſint, nullo negocio extrudantur, & poſt ipſum acceſſionis impetum, nõnunquam in ipſo impetu. Duæ vero pares acceſſiones morbi totius impetum plane demonſtrare manifeſtum eſt: in acutis morbis nunquam vidi tribus acceſſionibus morbi impetum non circumſcribi.

Iudicia quo pacto conſequantur.

Cap. XVIII.

IVdicia conſequuntur aut ſanguinis profluuio, aut ſudoribus, aut vomitibus, aut alui ſordibus, aut hæmorrhoidibus, aut menſtruis. Quoniam vero viæ omnes ac meatus, qui natura bene cogniti, nobis ſæpe minime noti ſunt, naturæ motus cum vel ſponte ſua, vel alieno impulſu mouentur, minime aliquando percipimus. Fiunt autem motus illi celerrime.

Acutorum morborum incertas prænotiones.

Cap. XIX.

SIgna vix nonnunquam notamus, cum materiam iampridem partem aliquam occupaſſe animaduertimus. Pleureſi vix aliquis correptus, ad pulmonem ſubito materia expellitur. Plurimos vidi angina correptos, quæ cum lenior in dies fieri videretur, ad pulmonem tranſiuit. Peripneumonia pernicioſa aliquis occupatus eſt, repente excitato in cruribus abſceſſu morbus depellitur. Quemadmodum dum pugiles peritiores mul-

res multis continenter illatis, acceptisque vulneribus, proposita corona ex arte, fortissimeque pugnant, fieri non potest vt nedum spectatores, sed ne ii quidem, qui certant, de singulis eorum motibus ac ictibus recte iudicent, rationemq; reddant; sed sat est, si pugnantium virorum fortitudinem, vsum, animi studium ac alacritatem, & totius deniq; certaminis acrem ac vehementem incitationem animaduertant; ita & in graui naturæ, morbiq; pugna si medici cuncta cognoscere, perspicereq; non possunt, nemini mirum videri sane debet. Recte igitur acutorum morborum incertas prædictiones esse tradidit Hippoc. qui longo vsu peritus, ac perdoctus probe norat, materiæ, quæ morbos excitat, volubilitatem, inconstantiã. Humores acriores, marcescentes, malignos naturã quidem lacessere solere, multo ante admonuimus. At mature impelluntur illi, qui natura apti sunt vt facile propellantur, qui nullo negocio calidiores euadunt, qui maxime feruere solẽt, & qui deniq; aut in locis calidioribus & propensis exputrescunt, aut in iis qui nõ longe absunt à corde marcescunt. Ego vero animaduerti sane sæpe bilem celeriorem habere solere impulsionem, rariorem pituitã, nisi si forte bile non careat: quam imprudenter à medico aliquando excussam obseruaui in adolescente pituita maxime referto, & natura, & victus ratione, & studiis. is haud ita feruenti febre correptus, cassia deuorata, postridie in veternum incidit. Subitarũ autem naturæ motionũ indicia iam satis perscripta sunt, modo quicquid in morbis accidit perpendamus, nihil in postremis habeamus, nihil contemnamus: varii enim sunt semper extimescendi casus in morbis: simul ac aliquid obtigit, tum maxime meditari vnumquemq; secum oportet, quid potissimum in illis ægritudinibus euenire possit: non enim cuncta semper morborum cõueniunt symptomata, neq; infinitas expectare oportet signorum coaceruationes: vnum aut alterum ex

propriis ac inseparabilib. signis, si superuenerit, morbum nasci ac iam iam instare putato. Dolet iecur, contentus est: accuratius cogitandum est, quibus tunc expositus casibus sit æger, nihil in minimis ponendũ. Incipientis ægritudinis prognostica signa, propriæ notæ sunt iam factæ ægritudinis. Hæc vero ille nullo negocio nouerit, qui in libris De locis interioribus ægritudine affectis probe exercitatus sit. Egregie igitur Erasistratus. Operæprecium est, vt is qui recte atq; ordine curationem exequi studet, diligenter in re medica exerceatur, neq; quicquam, quod morbo superueniat, cõtemnat, sed accurate cuncta perpendat: nec oscitanter in qua potissimum affectione excitentur, cõsideret.

Humores in iudiciis vel κατ' ἔκκρισιν, *vel* κῦ μετάστασιν, *&* κατ' ἕξιν *iudicia præstabiliora.*

CAP. XX.

HVmores vero in iudiciis vel è corpore omnino extruduntur, vel loco mouentur, & alia in parte considerent, quæ vel primaria est, vel nullam habet dignitatem. Illud κατ' ἔκκρισιν, hoc κῦ μετάστασιν, hoc est, per trãslationem, & mutationem humorũ à Græcis appellantur. Sunt vero eius quæ κατ' ἔκκρισιν, dicitur tot species, quot sunt humorum eruptionis genera. Emitti vero humores solent per aluum, per vrinas, vomitum, sputum, hæmorrhoides, sudorem, & sanguinis è naribus profluuio, quod proprie Græci αἱμορραγίαν appellant, aliquãdo extruduntur. Neq; vero hæ omnes emissiones pariter bonæ sunt: nam melior est, quæ κατ' ἔκκρισιν fit, quam quæ κῦ μετάστασιν. Hæc enim plerumque imperfecta sunt, & morbũ minime abstergunt. Præterea vero humorum emissiones commodiores sunt, quæ per aluum infimam fiunt, quã quę per superiorem: deinde potior est ea humorum ἀppulsio, in qua nihil exterminatur, nisi humor, qui morbum concitat, quam illa in qua eiiciuntur ea, quæ protinus alere possunt.

Nec

Nec non præstabilior est ea in qua κατ' ἴξιν (vt ait Hippoc.) excutiuntur humores, quam ea, in qua minime directo feruntur humores. Postremo illa, quam facile ferunt ægroti, & maturitas antecedit, & in die, quæ iudicia afferre soleat, contingat.

Qua ratione profusionum modi cognoscantur.

CAP. XXI.

QVa autem ratione huiuscemodi humorũ eiectiones prænoscãtur, tametsi nos in quarto de iudiciis, & Galenus multis in locis aperte admodum docuerit; tamen ne quid in hac tractatione prętera desiderari possit, pauca quædã de via, ac ratione profusionem humorũ prænunciandi generaliter differere proposuimus. Alui profusionem, sudorem, rigorem, vrinas, nullo negocio coniicies, si omnib. expositis signis, & cæteris infirmatis vnum necessario confirmetur: etenim si neq; sanguinis profluuii, neq; sudoris, neque menstruorum, neq; vrinarum signũ aliquod antea adfuisse probaris, aluus protinus soluetur. Profluuii autẽ sanguinis è naribus propria quędã signa sunt, quæ alibi diligenter prosecuti sumus. Abscessum si speraueris, humorum perpende (vt ita dicam) inclinationem, ad quam scilicet partem humorum fiat cõcursatio: in imbecilliori vero parte cõcursus fieri solere nouum non est. Quæ quo pacto cognoscatur, hoc in loco tradere minime conabimur, ne cuncta vno ac minime necessario in loco temere inculcare velle videamur; abscessus vero vel exteriora, vel interiora occupare solere sæpe obseruauimus. Principio igitur vniuscuiusq; partis natura diligenter perpendenda, deinde caussę, & affectus omnes corporis scrutãdi, postremo symptomatũ differentiæ accurate notandæ sunt: in cõmixtis enim materiis ἀνωμάλως, inconstantia, & turbida iudicia consequuntur, atq; hoc enim doloris genus hasce potissimum ægritudines portendit, & hanc partem affectam

præcinit,aut huiuſmodi calamitatem huic cauſſę acceptam referre debemus. Idem de tuſſi,& nonnullis alijs nullo negocio differere poſſumus. At hac in re potiſſimum ſymptomatũ vires reſpiciendæ ſunt: vniuſcuiuſque enim partis, & humorũ eruptionis propria ſigna & ſymptomata ſunt, vt vomitus, ſanguinis profluuii, alui profuſionis,conuulſionis,rigoris,delirii inſignitæ quædam notæ obſeruãtur. Symptomatum vero quædam eiuſdem ſpeciei, quædam eiuſdem generis ſunt. Eiuſdem autem ſpeciei ſymptomata perpetuo in prognoſticis vſurpare,cogere,& coaceruare debemus, vt alio in loco vberius ac fuſius diſputauimus.

Quæ in morbis animaduertenda, vt iudicia quam aptiſſima notare poſſimus.

Cap. XXII.

ERgo in vnoquoque morbo diligenter perpendendum,qualis humor eũ excitet,quo vergat, & quod cuiuſq; humoris naturæ aptum, conuenienſque iudicium ſit. Etenim humoribus feruentibus tempeſtate, regione, & temperamento calidiori, vel κατ' ὀκτροὼ iudicia maxime fiunt,vel omnino natura propter aëris ambientis caliditatem magis ad ſuperiora appellit humores: humoribus vero frigidioribus hieme, temperamento frigidiori,abſceſſus maxime cõcitantur. Perpendendæ præterea naturæ vires : nam ſi illæ imbecilliores adeo ſunt,vt concoctionem minime perficere poſſint,peſſima conſequuntur ſymptomata, dolores, animi deliquia,deliria,recidiuæ. Eadem etiam obſeruauimus,cum adeo magna eſt humorum copia,vt ſpiritu,& calore eam vincere minime poſſit natura. Poſtremo conſiderandum,num ea in iudiciis à natura extrudantur,quæ qualitati,quantitatiq; humorum morbum excitantium proportione reſpondeãt: etenim ſi talia extrudantur qualia maxime debent, eorum profuſio magnopere prodeſſe ſolet,& ægroti ea trãquille, placideq;

placideq; ferre ſolent. Illud minime prætereundum, q̃ longius extracto morbo, apparentibuſq; maturitatis ſignis deteriores ſæpe ſubſequi ſolent excretiones natura nimirum humores, qui morbū excitarunt, extrudente. Hoc fallit doctos aliquando etiam medicos, quos variæ humorū eruptiones illico excitāt, terrent, & aliter morbum, atq; eſt, protinus accipiunt. Ab huiuſcemodi ego humorum effuſionibus, præſertim cōcoctionis ſignis antecedentibus, morbo diuturniori ægrotum nunquam non ſalutem accepiſſe obſeruaui. Optima igitur iudicia in ipſo morbi impetu exercentur: in incremento vero, præſertim ſi ſalus explorata ſit, vel imperfecta, vel minime ſecura iudicia ſubſequuntur. In peſſimis iudiciis inter ipſa morborum initia, ægroto exitium imminebit propter materię abundantiā, & copiam: in incremento, propter imbecillitatem naturæ: in ipſo impetu, propter euentuum ſymptomatumq; tum magnitudinem, tum acerbitatem.

Iudicia exerceri cum morbus & natura à viribus validiores ſint. CAP. XXIII.

CÆterum niſi ſi natura, aut morbus egregie validi ſint, prœlio nunquam decertant. Huiuſce prœlii contentio non incidit inter duos, qui à virib. minime firmiores ſint: multo minus inter eos, quorum alter egregie validus ſit, alter vero plane elangueſcat. Si igitur inter initia morbi naturæ vires non ſuppetant, iudicium nullum conſequetur: quod ſi virtute pugnandi pares ſint in incremento, vel in ipſo morbi impetu, iudicium exercetur: tunc enim alter alterum inſequitur, & premere ac ſupprimere conatur. Quo tamen in certamine excellentiſſimam interdum medicorum virtutem eſſe ſolere nemo neſcit: optimeque tunc de natura omnino merentur nonnulli, cum in ancipiti pugna auxilia quædam naturæ opportune ſubmittunt, & medicamenta, quaſi cohortes,

& legiones quasdam illi ipso in tempore adducunt. Quod si nautæ turpe est, atq; adeo periculosum, cum à magna, ac turbulenta tempestate premitur,

Præsentemq; viris intentant omnia mortem,

gubernacula abiicere, spem salutis amittere, nihil gerere, nihil tractare; turpissimum profecto, atque adeo nefarium est medico, cuius fidei commissus ægrotus est, periclitantem deserere, nihil præscribere, nihil præbere, nihil adhibere, nihil curare.

Iudiciorum, quæ optima sunt, signa sunt illustriora, & quæ ἄσημα sunt iudicata.

Cap. XXIIII.

DE optimis iudiciis satis callidi, satisque prudentes sumus: signa enim continuo adsunt, quæ solent esse iudiciorum certa, aperta, insignia, & fida. Cæterum quę non optima sunt, obscuras sane habent significationes, coniecturaq; tantummodo ea assequimur, quæ media esse dicitur inter omniũ rerum ignorationem, & certam scientiam, præsertim vero cum fuerint iudicia ἄσημα: ita enim appellare ea solet Galenus quæ à nullis prænunciis iudiciorum diebus præmonstrata sunt, quæque violenta sunt, in quibus scilicet morbus plurimum potest. Illa igitur tametsi inter initia prædicere difficillimum sit, paulo tamen post præsentias, ac prædicas necesse est, si minime oscitanter artem ipsam exerceas: medicus enim nihil intentus sæpe offendat necesse est. Quamobrem illud maxime spectandum, conandumque, vt artem diligentissime exerceamus, motum naturæ accurate spectemus: fieri enim nõ potest, vt in maxima morbi, & naturæ pugna cum alter alterum vrget, stimulat, vexat, nõ subitus aliquãdo prę-ter rationem oriatur rerum motus, conuersio, ac perturbatio. Illud certissimum est, quod in iudiciis noua quædam, inopinata, ac inaudita semper accidunt: vel enim anhelant ægroti, vel delirant, vel auribus capti sunt,

sunt,insolens adest cibi fastidium,sitis vrget,lingua arida est,& cætera,quæ antea à nobis diligenter examinata fuere,consequuntur. Vnde illa Hippocr. cum iudicium in summa expectatione est, nox, quæ accessionem antecedit, sane quam molesta esse solet. melius autē est,vt interdiu,quam noctu iudicia edantur;namque interdiu luce fruitur, ægrotus,& maior rerum superuacanearum effusio consequitur; adsunt amici,affines, parentum conspectus eum recreat; & facilius multo ferunt iudicia. melius est etiam vt Æstate,quam Hieme exerceantur; namque caliditas humores attenuat,ac digerit,frigiditas vero eosdem cogit,&densat.

In optimis iudiciis plus natura potest quam morbus: & de naturæ & morbi motionibus.

Cap. XXV.

IN optimis iudiciis magis agit natura,quam morbus, in pessimo plus morbus,quam natura. Naturæ motiones sæpe nobis notæ sunt,quippe quæ materiā concoquat, attenuet,incidat, ac deniq; si quid alibile est, qualis pituita quædam, & sanguis est,eo corpus alat, vtiliter ac salutariter. At morbi functiones incertę,fallaces,fraudulentæ deniq; plerumq; sunt, quippe quæ perturbationem afferāt, & morbum aut mortiferum, aut certe difficilem reddant. Hæ igitur inordinatæ sunt,illæ vero ordine nituntur; hæ imperfectæ, & infidæ, illæ vero perfectæ, & absolutæ: cum enim hæc præter naturā eueniant,variæ, ac dissimiles sunt, multipliciq; in errore eas versari necesse est: illæ vero cum secundum naturam sint,sibi ipsi similes semper erunt, & veluti regulæ quædam,& mensuræ ceterarum merito dicentur.

Quid requiratur in iudiciis; & morborum quidam inter initia vigent,in iudiciis elucent: quidam autem leuius incipiunt. & in iudiciis cuncta leniora.

Cap. XXVI.

IN iudiciis igitur hoc principio poſtulatur vt natura quotidianis prœliis cum morbo contendat, morbuſque tantum abeſt vt prœlio diffugiat, vt amplius eam laceſſat: deinde vt tanto ſtudio vterque impellatur ad dimicandum, vt tantulo ſpacio interiecto fructum victoriæ aut hic, aut illa percipiat: non enim pugna diuturnior eſſe debet: deinde vt tota materia, aut quamplurima ad extrema corporis depellatur: poſtremo vt humorum eruptio, vel effuſio ſenſibus ipſis percipiatur, & manifeſte etiam oculis ipſis cernatur. Medicus vero hæc animo agitare debet, quo progeſſus ſit, quid egerit, quid ex arte omiſerit. Et quoniam materia, quæ morbos excitat, aut tenuior eſt, aut craſſior, aut inter has interiecta, illa morbos excitat acutiſſimos, qui inter initia acerbiſſimi videntur, & cum properant ad iudicium leniuntur, aut inter initia vigent, & florent maxime, infeſtantque grauius, in iudicio autem cuncta elucent. Hæc vero tardiores, qui lenius incipiunt, & vbi paulatim increuerint, in iudicio cuncta imbecilliora videntur. Mediam vero materiam non perpetuo commutat natura, neq; ſemper prœlio cum morbo contendit, vſque eo dum de ea victoria potiatur, quod maxime euenire videmus in acutis morbis; ſed nulla non die iudiciũ exercet, verum minime abſolutum ac perfectum conſequitur: natura enim labore aliquando confecta quieſcit, poſt iterum deſcendit in certamen ac dimicationem. Iudicium autem in hiſce vel xxx. vel xl. protinus exercetur, in illis vero ad ſummum xx. qui terminus morborum eſt acutorum optime conſtitutus.

Deo Vni, & Trino ſempiterna
Laus, & Gloria.

REI MEDICÆ

STVDIO STIPENDIVM QVARTVM,

IOANNIS BAPTISTÆ

DONATII;

Τῶν Ἐπιδημίων, *siue Diuinationum*

Liber I.



FRANCOFVRDI

Apud Ioannem Wechelum,

MDXCI.

IO. BAPTISTÆ DONATII

Περὶ Ἐπιδημιῶν, SIVE DIVINATIONVM LIBER I.

Ad Leonardum Turrium amicum optimum.

CVM Pichotii responsum legissem, Leonarde Turri amantissime; meque quale illud esset, vehementer rogares, tute testis es, quæ mea fuerit ea de re taciturnitas: non quod mihi dubium esset, quid de illo protinus sentire deberem; sed quod durum admodum mihi videbatur ea litteris mandare, quæ in doctorum atque prudentium hominum reprehensionem facile incidere poterant. nam cum ego ita in hac vrbe versor, vt propediem mihi discedendum sit, verebar, ne parum prudens haberer, si ea quæ ad me nihil fere attinerent, curarem; & maleuolus, si quid hac de re litteris consignare aggrederer, quasi aliena reprehendere vellem, existimarer. verum cum tuis commodis me seruire velle diceres, studio tuo præsertim optimo protinus obsequi decreui. quare explicabo breuiter, quales mihi videantur morbi illi, quibus nunc homines passim corripiuntur; atque ex artis præceptis, quidnam hoc anno mali impendere nobis videatur, præmonstrabo; ac denique qua ratione id si postea inciderit (quod Deus omen auertat) præcauendum maxime sit, demonstrabo. nam cum medicum ex sententia Hippocratis III. Prognostic. XXXIIX. morbos, qui vulgo mortales occupant, illico considerare, ac anni tempestates minime ignora-

re oporteat, tum vero illos eodem auctore libro De aëre, aquis, & locis multo ante præsentire, ac prædicere debet. At Pichotius doctissimus vir vrgentium tantummodo morborum causſas explicare conatus est, vel quod nihil de futuris vnquam quæsitum ab eo sit, vel quod nihil mali posthac imminere suis ciuibus posse putaret; nos autem præsentium, & futurarum ægritudinum causſas persequi in animo habemus; etenim tempestatum iniuria præcedētibus maior morborum timor subesse videtur. Nam cum Burdegala paluſtri in loco posita sit, maximeque occidentem solem, & Hiſpanias spectet, ventis vero perfletur Fauoniis, & Euris, aliqua etiam ex parte septentrionalibus propter vicorum positionem, Garumnam flumen attingat, terra sit concaua, aquosa, homines ocio dediti, in bibendo, comedendoque minime sibi temperantes; Anni vero tempestates huiusce modi præcesserint. Autumno pluuiæ multæ, largæ, Auſtri, pauci septentrionales venti perflarunt. Hieme niues largæ, multæ, venti septentrionales, squalores, qui vsque ad veris initia pedurarunt, quod deinde pluuias, & Auſtros exhibuit leniores, dies nebulosi quamplurimi. Si Æstas calores, pluuiasque multas, ac largas exhibuerit, quid futurum speramus nisi pestem? quatuor autem Anni tempora perpendo, quoniam Hippocrates in libris De morbis vulgaribus tot fere semper diligētissime obseruasse cognoui. Et quamuis haud sim nescius ex vno, aut altero Anni tempore aliquid optime præsagiri posse, idemque Hippocratem fecisse cum in suis sententiis libro III. tum vero in II. De morbis popularib. segmento primo; nemo tamen certius de morbis futuris coniicere nos posse negabit, si quatuor tempora, idest annum integrum notemus, ac animaduertamus. Sed fac esse, minime obscure etiam ex duorum, aut trium temporum obseruatione futura nos prædicere posse; cum sequentibus temporibus haud vulgaris

vulgaris immineat calamitas, certe Æstatis notatio prætermittenda non est. Cum enim Ver fere totum calidiori, & humidiori temperamento præditum esse videamus, si similis Æstas consequatur, pestilentem Annum habebimus. etenim ex Galeni sententia I. De Temperamentis cap. IV. Si duo, aut tria anni tempora calidiora, & humidiora reddita fuerint, grauior exoriatur pestilentia, necesse est. ad huiuscemodi Anni tempestates accedet vrbis huius positio, in qua sæpe morbi excitari solent, qui ex putredine gignuntur; mala victus ratio, postremo quamplurimi humores superuacanei, qui in maximis frigoribus præteritis, neque plane concoqui, neque probe expelli potuerunt. Veris autem initio tametsi aliqua ex parte propter siccitatem in quamplurimis, iisq; sicciori corporis temperamento præditis a natura concocti, ac profusi sint, valde tamen aucti videntur, præsertim in pituitosioribus hac aëris tempestate pluuiosa, ac nebulosa. etenim imbres illi, qui mense Nouembri deciderunt Austris flantibus corpora præsertim pituitosiora quamplurimi humiditatibus completa, ac referta fuerunt; biliosiora vero belle se habebant. Caput vero inprimis affectum est, quod nudum perpetuo sit, atque aëris iniuriis maxime expositum. nam ex Hippoc. sententia III. sententiar. V. Austri auriculas hebetant, sensus labefactant, capitis dolores mouent. quamobrem humores hoc potissimum tempore ex vniuerso corpore ad caput attrahuntur. quod si Auster solus hiemem totam occupasset, calorem materias superare, atque eiicere nullo negocio posse sperandum erat. at subita mutatio vires vel labefactauit, vel euertit; venti enim septentrionales, qui illico consequuti sunt, cum frigidiores omnino acciderint, quo minus materiæ profunderentur, impedimento fuerunt. quapropter illæ diutius vno in loco conclusæ graues, difficilesq; morbos calore aduentante excitarunt; nam calor cum ma-

terias diffudisset, in inferioresque partes illæ protinus defluxissent, fauceſque & pectora inprimis obsedissent, dolores lateris, & anginæ consequutæ sunt. id autem accedere sæpe solere ex huiuscemodi tempestatum mutatione affirmat Hippoc. III. sententiar. XII. Si vero Austri, pluuiæque Hiemem occuparunt, clemensque fuerit, Ver autem frigidum, & siccum, seniores destillationes, quæ cito iugulant, corripiunt, cuius rei rationē affert idem Hippoc. in libro De aëre, aquis, & locis cap. VI. nec non & Aristoteles libro I. Problem. IX. in VI. vero De morbis popularib. com. VII. particula I. ex crebra Austrorum, septentrionaliumque ventorum, niuiumque commutationibus nonne narrat tusses, peripneumonias, anginas homines vulgo corripuisse? viri autem magis, quam mulieres laborarunt, propterea quod & mulieres parietibus frequentius se continent, atque in hac vrbe caput opertum, ac multis pannis tectum habent. & paupere s potius, quam diuites; quod illi quotidie domo exire, victumq; sibi summo labore quæritare cogantur. Seniores vero magis perierunt, quam iuniores propter venarum raritatē, ac (vt verbis Hippocratis vtar) τλὼ ἔκτασιν, id est attenuationem. quamobrem in omnibus vna est antegressa causla, temperamentum scilicet commutatio. vna item antecedens, quæ & antea dicta est, humores in capite potissimum coaceruati. Partes vero corporis pro hominum natura, habitu, atque eorum denique temperamento magis, ac minus ab illis causlis ægritudine affectæ fuerunt. nulli autem (ad quos ego accersit° sim, qui & interierint) quicquā ex pectore extrudere potuerunt, & Orthopnœa omnes male habebat. Horum autem euentuum causla erat materiæ copia, & crassities, vires prostratæ à morbi malignitate. Veruntamen hæc mala præterita iam sunt, quæ & pestilentiam recte appellare possumus; nō enim (vt Galenus scriptum reliquit III. De morb. vulgaribus

garibus comm. III. particula XX. & XXI. & I. De victus ratione particula IX.) morbi alicuius nomen est Epidemia, aut Pestilentia, sed quæcunque ægritudo vno in loco multos vexat, hæc Epidemia, & vulgaris morbus vocatur. Si vero contingit, vt morbus ille multos tollat, Pestis, & Pestilentia popularis est. Peiora autem quotidie impendere videmus, nam hæ tempestates calidiores, humidiores, inæquales, & nebulosæ, quæ (quod scribit Galenus I. De morbis vulgaribus comm. I. particula IX. X. XI. XX I.) caliginosos humores, atque adeo malignos reddunt, diutius perdurare videntur. quod si Æstas similis consequatur, febres ardentes, dysenteriæ malignæ vulgo homines pituitosiores occupabunt. Exanthemata maligna exorientur, morbilli, variolæque puerulos corripient, carbunculi gignentur, furor, & item sopor ægrotos vrgebit, ægritudines cum haud vulgari corporis vexationes omnes vexabunt, sudores emanabunt. Hæc collegimus ex III. sententiarum XI. & VI. III. De morbis vulgaribus comment. III. & I. De morb. popularibus comment. I. febres autem ardentes excitabuntur, propterea quod humores in corpore concluſi propter caliditatem, & humiditatem exputrescent. aëris vero humiditas humores in corpore redundantes exsiccari minime patitur, quę res vim putrescentem mirifice adiuuat. quod si humores per aluum profundantur, dysenterias illi excitabunt. Exanthemata vero accident, cum humores ad cutim natura cum morbo pugnante propellentur. Variolæ puerulis exorientur, quoniam tunc maxime ab exputrescentibus humoribus illis malignioribus vexata natura eos extrudere conatur. Carbunculi a prauis item, & putrescentibus humoribus gignentur pluuia & Austrina tempestate. quod & Hippocrates notauit in II. De morbis vulgaribus nec non in III. eiusdem comm. III. particula XII. & I. humoribus autem hisce, cum

humiditatem maiorem nacti sint, acumen quoque propter putredinem accedat, necesse est. humiditati itaque coma, acumini vigiliæ consequentur. Procliuitas ad angorem malignitatis humorum indicium erit. Sudoribus vero minime febres abstergentibus propter humiditatis copiam affluent ægrotantes. vna autem res tot malis esse remedio poterit, nempe Etesiæ, namque hi venti putredines egregie compescere solent. Quod si Æstas calidior, & siccior succedat (quod & tradit Hippoc. lib. De aëre, aquis & locis cap. VI. & III. De morbis vulgaribus comm. III. particula I.) febres tertianæ, & ardentes homines occupabunt, maxime vero bilioſiores, pituitoſiores cita aluus exercebit; multi aqua inter cutem laborabunt, & prauorum humorum copia, & propter earum partium vitium quæ in corporibus nostris principatum obtinere solent. quamobrem & febricitantibus ægrotis morbus Regius protinus superueniet. Si autem siccior, & frigidior fuerit (nempe in ea venti perflabunt septentrionales) pituitoſioribus & mulieribus maxime consuletur; bilioſiores vero lippitudines ſicciores, febres acutæ, & bilis atra præsertim Autumno vexabunt. Sin humidior, & frigidior fuerit, febres acutæ pituitoſos corripient. Dysenteriæ mulieres, & viros humidiore corporis constitutione præditos occupabunt, Autumno vero alia, atque alia morborum genera expectanda sunt. Sed longior hac de re oratio suscipienda non est; non enim tu, quid anno sequenti euenturum sit, petiisti. Ad tertium ergo illud veniemus, quod malorum cautionem, & prouisionem continet. in omnibus vero tempestatum generibus perpendendæ sunt hominum ætates, naturę, & eorum denique studia. quod enim corpora facilius, aut difficilius morbis occupentur iis, qui ab aëris commutationibus, concitari solent, id temperamenti vel similitudini, vel dissimilitudini acceptum referre debemus, vt

sæpe

sæpe a Galeno, & I. De morbis vulgaribus comm. II. particula VII. traditum est. nam cum sanitas in quatuor elementorum temperatione, ægritudo vero in eorundem intemperantia posita sit, corporibus optimo temperamenti genere præditis mediæ, id est temperatæ tempestates saluberrimæ sunt; malis autem temperationibus corporis similes tempestates maxime nocent. quod scribit Galenus I. De sanit. tuend. cap. XI. quæ enim corpora contra, atque aër affecta sunt, tantum abest, vt illius iniuria ea perdat, vt coniunctis qualitatibus ab aëris temperatione retusis illorum multo certior reddatur valetudo, contraria enim contrariorum sunt remedia. quare si ad hæc respexerimus, nullo negocio & victus rationem, & medicamenta vnicuique præscribere poterimus, quę commodi plurimum omnibus afferent. tibi vero, qui gracilior, & siccior es (tua enim tantummodo causa hoc quicquid est oneris, quod suscepi, me potissimum sustinere confirmo) vehementer expediet, si Æstas calidior, & humidior fuerit, vt eandem, quam a natura nactus es, corporis constitutionem, & habitudinem tueri maxime coneris; neue aëris iniuria eam corrumpi, ac deprauari sinas. id facile consequeris, si ante Solis exortum domo minime exeas, & si in turba minime verseris, si scorta vitaueris, & si ligna super foco (vt inquit ille) iuniperi, lauri, roriſmarini largius reposueris, & si carnes modo elixas, modo diligentius assas comederis, & ab his ad illas frequentius transieris. vinum optimum bibe paullum aqua optima dilutum; frictionibus quotidie vtere; ambulato sub dio ante æstum leniter; cruditates omnes vitato. Deuoranda aliquando bene mane Catapotia, quæ appellantur communia Rasis, quibus curato, vt addantur Boli Armeni, aut terræ sigillatæ optimæ drachmæ II. vtilis aliquando est Theriacæ optimæ ʒ. I. vel huiusce Antidoti quantum castaneæ magnitudinem impleat, deuoran-

dum. quod ego-met vſus ſum ſuperioribus annis Lugduni, cum Turchum Balbanium peſtilentia cõtactum curarem. Id habet Theriacæ optim. Mithridatis opt. ſingulorum ℥. iii. Boli Armeni opt. ʒ. iii. Scordei ʒ. iv. Angelicæ, Zedoariæ ſingulorum ʒ. v. Croci ʒ. ii. cum aqua vitæ appellatæ ſinito, vt cuncta (vt ita dicam) fermententur aliquot dierum ſpacio. Deinde bene mane (eiectis prius concocti cibi reliquiis, vtere, vt dictum eſt. Pomum odoriferum quod vocant, manu continendum eſt. Cubiculum quotidie ſuffumigari debet paſtillis, quæ ex odoribus fiunt. in illis ſunt cortex Citri, Thus, Cinnamomum, Ambra, Lignum Aloes, Myrrha, Tormentilla, Muſcus, Dictamus, Bolus Armenus, Terra ſigillata. quæ omnia Terebinthina lota ex aqua roſacea excipienda ſunt. Pituitoſiora vero magis, ac magis exſiccanda ſunt corpora. Quod ſi Æſtas calidior, & ſiccior conſequatur, contraria victus ratio inſtituenda, ac ſeruanda eſt. vitandus Solis ardor præſertim poſt vinum, & cibum. elixa maxime ſumenda. bibendum vinum aſſidue dilutum, lenius. in Balneum aliquando deſcendendum. conſeruæ Roſ. Bugloſſ. & ſi vigiliæ vrgeant, flor. Nenuphar. inuicem aſſumendæ. vomitus alienus eſt. ex oleribus, Lactuca; ex fructibus, Pepones, Pruna, Ficus, vuæ prima menſa apponi, modiceque ſumi debent. Quod ſi quando ad medicamenta confugiendum eſt, Catapotia, quæ paſſim Aggregatiua appellantur cum tantillo Rhabarbari bona, atque commoda tibi fore ſpero, aut ſyrup. de Cichorea Nicol. cum Rhabarbaro ℥. i. ß. ex decocto Borraginis, Acetoſæ, Paſſular. Cinnamomi addita poſtremo ℥. ß. ſyrup. de Limonibus. Quod ſi ſiccior, & frigidior fuerit, paullulum a frigidiori victus ratione declinandum, & ad calidiorem tranſeundum eſt; ſanitatem enim tunc maxime tueri ſolemus, cum contrariam victus rationem inſtituimus illis tempeſtatum, & valetudinum

tudinum generibus quæ in vnoquoque timeri poſſunt habita ratione vniuſcuiuſque naturæ, ætatis, ſtudii, conſuetudinis, ac denique regionis. Hæc vero ſunt, quæ hiſce ſummis occupationibus collecta ad te perſcripta breuiter, mittere potui; quæ tamen ita ſcripta ſunt, vt curatio te proprie ſpectet, ad multos autem, atque adeo omnes diuinatio pertinere poſſit. Vale, & quod facis, me ama. Burdigalæ Idibus Mai CIↃ. IↃ. LXXI.

REI MEDICÆ

STVDIO STIPENDIVM QVINTVM,

IOANNIS BAPTISTÆ

DONATII;

COMMENTARIA

in magni Hippocratis Coi librum

DE MORBIS VIRGINVM.



FRANCOFVRDI

Apud Ioannem Wechelum,

M D XCI.



AD LECTORES HVMANISSIMOS PRÆFATIO.

NEMO *in rei medicæ ſtudiis accuratius verſatur, qui plus vni Galeno, quam ceteris omnibus ſe debere non fateatur; pauci enim rei medicæ ſcriptores ad nos peruenerunt; & hi, quos habemus, vel nulla via, ac ratione ſcripſerunt, vel certe totam artem monumentis litterarum non ſunt complexi; illum vero nullam non eius partem locupletaſſe fortaſſe affirmare poſſem, ſi cuncta eius ſcripta reperirentur, quæ malo publico funditus perierunt; & plura fortaſſe multo ſunt eius volumina, quæ interiiſſe ſcimus, quam quæ ſupereſſe videmus. Inepte igitur faciunt, qui cuncta enodata, ac enucleata eſſe a Galeno dictitant. Nos multa, ac maxime neceſſaria in hac arte deſiderari notamus, quæ in hiſce veterum commentariis ſtudioſi quotidie ſumma cum induſtria indagare, ac inuenire conantur. Diuerſa ſunt profecto hominum ingenia. ego quidem Galenum ita ſequor, vt hoſce veteres rei medicæ ſcriptores me non omnino contemnere profitear. Hos autem licet multum inter ſe differre perſpiciamus, neminem tamen tam iniquum harum rerum æſtimatorem fore arbitramur, qui ex his aliquid aliquando ſe non eruere poſſe confidat, quod artem noſtram dein mirifice augeat. Et, vt alia prætermittam, hæc De morbis, qui ad Virgines, & mulieres pertinent ita deſiderari in Galeni voluminibus videntur, vt, qui de his aliquid conſcripſerit, nemo dubitet, quin de re medica optime ſit meriturus. Scripſit quidem de illis vir idem antiquiſſimus, & doctiſſimus, ſed adeo obſcure, vt, niſi aperte explicentur, cuncta denſiſſimis tenebris obruta videantur. Nos lumen aliquod ita hiſce afferre conati ſumus, vt tamen reliquos libros non abiecerimus; multa enim in illis notauimus, plura explicauimus, cuncta diligenter euoluimus, & tandem aliquando in eam cogita-*

tionem incidi, vt experirer, num præstare possem, quæ ab huiusce modi studio postulantur. Exercui industriam meam in hunc, & libros De morbis, qui ad mulieres pertinent, in secundum, IV. V. *&* VII. *De morbis vulgaribus, in secundum Prænotionum librum De natura pueri demum aggredi in animo erat; cum conatus meos (quod ingenue fateor) paullum tetardarunt nonnullorum amicorum voces, qui Venetiis codicẽ antiquum manuscriptum repertum sæpe nuntiarunt, quem pernimium ab hisce nostris differre affirmabant. Ego vero, qui hoc me iampridem labore durarim, huic vni generi studeo, at ab editione me temperabo, dum exeat liber ille, quem propediem exiturum prædicant. Interea, Lector humanissime, hunc accipe vniuersi operis quasi formam, & imaginem quandam, in qua haud sum nescius nonnullos flagitare solere quæstiones plurimas, quas quidem hoc in Commẽtariolum libenter coniecissem, si eas non suo loco inculcatas vnquam probassem, & a Galeno, ceterisque, qui totam artem summa cum laude conscribere conati sunt, facile peti non possent. huc accedit, quod hunc libellum antecedunt multa volumina, in quibus eadem commodius quæri possunt. Quid enim hoc loco in quæstione versari potest, quod in libro De natura pueri aptius multo explicari non possit? multæ in libro De morbo sacro, & De flatibus & De septimestri partu suũ quasi habent domicilium, quæ in hoc alienissimo loco pertractarentur. postremo oneris, & laboris multum sustinenti, & propter ætatem properanti in vulgaribus quibusdam concertationibus mora diutius interponenda non fuit. ad propria igitur loca eos reiiciam, qui hæc a me tantopere exigere solent. ad ceteros autem, qui propria eius tractationis, in qua versantur, requirunt, ὃ ἐπιεικῶς αἰσχύνομαι προσρηθείς, vt inquit Galenus, aliquando conuersus ingenue fatebor hac in re, pessime omnium audire nolle: at si quis reperietur, qui hæc reprehendat, & cur id faciat, causas afferat probabiliores, promitto, spondeoque non commissurum, vt quisquam me minus amare veritatem suspicetur.*

ΠΡΟΛΕ-

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

LIBELLVS hic inter Hippoc. volumina quidem coniectus est, at eum Hippoc. esse affirmare omnino non audemus, quędā enim in eo inuenimus, quæ cum veri Hippoc. sententia minime congruunt. Dubitatio tota ex 11x. particula nascitur; in qua antiquissimus auctor & Aristotelis & Archigenis, & Athenæi sententiam haud sane absurdam sequi videtur, quæ & Hippocr. veri, & Platonis, & Galeni sententiis plane refellitur. Neque vero in hisce commentariis operam meam cōsumam in iis coniungendis, quæ disiunctissima sunt: qui hoc factitant, Galeni viam, ac rationem minime mihi animaduertisse videntur. neque is sum, qui non possim aliter multo auctoris verba torquere; sed deliberatum mihi est in hisce veteribus conciliandis tempus minime terere. Neque vero ab eodem auctore, à quo περὶ γυναικείων conscriptus est; eorum enim Hippoc. auctorem fuisse vno, & altero Galeni loco in nostris in illū librum commentariis comprobauimus. tametsi enim in 1. lib. De morb. muliebrib. cap. 1. pag. 42. ac item, cap. 5. pag. 18. scriptor ille se De morb. virginum egisse aperte tradiderit; non tamen continuo ab eodem hic conscriptus est liber. Huc accedit quod nihil hic habet, quod ab illo scriptore illis in locis literis persecutus sit. Stilus ipse, & ordo fidem facit à grauissimo maximoque viro editum fuisse. qualis tandem ille sit, res ipsa posthac (quod spero) satis significabit. atque hac in re non est nobis diutius immorandum, qui in rei veritate elicienda plurimum sustinere debemus laboris. totum hoc volumen πρὸς ἀπολογικὸν, ὃ πρὸς θεραπευτικόν ἐστιν. In Virginum morbis inuestigandis vtitur diuisione, quæ huiusce modi est: Diuidit hominem in hominem,

& mulierem; mulierem minutius concidit; etenim & virgo, & nupta, & vidua mulieres sunt. Virginum duo genera sunt; quædam nubiles sunt; quædam minime aptæ viro. Illis præterea aut menstrua proueniunt, aut defecta sunt; & hæc aut viro coniunguntur, aut non. quæ collocãtur in matrimonium, magnum recipiunt discrimen; etenim illorum quædam in vtero ferunt, quædam minime. Nuptæ item in duas quasi diuiduntur formas: quædam enim grauidæ fiunt, quædam vero steriles euadunt: sed ipsum auctorem aliquando perpendamus.

Homo.

Mulier *Homo,*

aut nupta, aut vidua, aut virgo.

quædam grauida, quædam sterilis; quædam apta viro, quædam non.

huic aut menstrua proueniunt, aut menstrua defecta sunt.

aut cum viro coniunguntur, aut non.

aut grauidæ, aut steriles.

IOAN. BAPT. DONATII COMMENTARIVS

In magni Hippocratis Coi librum De Morbis Virginum;

Antepositis verbis Græcis, & iisdem Latine redditis.

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΠΕΡΙ ΓΑΡΘΕΝΙΩΝ.

Ἀρχὴ μοι τῆς ξωμθίσιος τῶν ἀειχμένων ἰητρικῆς. I.

Hippoc. de morbis, qui ad virgines pertinent, libellus.

In his, quæ literis mihi hoc tempore explicanda sunt, exordium sumendum est ab iis, quæ in arte medica perpetua traduntur.

COMMENTARIVS.

PRincipium sumit ab eo, quod certum, perpetuumque est in re medica ἀξίωμα, & quod in ore omnium versatur. sic Galenus solet ab iis, quę perpetua sunt, exordiri. in libris De locis ægritudine affectis pro locorum ratione aliam, atque aliam curationem medicos instituere solere statim tradit. Verus Hippoc. in Prognosticorum libro optimum est (vt ego quidem censeo) medicum in omni morbi genere præsentionem adhibere. quæ inter initia libri De aëre, aquis, & locis literis consignata sunt, minime adscribam; nota enim sunt. ob os, atque oculos prope versantur omnibus, quæ tradit ante omnia. quæ nam illa sunt? communia, perpetuaque huiusce artis principia. Idem Galenus

obseruat in eorum libro. commentariis. mos hic ad Aristotelem tandem translatus, cuncta sua volumina, à communi principio, quod nulla ratione labefactari possit, perpetuo exorsus est.

II. Οὐ γὰρ δυνατὸν τῶν νοσημάτων τὴν φύσιν γνῶναι, εἰ μὴ ὅστις τῆς τέχνης ἐξευρεῖν ἰῶ μὴ γνῶ τὸ ἐν τῷ ἁμαρτεῖ. *Fieri enim non potest, vt morborum natura recte cognoscatur (modo ad hanc artem inuentio, & inquisitio pertineat) nisi quis in eorum naturæ cognitione ad id, quod nullas amplius partes obtineat, peruenerit.*

COMMENTARIVS.

HAud erat nescius antiquissimus scriptor artis quoque medicę proprium esse aliquid inuenire: quippe qui, & id notatum fit luculente inter initia libri De arte, quem mirifice laudat auctor definitionum medicarum; & omnes scilicet artes id potissimum conari videret, vt aliquid semper inuenirent, ac inuestigarent. Quod cum omnibus propositum sit doctrinis, tum diligentissime præter cæteras omnibus vestigiis consequi conatur logica facultas, cuius tractationis finis est demonstrationis inuentio. De iis autem nunc doctrinis potissimum verba facio, quæ instrumentis ad id persequendum egregie appositis vtuntur; ceteras consulto omitto, quæ cum re medica nulla in re sunt comparandæ. Verumtamen id verecunde afferre visus est, cum tamen minime dubitanter scripserit. sic Philosophi VIDETVR, quæ & condemnationis, & absolutionis formula esse solebat, vsurpant in re, quæ sane quam aperte patet. Neque vero tantummodo morborum naturam inuestigat ars medica, verum etiam sanitatem perpendit quam vt ex arte conseruet, ac restituat, partes omnes nostri corporis, & earum muneris functiones, & temperamenta cognoscere nititur; sed quid hoc tantum? minime. morborum quoque causas perquirit,

perquirit, vt ſcilicet artis beneficio ad priſtinam valetudinem homo protinus reuocetur, ſi forte in morbum inciderit, ſin ſatis belle ſe habuerit, ſanitas conſeruetur: Artem autem appellat vt & Galen. non vno in loco, & in libro De conſtitutione artis medicę, & in eo, qui Ars medica inſcribitur. in hoc quoq; volumine libellus coniectus eſt, cui Ars titulus eſt. quid plura? inter ipſa initia legis nonne ſcriptum eſt Rem medicam omnium artium præſtātiſſimam eſſe? Naturam autem morborum appellat ſpeciem, vel formam morborum. naturam autem plura ſignificare nouum non eſt; ab antiquiſſimis ſcriptoribus minime recedam in libello De morbo ſacro fere ſic. Verumtamen hic naturam eandem quam etiam reliqui morbi, nactus eſt. Quemadmodum autem naturarum quędam communes ſunt, quædam propriæ, ita & morborum naturæ quædam communes ſunt, quę omnes morbos amplectuntur, quædam vero propriæ, quæ ſcilicet ex iis differentiis conflatæ ſunt: quæ ſpeciem vltimam conſtituunt, quæ ſingularibus proxima eſt. ſingularū autem neque definitio, neque ſcientia eſt; ſcientia enim ſuis omnino coerceri finibus debet, quos egredi nefarium eſt. At qui artem medicam exercent, & ſingularia perpendunt, in quibus conſumitur omnis medicorum opera; quæ cum in incerto ægritudinis euentu ſæpe collocetur, nihil mirum ſi ars coniecturalis merito habeatur; At tamen illa eis ignota minime eſſe debent, quæ & perpetua, & firma, & communia ſunt, quod Galen. tradit inter ipſa initia artis ad Glauconem ab Hippoc. tamē multo ante admonitus primo De morbus vulg. com. III. particula. I. Auctor igitur nobis eſt antiquiſſimus ſcriptor, vt in morborum natura cognoſcenda à ſummo genere diuidendo ad extremam ſpeciem perueniamus. ſic & Ariſtot. primo de Repub. Quemadmodum enim in aliis, quod compoſitum eſt vſque ad ſimplicia, & minima diuidere neceſſe eſt; hæc

enim minimæ sunt totius particulæ; ita & ciuitatem, ex quibus conflata est partibus contemplantes, dilucidius perpendemus, quid hæc inter se differant; & in singulis examinandis, quæ dicta sunt, perspiciemus, num recipiant aliquid artis, & præceptionis.

III. Κατὰ τὴν ἀρχὴν ἐξ ἧς διῃρέθη. *Ex qua natura, quæ scilicet amplius diuidi non potest, vt se dederunt principia, totum morborum discrimen deductum est.*

COMMENTARIVS.

CVm ostendisset fieri non posse, vt quis morborum genera cognosceret, nisi qui à summo genere ad extremã speciem peruenerit, quo in loco insistendum esse Plato quoq; iubere solebat; nunc in ea infima specie positum esse morborum omnium discrimẽ diserte admodum explicat; in ea enim natura, quę amplius diuidi non potest, quę ex generibus quasi principiis quibusdam constat, & via ac ratione diuisiua inuenta est, morbi omnes disiuncti sunt, & inter se dissident. Cum enim qua morbi omnes sub eadem specie contineantur, à natura tamen ita conflati, ac perfecti sunt, vt ea, quã inter ipsa initia semel sunt nacti, natura diuisibili hic ab illo maxime distet, ac differat. Hoc loco nos primũ luculente monet antiquissimus auctor, vt in morborum inuestigatione via, ac ratione vtamur, vt scilicet à summis generibus ad infimas species descendamus. deinde in cælum fert diuisionem, quã etsi reiicere aliquando visus sit Aristoteles, veteres tamen Philosophos ab eo longe dissensisse nemo ignorat; diuisio enim (quod Ioannes Alexandrinus obseruat) dignitate antecedit, & definitionem, & demõstrationem, quod enim habet definitio, nisi quod à diuisione mutuo accepit? ex animali enim, & planta sumit animal; ex rationali, & irrationali, rationale; ex mortali & immortali, mortale. Demonstrationem autem posteriorem definitione esse testatur idem Aristot. etenim si consi-

lium

lium est demonstrare propter quid homo est animal, quia essentia sensu prædita est, statim affirmabimus. Quid autē senserit Galenus obscurum non est; etenim inter initia libri ad Glauconem hæc fere scripta reliquit. Hippocrates quidem & hoc primus (quod sciam) memoriæ mandauit; vberius autē idem prosecuti sunt ætate posteriores omnes, qui eius scripta accurate perlegerunt, inter quos vnus plane excelluit Mnesitheus Athenienſis, vir cum in reliquis omnibus, quæ ad artem pertinent, apprime doctus, tum vero propriam quandam laudem consecutus est, qui, quatenus methodo in vsu rei medicæ progredi oporteat, si quis alius, optime nouerit. Hic igitur Mnesitheus à primis, & summis generib. exordiens diuidi ea oportere censuit in species, genera, & differentias; & item quę diuisa erant, eadem ratione iterū concidi. atq; hæc iterum eodem pacto distribui, donec ad huiusce modi quandā speciem peruenirem⁹, post cuius diuisionem in vnū numero, & singulare incideremus. Quæ literis eodem in loco consignauit Stephanus Athenienſis minime adscribam, ne, quod nonnullos factitare video, quæ nota sunt inculcare velle videar. Ne hoc quidem prętcribo de diuisione fusissime disputatum fuisse à Galeno in extremo libro de decret. Hippoc. & Platon.

Πρῶτον μὲν τὸ ἱερῆς νόσου καλουμένης, καὶ μὲν τῶν ἀποπληκτικῶν. CAP. IIII.
καὶ μὲν δεμάτων, ὁκόσα φοβεῦνται οἱ ἄνθρωποι ἰσχυρῶς ὥστε παραφρονέειν, καὶ ὀρθῶ δοκέειν δαίμονας τινὰς, ἐφ' ἑωυτῶν δυσμενέας, ὁκότε μὲν νυκτὸς, ὁκότε δὲ ἡμέρης, ὁκότε δὲ ἀμφοτέρῃσι τῇσι ὥρῃσιν. Ἔπειτα ἀπὸ τῆς τοιαύτης ὄψιος, πολλοὶ ἤδη ἀπηχονίσθησαν.

Principio de morbo sacro vulgo appellato, & de iis, qui apoplexia correpti sunt; vel qui timore occupati sunt, quæ adeo homines exhorrescunt, vt in delirium incidant, & damones quosdam se videre putent, eis permolestos modo noctu, aliquando interdiu, nonnunquam, & hoc, & illo tempore. Deinde huiusce modi spectris multi impulsi sibi manum intulerunt.

COMMENTARIVS.

QVibus nam de morbis acturus sit primum proponit; cumque explicet quibus morbis conflictari soleant virgines, se de magnis quibusdam ægritudinibus acturum pollicetur De morbo sacro, Apoplexia, & animorum perturbationibus;& aperte euellere conatur ex animis multorum opinionem, quæ nunc vetustate plane consenuit, vt nonnullorum morborum causlas,quorum ratio probabilis reddi non posse videbatur,in Deos frustra coniicerent. eos omnes enumerat; de amoribus ipsis longiorem non instituit sermonem; non enim fortasse hic locus. De morbo sacro, id est,de epilepsia,vel morbo comitiali liber ab antiquissimo auctore conscriptus est. Veri Hippocratis esse libro illum vix mihi sane persuadere possum, cum multa in eo reperiantur,quæ cum iis,quæ Hippocrates tradit,minime concinunt.De hoc morbo Plato in Timæo fere sic: Cum autem diuina natura præditus hic morbus sit,merito sacer appelletur, quasi primus huic vitio id nominis imposuerit.Apoplexię cum Epilepsia quædam cognatio est; etenim si facultatem cerebri vincit,ac superat materia,quæ morbum facit,Apoplexia continuo consequitur; si non adeo copiosa sit,eam concutiendo egregie depellere conatur, & Epilepsia excitatur.At ille quisquis fuit, qui De morbo sacro, quædam literis mandauit, illud perfecit, vt & morbi illius causlas patefecerit,& ea res nihil ad Deos illos falsos attinere collegerit; pauca prętera quędam de Apoplexia differuerit. quorum morborum causlas mox minime persequar; vel quod in illius enim libelli commentariis satis,superque de illis à scriptore antiquiss. & à nobis disputatum sit,vel quod hic de illis ne verbum quidem postea fecerit; agit vero tantummodo de timoribus: Deinde aperte admodum eam se viam,ac rationem nullo negocio vsurpare posse ostendit in

dit in horum morborum natura perueſtiganda, quam antea nobis, cum cętera morborum genera amplecteretur, breuiſſime demonſtrauit. poſtremo dilucide oſtendit cauſſas, ob quas huiuſcemodi morbis virgines ſæpiſſime ſoleant conflictari, in quorum naturæ, id eſt, formæ inueſtigatione ad methodum protinus decurrere debemus; cum enim nobis ꝓpoſitum ſit de morbis, qui Virgines conflictare ſolent, agere; in eorum morborum naturis perueſtigandis, non qua homines ſunt tantummodo ſpectandę, verum etiam eorum ratio eſt habenda, qua mulieres ſunt. neque vero hoc tantummodo animo complectendum, verum etiam qua Virgines ſunt circumſpiciendæ; atque hæ vel qua nubiles ſunt, vel qua minime aptæ viro proponendæ; ſub homine enim, quæ eſt poſtrema ſpecies categorię vulgo appellatæ Subſtantiæ, & vir, & mulier continetur. at mulier, vel virgo eſt, vel nupta, vel vidua. Nuptarum præterea quædam ſteriles ſunt, quædam in vtero ferunt, & fœtus edunt. Virginum quædam nubiles ſunt, quædam minime aptæ viro. & quamuis iiſdem morborum generibus corripi videantur, atque viri; Virgines tamen his potius premi obſeruaſſe teſtatur, atque eas potiſſimum, quæ aptæ viro viderentur. atque id apprime inuenimus Diuiſionis methodo, quæ cum minutius cuncta concidat, tum etiam quæ conſequuntur, diligenter obſeruat; & eorum cauſſas accurate inueſtigat, de quibus paulo poſt. Morbi autem, de quibus acturus eſt fere melancholici ſunt, ex humore vero melancholico timores excitantur, quod verus Hippocrates recte animaduertit VI. ſententiarum XXIII. ſi timor, & mœror diutius perdurarint, certiſſimum melancholicorum euentum. παραφρονέειν delirare conuertimus, quod genus delirii haud magnum ſane eſt. quod & ab aliis eſt animaduerſum. Hoc loco cuncta non adſcribam, quæ Aëtius habet libro VI. cap. IX. haud enim difficile eſt locum inuenire. illud

tantum. Symptomatum eorum, quæ melancholicos vexant, cauſſas inuenire, ac adſcribere ἀδυνάτον eſſe; nonnullorum tamen ratio petenda eſt ab eodem, cuius ſcripta extant,& ea his lucem afferre poſſunt. Neque vero tantummodo de hiſce morbis illi agendum eſt,qui primo quoque tempore Virgines fatigant,verum etiam de his,qui ſuperueniunt, ac deinceps accedunt; namque ab his malis adeo obruuntur,vt multæ ſeipſas ſtrangularint. illud ſatis declarant verba illa πρῶτον, καὶ ἔπειτα, quæ non modo connexionem, & conſecutionem quandam verborum ſignificant, verum etiam rei de qua agit αὔξησιν demonſtrant. Quapropter de magnis quibuſdam rebus ſe dicturum pollicetur, quæ res nos attentos maxime reddere debet. verba vero mutila videntur. vetus codex opem fortaſſe aliquam huic feret malo.

VI. Πλέονες δὲ γυναῖκες, ἢ ἄνδρες· ἀθυμότερον γὰρ, καὶ ὀλιγοψύχου φύσις ἡ γυναικεία. *Plures autem mulieres quam viri; eſt enim muliebre ingenium animo magis abiecto,ac puſillo.*

COMMENTARIVS.

METhodo innixus ab homine ad mulieres deſcendit; de quorum morbis tametſi minime quidem ei agendum ſit,diuiſionis tamen principium, & quaſi caput,vt per belle oſtenderet,demõſtrandum ei protinus fuit hiſce morbis vulgo homines quoq; corripi ſolere; mulieres autem homines ſunt, neque ſpecie à viris differunt,quod Alexander Aphrodiſeus egregie aliquando demonſtrauit. at affirmat eorum mentes anguſtiores,& humiliores eſſe; nihil igitur mirum ſi nullo negocio in maximis malis animum deſpondeãt. Hoc quidem minime agnoſcit Plato. at illa huic loco minime quadrare videntur,niſi(vt contentioſi ſolent) cuncta permiſcere velimus; attamen (vt inquit Plato) ipſi ſibi ipſis placitant.

Αἱ δὲ παρθένοι ὅκοσησιν ὥρη γάμου παραδρυόμεναι, τῷτο μᾶλλον παχρισιν, ἅμα τῇ καθόδῳ τῶν ἐπιμηνίων πρότερον ἢ πάλαι ταῦτα κακοπαθέουσι. *Virgines autem nubiles, & quæ aptæ viro sunt, hoc magis corripiuntur morbo, vna cum mensium prolapsione, cum tamen antea hisce malis valde minime conflictatæ fuerint.* VII.

COMMENTARIVS.

MIrifice profecto ab homine, quæ extrema species est, ad mulieres nos traduxit, nunc vero à mulieribus ad Virgines. de viduis in extremo. At nō tantummodo de his virginibus se acturum pollicetur, quæ ætatē adeo processerunt, vt aptæ viro videantur; sed de iis, quæ & aptæ viro sunt, & quibus menstrua proueniunt. recte enim & hoc lōco diuisionem adhibet. Virginum enim, quæ aptæ viro sunt, quædam menstruis rite purgantur, in quibusdam autem menstrua supprimuntur. atque hic consistere diuisio videtur. sed causas symptomatum deinceps inuestigare conabitur. obseruauit autem hac ætate, & hoc potissimum tempore virgines ab huiuscemodi morbis occupari; prius enim rem ita sese habere constituendum est, deinde symptomatum, & euentuum causæ diligentissime inueniendæ sunt. Principio enim, quod manifeste apparet, recipere debemus (quod primo de naturalibus facult. cap. XIIII. Galenus tradit) deinde eius causas reperire. & nō valde scribit antea hisce torqueri malis virgines, ꝙ aliquando quidem in hæc incurrant, & huiuscemodi causa antea semper non præcesserit, id est, sanguinis copia, quæ magnum morbum reddere posset. Menstrua ferri solent ānno XIIII. sed aliquando serius, aliquādo citius descendunt pro puellæ temperamento. De viduarū morbis singillatim minime agit, quod de illis, & in hoc libro, & in libro De iis, quæ ad mulieres pertinent, & in lib. De sterilibus satis superq; dictū sit; nullo enim negocio ex illis colligere

potes, quæ ad eorum morbos pertinent & dignoscendos, & curandos; in quibus libris & de vteri strangulatione, & de menstruorum vel profusione, vel suppressione disputatum est. Vnus ille morbus, qui semen retentum concitare solet, desiderari videtur, de quo tamen Galenus VI. De partibus ægritudine affectis, cap. v. & nos suo loco.

VII. Ὑστερον γὰρ τὸ αἷμα ξυλλείβεται ἐς τὰς μήτρας, ὡς ἀπορευσόμενον. *Postea enim sanguis ad vteros allabitur quasi aliquando effluxurus.*

COMMENTARIVS.

SAnguinem menstruum purgamentum secundum naturã perutile esse, veluti & semen nouum nõ est; venæ autem, & arteriæ multo alimento refertæ superuacaneum, & prę frigiditate minime cõcoctum ad vterum exturbant. Video quosdam falso opinari secundæ concoctionis illud excrementum esse; quod menses rubriores proueniãt. at ii nullo negocio Galeni ipsius verbis ex libro De fœtuũ formatione refutari possunt. fœmina autẽ mari perpetuo frigidior est; quapropter ad appetendum pcliuiores sunt mulieres, minus concoquunt, cute densiori prædite sunt. Erumpunt autem XIIII. anno potissimum menstrua, cum vbera tumẽt, vox grauior auditur, & venerẽ cupide sequuntur, tunc autem aptæ etiam viro sunt, & nubiles virgines ex medicorum sententia. at Aristoteles in libro De optimo Reip. statu multo aliter sentire videtur, idque merito.

VIII. Ὁκόταν οὖν τὸ στόμα τῆς ἐξόδου μὴ εὖ διαστομωμένον, τὸ δὲ αἷμα πλέον ἐπιῤῥέῃ, διά τε σιτία, καὶ πλῆσιν τοῦ σώματος, πλωικαῖ τε οὐκ ἔχων τὸ αἷμα ἔκρυσιν, αὖ αἴσει ὑπὸ πλήθεος, ἐς πλῆσιν καρδίαν, καὶ ἐς πλῆσιν διάφρεξιν. *Vbi igitur oscula, per quæ ferri debet, minime patuerint: sanguis autem amplius confluxerit, & victus ratione, & corporis incremento, cum vnde euadat, non habeat, præ copia recurrit ad cor, & septum transuersum.*

COM-

COMMENTARIVS.

CVm via,& ratione diuiſiua ad vltimas ſpecies peruenerit,cauſſę tot,ac tantorum ſymptomatum dilucide patere videntur; ex diuiſione enim in cauſſam incidit,quam quærebat,ſcilicet ſuppreſſa menſtrua illorum malorum culpam omnem ſuſtinent. Et quamuis in eo loco diuiſio cõſiſtere poſſe videatur, longius tamen eam producit; ſanguis enim ille,qui in mulieribus coaceruatur,ac retinetur vel cor,& ſeptum transuerſum petit,vel alias atque alias partes; ſi modo has, modo illas partes, alia atque alia excitabit mala, quæ Galen. in libello de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum,cap.v.pulcre enumerat; cum oſtendit mulierem cui rite menſtrua ferantur,neque podagra, neque articulorum doloribus, neq; lateris inflammationibus, neque peripneumoniis occupari; ſed neq; Epilepſia, neque Apoplexia corripitur: neque cui ſingulo quoq; menſe ſanguis deſcenderit, aut vox,aut ſpiratio vnquã deſiderata eſt. Num vero menſtruis prouenientibus (inquit) aut phrenitide,aut morbis, quæ ſomnum afferre ſolent,aut conuulſionibus,aut tremoribus,rigoribuſque mulier aliqua vnquam laborauit? num etiam vel in melancholiam incidit, aut in maniam, aut ex thorace,aut ex ventre,aut capite vnquam ſanguis profluxit? aut ſynanche ſtrangulatam, aut aliquibus eiuſdem generis morbis correptam obſeruaſti? Verum tamen hiſce ſuppreſſis in omnes morbos incurrere nullo negocio poteſt mulier. Antiquiſſimus autem auctor cæteras partes præteriit,ad eas tantummodo decurrit,à quibus Virginum mala, quæ antea propoſita fuere,fluere facile poterant; de hiſce enim inter initia pollicitus erat ſe dicturum: merito igitur, quæ ab his remotiſſima videntur,reiicit,at de corde,& ſepto trãsuerſo meminit; de cerebro ne verbum, quidem, vel

quod de Epilepsia singillatim editus erat libellus, & in eo quædam de Apoplexia; vel quod Aristotelis sectam sequeretur. quem secutum accepimus quoque Archigenem; in quem acerrime inuehitur Galenus quod locum ægritudine affectum minime perpenderit III. De loc. affect. cap. III. & IIII. & Atheneũ & Thessalos idem exagitat Galenus XIII. method. medend. cap. XXI. quod partium affectarum obseruationem omnino neglexerint; omnes autem principem animi partem in corde collocatam esse censuerunt. Hoc loco sane mirari nequeo nonnullos in ea re vehementius laborare, vt veterum auctorum verba quacumq; ratione concilient, inter quę nulla omnino intercedere potest aliquando societas; cum enim alia, atque alia manifesto secuti sint principia, frustra ea deuincire conantur, quæ plane opposita videntur, non tamen me præterit appositè hoc loco ita posse defendi, vt retenta menstrua principio os ventriculi lędant, deinde cor, postea septum transuersum, postremo vel ex cognatione naturæ, atque consensu, vel ex illorum profluuio cerebro insignem iniuriam inferant. summo autem (ni fallor) artificio καρδίω, non λογιστικὸν vsurpauit; nimirum eius consilium fuit tacite ostendere animam, quæ rationis est particeps, sedem, ac domiciliũ in corde obtinere. ita Chrysippus; quæ enim affectuum in mente accidit perturbatio, ita in pectore sentitur, vt sensum minime lateat. quapropter cor affirmauit primo quoque tempore fatuum reddi. vel fortasse cum de morbis virginum ei agendum esset, aliter scribere minime debuit, ac virgines loquerentur. quapropter perbelle, & eorum verba adiunxit, tametsi eorum opinio cum ratione minime ei congruere videretur. At agamus nos aliud, atque illud in primis abundantiam, & copiam humorum frigiditatem afferre, quod calor innatus debilitetur, extinguatur, suffocetur, quod & Galenus tradit primo sententiarum III. Facem plane

in me-

in meridie accendo, cum ſcribo διάφραγμα φρένας à veteribus appellari, quoniam eo inflammatione correpto, mens continuo lædatur; nulla enim alia pars (excepto ſemper cerebro) perpetuum delirium concitat. Idem plane facio, cum moneo virgines ſanguinem accumulare, tum quoniam cibis minime parcunt, tum quoniam propter ætatem quotidie ad corpus aliqua fit acceſſio; augentur enim, & creſcunt, cum eam ætatulam obtinent.

Ὁκόταν οὖν ταῦτα πληρωθέωσιν, ἐμωρώθη καρδίη. *Poſtquam igitur hæc completa fuerint, ratiocinatio protinus inſulſa, ac fatua redditur.* IX.

COMMENTARIVS.

MEnſtrua defecta, quæ excitant ſymptomata, enumerat: ea enim retenta vel febrem excitant, vel nulla accedit; ſi nulla Virgines febris agitat, fatuitatem concitat; ſin febris cõſequatur, & παραφροσύνην, & μανίην excitat, atque hoc loco diuiſio conſiſtit, neque vlterius progreditur. Dii boni quantum diſtant rationes hę ab iis, quæ affert auctor De morbis mulierum; & nos eo loco, quibus id propoſitum eſt, illud vere agere, καρδίη ὁ λογισμὸς, id eſt, *ratiocinatio*, à me verſa eſt; quod Heſychius id notatum reliquerit in ſuo Lexico. Et M. Tull. 1. lib. Tuſcul. aliis cor ipſum animus videtur. Et Plaut. qui perſpicere poſſent cor ſapientiæ. hoc tamen aperte negat ſcriptor libro De morbo ſacro. fatuitas μώρωσις dicitur, in qua vna cum memoria rationem quoque ſublatam videri teſtis eſt, & Galenus & Ruffus, & Aëtius & Paull. libro 3. cap. xi. Hunc morbum excitat vel minus apta, commodaque capitis formatio, vel frigida intemperies, vel frigidior, pituitoſiorque humor in cerebro coaceruatus, ſi Galeni ſectam ſequi volumus.

Εἶτα ἐκ τῆς μωρώσιος, νάρκη. *Deinde ex fatuitate ſtupor conſequitur.* X.

COMMENTARIVS.

Ναρκώσις est neruosarum partium sensus,& motus imminutus; in hoc symptomate ægritudo quidem vrget,at virtus viribus ad luctandum valet; & inter apoplexiam,&paralysim medius intercedit stupor. stuporis initium afferre solet frigiditas, multus quoque,& crassior sanguis eundem morbum afferre solet: quod venarum riuos compleat, & post fatuitatem,quæ ex frigiditate oritur, egregie consequitur. quid plura? compressio quoque aliquando huiusce morbi culpam omnem sustinet, quemadmodum & vincula. de compressione autem paulo post.

XI. Εἶτ' ὀπ τῆς ναρκης, παραφροσύνη ἔλαβεν. *Ex stupore deliratio concitatur.*

COMMENTARIVS.

Παραφροσύνη, deliration interpretati sumus, quæ proprie senum est; quod Marcus Tullius adnotauit in libello De senectute. sic illa senilis stultitia, quæ deliratio appellari solet,ea ex frigiditate oritur, & eam febris nondum subsequitur. febris vbi consecuta est, non amplius παραφροσύνη, sed φρενῖτις appellatur; id autem paulo post ipse noster auctor luculente tradit.

XII. Ὡς γὰρ ὁπόταν καθημένῳ πολὺ χρόνον, τὸ ὑπὸ τῶν ἰσχίων καὶ μηρῶν αἷμα, ἀποπιεχθὲν ἐς τὰς κνήμας, καὶ τοὺς πόδας, ναρκῶδες φέρῃ τοῦτο ὃ τῆς ναρκης, ἀκρατέες οἱ πόδες, ἐς ὀδυπρεῖλιν γίνονται, ἔς' ἂν ἀναχωρήσῃ τὸ αἷμα ἐς ἑαυτό. ἀναχωρέει δ' ταχιστα, ὁκόταν τις ἐν ὕδατι ψυχρῷ. πηγνέτω δ' αὖθις τῶν σφυρῶν. Αὕτη μὲν οὖν ἡ ναρκη, εὐήνιος. ταχὺ γὰρ παλιρροεῖ, διὰ τὴν ἰθύτητα τῶν φλεβῶν. καὶ ὁ τόπος τοῦ σώματος, οὐκ ὀπίκαιρος.

Quemadmodum cum quis diutius sederit sanguis ex coxis,ac femoribus depressione depulsus tibiarum,ac pedũ stuporem affert. Stupor autem in caussa est, vt pedes suis muneribus

muneribus minime fungantur, id est minus apti ad deambulandum reddantur, quousque sanguis ad ipsos refluat. refluit autem celerrime, cum eos demittimus in aquam frigidam, quæ malleolos, & coxas subluat. Atque huiuscemodi stupor nullo negocio abstergitur; cito enim refluit sanguis, quod venæ ad eum locum ductæ, ac directæ sint; atque inter corporis sedes ea minus periculosa est.

COMMENTARIVS.

DILVCIDE adeo qua ratione torpor in interioribus partibus generetur, explicat exemplo torporis, quem depressio afferre solet, vt turpe profecto sit nos ad hanc particulam enarrandam longiorem orationem comparare, quod antea copia faciebat, vt cursus humorum, & spiritus interrumperetur, nunc præstat compressio, quæ impedimento est, ne sanguis ad pedes peruenire possit. In hac autẽ particula duo merito requiri possunt; vnum, quod hoc loco tantummodo de venis meminerit, & neruorum mentionem omiserit; alterum, quod genus curationis secutus sit. respondetur in Hesychii lexico ita scriptum nos inuenisse; φλέψ, μώλωψ, ἢ τὸ αἰὰλογρ τῷ σώματι, id est vena flagellum ex boue, & quod corpori maxime respondet. quapropter venam & arterias, & venas, & neruos, & tendines significare censendum, quæ omnia, quod comprimantur spiritus, & sanguis retro conuertuntur, ac quodammodo refugere videntur. Galen. de vsu pul. cap. 111. venas autem & arterias, & venas appellari & a Platone, & ab Hippoc. apertum est. Quod autem ad genus curationis pertinet, eam maxime secutus videtur, quam Hippoc. verus nobis tradidit lib. v. sententiarum xx. Ita est, in neruorum distentione in qua nullum consecutum sit vlcus, inueni bene carnoso, summa æstate frigidæ aquæ copiosior profusio calorem reuocat. calor autem hæc egregie abstergit. in ea sententia Galen. recte animaduertit in alia ætate ni-

hil prodesse; namque frigidæ aquæ impetus aut superat calorem natiuum, aut eundem mouet, & excitat. Vincitur cum imbecillior sit; redit, cum validior sit. atque hunc antiquissimum auctorem de eo torpore verba facere omnes intelligimus, qui eos præsertim occupet, qui a viribus firmiores sint, colligit autem torporem illum nullo negocio profligari posse ex partium situ; vasa enim directa sunt ad eum locum.

XIII. Ἐκ δὲ τῆς καρδίης & τῶν φρενῶν, βραδέως παλιρροεῖ· ἐπικάρσιαι γὰρ αἱ φλέβες, & ὁ τόπος ἐπίκαιρος, ἔστι παραφροσύνῃ & μανίην ἕτοιμος. *At ex corde, & septo transuerso tardius refertur; venæ enim obliquæ sunt, & locus periculosus, & ad delirium, & ad insaniam procliuis.*

COMMENTARIVS.

COLLATIONE facta torporis, qui in tibiis, ac pedibus consequitur, cum eo, qui ex sanguine cor occupante concitatus sit, nunc quantum alterum ab altero distet, aperte explicat. etenim alterum cito profligatur, alterum serius abstergitur. causam subdit, quod venæ flexæ, contortæque sint. positus vero id probe indicat: At partis præstantia, in qua domicilium animæ est nostræ, sane indicat, & periculum creare, & παραφροσύνην, & maniam posse excitare. παραφροσύνη, est (vt ita dicam) motus errans facultatis, quæ vim & ratiocinandi, & cogitatione aliquid fingendi obtinet. At qui hoc in loco de ea, quæ febri coniuncta est. & hæc mania (ni plane fallor) ab exputrescente sanguine calidiori concitatur. qua in re tametsi Hippoc. minime sequar, mirifice tamen huic auctori quadrare videtur, qui & ab Hippoc. aliquando ad Aristotelem defecisse visus est.

XIV. Ὁκόταν δὲ πληρωθέωσι ταῦτα τὰ μέρεα, & φρίκη ξὺν πυρετῷ αἰ αἴσει, πλανῆτας τὸς πυρετὸς καλέουσιν. *Cum autem partes hæ refertæ fuerint, & horror cum febre vrget; febres autem planetas appellant.*

COM-

COMMENTARIVS.

AFFERT rationem, cur facile in delirium, & insaniam incidant Virgines, cum hæ venæ completæ fuerint, & δὲ pro δὴ vsus est; quod plane nouum nemini esse arbitror. Cum partes igitur, hæ venæ scilicet, quæ circa præcordia, & cor feruntur, plenæ, ac refertæ sint sanguine, tunc obstructio consequatur necesse est, hæc putredinem concitat, putredo febris faces incendit. Horrorem a frigidioribus causis excitari obscurum non est, & ab iisdem causis fluere, & eodem fere pacto gigni, atque rigor; at horroris causæ leniores multo, parciores, & minus commotæ videntur. Febres πλανήτας vocat, quorum accessiones, ac progressiones vix, ac ne vix quidem notare possumus; quippe quæ ab aliis, atque aliis humorum generibus concitentur. De hisce Hippoc. verus primo De morb. vulg. comm. 11. Part. XVI. & XXII. diuersis humorum generibus affluere, ne dum Virgines, verumetiam & mulieres illi optime norunt, qui in re medica quotidie versantur. ego vero sæpissime febres illas nullos certos habuisse circuitus obseruaui, sed quid ego? Galen. in partu sanguinem modo biliosum, modo melancholicum, modo virulentum, modo pituitosum, aut mediocriter bonum effundi commemorat primo De m. v. c. III. p. XXI. Virgines autem pro temperamenti ratione alia, atq; alia humorum genera coacernare verisimile est, ad quæ respiciens antiquissimus auctor diuersa in medium affert symptomata, quorum rationem probabiliter deinceps reddere conatur.

Ἐχόντων δὲ τουτέων ὧδε, ὑπὸ τῆς ὀξυφλεγμασίης, μαίνεται. XV. *Cum hæc igitur ita se habeant, grauior inflammatio efficit, vt plane in furorem agatur.*

COMMENTARIVS.

EVENTVVM, vel symptomatum rationem aperte admodum ante oculos ponit; quippe qui metho-

do diuisiuæ perpetuo inhæreat; etenim cum hac via ad Virgines processisset, & ad eas, quæ menstrua minime profunderent, peruenisset; menstrua retenta vel febrem excitare, vel eam minime adiicere animaduertit. atque cum diligenter egerit de iis, quæ consequuntur, cum febris minime vrgeat; constitueritque hosce humores, qui alii, atque alii sunt, copia, atque affluentia obstructiones excitare, inflammationes, ac deniq; febres; ab iisdem humoribus inflammatis in furorem agi virgines aliquando solere tradit; cum enim inflammentur, ac extorreantur, vsq; eo commouentur mulieres, vt insaniant. Aetius libro VI. cap. VIII. testatur, si cum sanguine flaua bilis adeo admisceatur, vt acrior reddatur; & eo humore cerebrum, & eius membranæ stimulentur, ac exagitentur, parum abesse quin in furorem agantur, qui hoc morbi genere correpti sunt. Animaduertendum quod nos vertimus, furit, quod μαίνεται scriptum reliquit antiquissimus auctor.

XVI. ὑπὸ δὲ τῆς σηπεδόνος, φωνέει. *Putredo autem, vt vocem emittat.*

COMMENTARIVS.

ITA est, vt scriptum reliquit Aetius loco citato. quod tunc ægroti maxime dolent, cum materia aliquam partem irrumpit. quapropter verisimile est has protinus vociferari, quod putridam exhalationem quandam maxime extrudere conẽtur, quæ quoniam membra nobiliora male habet, perpetuo virgines ingemiscunt. Notaui ego sæpe eas magna quædam edere suspiria, & expirationem maiorem multo esse, quam inspirationem:

Qui eiulatu, questu, gemitu, fremitibus,
Resonando mutum, flebiles voces refert.

XVII. ὑπὸ δὲ τοῦ ζοφεροῦ, φόβεται ὃ δέδοικεν. *Caligo, & obscuritas, vt timeat, ac extimescat.*

COM-

COMMENTARIVS.

MELANCHOLICVM humorem atrum esse, nemo est qui iam nesciat; & vapores, qui ex ipso excitantur, tenebricosiores esse maxime verisimile est. nihil ergo mirum si melancholica euenta consequantur vbi huiusmodi humor abundat, ea autem egregie adscripsit Hippoc. VI. sententiarum XXIII. si metus, & mœstitia diutius perdurarint, continuo melancholiam significant. atque cum alia, atque alia subsequi soleant symptomata, hæc potissimum duo in omnibus melancholia correptis fere reperiuntur. nunc de timore scilicet, mox de mœstitia. Timor igitur eos occupat, animam autem, quæ rationem obtinet, atra bilis corripit. videmus vero nihil tam extimescendum esse extrinsecus, quam tenebræ, recte igitur Aetius. cum veluti caligo quædam illi animæ parti, quæ rationem habet, obiecta est, eam timor merito vrget; quippe quæ timoris causæ id est tenebræ eam circumuallent.

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cœcis
In tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
Interdum nihilo quæ sunt metuenda magisquam
Quæ pueri in tenebris pauitant, metuuntque futura.

Chrysippus II. de Decretis Hippoc. & Plat. Plerique omnes in eam sententiam descendere mihi videntur, vt in pectore, & præcipue eo loco, quo cor est, collocatum est, prope sentiant affectus, qui mentem perturbant, quod maxime in timoribus, ægritudinibus, ira, atque excandescentia accidit. Seneca VI. Naturalium quæstionum XXIX. Nemo sane, inquit, sine aliqua iactura sanitatis expauit, similisque furenti quisquis timet. Sed alios cito timor sibi reddit, alios vehementius perturbat, & in denmentiam transfert.

ὑπὸ δὲ τῆς περὶ τὴν καρδίαν πιέξιος, ἀγχόνας ποιέεται. *Cordis angustia, vt laqueos paret.* XIIX.

COMMENTARIVS.

TAMETSI antiquissimus scriptor ea circa cor maxime sentiri arbitratus fuerit, ego tamen angustias cordis verti, quod eædem potissimum cor attingerent. Angustiæ autem vitæ desperationem afferunt; diutius enim eas se ferre minime posse fatentur virgines, quare animum despondēt, & collum in laqueum inserunt, manus autem afferunt sibi ipsis, quod (vt Aetius tradit) maioribus ex malis se emersuras putent. hoc loco mire quadrant illa veteris Poetæ;

Maior mihi moles, maius miscendum malum,
Qui illius acerbum cor contundam, ac comprimam.

XIX. ὑπὸ δὲ τῆς κακίης τῶ αἵματος, ἀλύων τε ἀδημονέων θυμὸς καὶοὶ ἐφέλκεται. *Sanguinis autem prauitas, vt animus mœreat, perturbeturque, & malum accersat.*

COMMENTARIVS.

PRAVITATEM humorum animæ insignes inferre solere iniurias probe quoque nouit Plato, qui in Timæo fere sic. Cum enim acidæ, & salsæ pituitæ, amari item, bilioſique humores, qui modo in hanc, modo in illam corporis partem vertuntur si extra quidem minime ferantur, sed intus concluſi vaporem, quem efferunt, animæ, quæ perpetuo mouetur, permiscuerint, varios animæ morbos afferunt, cum grauiores, tum leniores, cum maiores, tum minores, qui dein ad tres animæ sedes delati, ad quamcunque appulerint, varias animi molestias, & mœstitiæ species pariunt. Egregie vero in re maxime perturbata vsus est verbo, quod pugnantia significat; cum enim minime tranquille in hoc casu seipsis fruantur ægroti, nulla nō symptomata expectanda, vel potius timenda sunt. atque si vlla est ægritudo, quæ cum corporis vexatione male habeat ægrotos, hæc profecto est. Ac tametsi ἀλύω contraria significet, gaudeo scilicet, & mœreo; declarauit

declarauit tamen cum adderet ἀδημονέων, quod anxietatem, & angorem significat; illud enim &, ita accipimus, vt sensum auctoris explicet; cum enim perpendisset in medium se verbum attulisse, quod ambiguum erat, aliud statim adscripsit, quod totam rem non modo aperuit, verum etiam illustrauit. de timore supra. nunc de mœrore, & de totius ægri status perturbatione. ergo absolutam Hippoc. sententiam habemus, & duo illa symptomata timorem, & tristitiam, quæ in omnibus fere elucent. veruntamen harum species aliæ, atque aliæ sunt, propterea quod alia, atque alia sunt, quæ animo sibi pingunt melancholici. illud in primis, quod ægritudines arcessunt; id enim valetudinis vitio fit, vt animo tristitiam libenter agitent, quæ ægritudinem continuo ampliorem faciunt. Et Chrysippus affirmat nec se ipsos continere posse homines a perturbationibus victos, ac superatos. Hinc illa;

Τίποτε ἐργάσεται μεγαλόσπλαγχος δυσπαθῶ παῦσος ψυχὴ X X.
δηχθεῖσα κακοῖσι, *Quidnam tandem faciet anima viscerosa, atque irrequieta æstro irrita malorum? & Horatius:*

Acerba fata Romanos agunt.

Ἔπρουδε, & φοβερὰ ὀνομάζει. *Veruntamen, & aliam trepide appellat.*

COMMENTARIVS.

HÆc nullo negocio ostendunt haud facile posse enumerari ea symptomata, quæ huiuscemodi morbum consequuntur, & nulla non ratione permouere, ac permutare ægrotantes, quod & Aetius luculente tradit. atque huius symptomatis causas afferri non potis est. quod idem auctor animaduertit loco citato lib. VI. cap. IX. falsis autem visionibus, ac spectris moueri virgines nemo, vt arbitror, non intelligit, atque ea nomine appellare affirmat. ea autem spectra excitare vapores verisimile est, qui superiora loca petant; & ab illis humoribus efferuntur.

XXI. Καὶ κελεύσοιν ἄλεσθαι & καταπίπτειν ἐς τὰ φρέατα, & ἄγχεσθαι. ἅτε ἀμείνονα τὰ ἐόντα & χροιλὼ ἐξέσχοντα παντοίην. *Et in puteos se abiicere, & decidere, & strangulari imperat; quasi meliora ea sint, & omnia vitæ commoda facile superent.*

COMMENTARIVS.

REPERIVNTVR nonnulli melancholici (quod tradit & Aetius) qui mortem mirifice exoptent, quapropter continuo sibi manus afferunt; quod iccirco eos facere, & ipse arbitratur, quod morte mala depellere putent, quæ in illos inciderunt, sic & Plato in Phædone (exceptis semper philosophis) ceteros omnes maiorum malorum metu mortem appetere testatur, hisce fere verbis. Nosti, inquit, reliquos omnes mortem maximum malorum censere. probe, inquit, nunquid maiorum malorum metu hi, qui ex his fortiores sunt, cum ei se offerendi locus esse videtur, mortem non effugiunt? ita profecto res se habet. At Lucretius id mortis formidine accidere affirmat lib. III. hisce versibus;

Et sæpe vsque adeo mortis formidine vitæ
Percipit humanos odium, lucisque videndæ,
Vt sibi consciscant mœrenti pectore lethum,
Obliti fontem curarum hunc esse timorem.

Aetius testatur se vidisse nonnullos, qui putarent dæmonas immissos inimicorum præstigiis. At illi humores melancholicos a seipsis conceptos continent, ex quibus dęmones illi nascuntur. Petrus Crinitus lib. III. De honesta disciplina cap. IX. narrat in Gallia, quæ vulgo Lugdunensis vocatur, permultas olim fœminas in puteos, & vndas se coniecisse, cum nullo antea morbo conflictarentur. Lucret. in grauiss. Atheniensium pestilentia idem nonnullis contigisse testatur hisce versibus;

Multi præcipites lymphis putealibus alte
Inciderunt.——

Quid?

Quid? non ne Laurentianus Florentinus, qui multa Hippoc. & Galeni volumina Græca Latina fecit, atra bile percitus in puteum, se tandem abiecit? Quæ Galenus de melancholia tradit lib. III. De partibus ægritudine affectis cap. VII. nota sunt sanis, & sobriis medicis. De animorum vero perturbationibus omnibus sic D. Gregorius Nazianzenus orat. XXVI. *Timor animum constringit, Fiducia soluit, mœror contrahit, Latitia diffundit, Liuor tabem excitat, Superbia effert, Spes erigit, Iracundia in furorem agit, Pudor rubore suffundit ebulliente sanguine, eo recedente Pallor occupat.*

Ὁκότε δὲ ἄνευ φαντασμάτων ἡδονή τις ἀφ' ἧς ἐρᾷ τὸ θανάτου, ὥσωφ πνος ἀγαθοῦ. *Sine visis autem voluptatis tanta est aliquando titillatio, vt mortem quasi bonum quoddam expetant.* XXII.

COMMENTARIVS.

BARBARIS quidem olim optabile erat e vita migrare; at nos Christiani ita a vita abire volumus, vt ex corporis carcere Dei optimi maximi voluntate aliquando liberati in viam beatæ vitæ, id est in cœlum ab eodem Deo deducamur. Venit nunc mihi in mentem Milesiarum Virginum nouum insaniæ genus, de quibus Plutarchus scilicet. illæ se vulgò suffocabant. aëris intemperiem nonnulli id malum attulisse putabant. qui sapientiores habebantur, Diis illud acceptum referebant; at noster auctor idem antiquissimus, ac prudétissimus horum malorum culpam omnem in menstruorum detentionem, ac suppressionem referendam semper censuit.

Φρονησάσης δὲ τῆς αἰθρώπου τὴ Αρτέμιδι αἱ γυναῖκες ἄλλα τε πολλὰ, ἀλλὰ δὴ, & τὰ πολυτελέστατα τῶν ἱματίων καθιεροῦσι τῶν γυναικείων, κελευόντων μαίνεων, ἐξαπατώμεναι. *Vbi animum conuertere incipiunt, cum alia multa, tum pretiosissimas vestes Dianæ monumentum faciunt, qua in re ab homine vate fictis verbis inducuntur.* XXIII.

COMMENTARIVS.

SI huiusce scriptoris sententiam dilucidare profitear, nihil est, vt veterum testimonia colligam. perpendant studiosi librum De sacro morbo, quem paulo ante de manibus demisi. in hoc nihil est, quod maximam operam ponamus. Pausanias in Corinthiacis hæc fere: eandem instituisse, vt Trœzeniorum virgines ante nuptias zonam Apoturiæ Mineruæ dicarent. Virgines etiam, quæ nupturæ erant, zonam Dianæ dicare solitas Suidas testatur. Et Horatius;

Vt mala quem scabies, aut morbus regius vrget,
Aut phanaticus error, & iracunda Diana.

eam vero σιλλωιακῶν νόσον immittere solere iis, a quibus læsa erat, planum est. cæcitas illorum temporum fuit sane quam admirabilis.

XXIV. Ἡ δὲ τῆς ἀπαλλαγῆς θεραπεία, ὁκόταν τὰ μὴ ἐμποδίζη τὸ αἷμα τὴν ἀπόῤῥύησιν. *Veruntamen, vt restituantur, curationis ratio sic tenenda est, vt cum nihil interpellet, sanguis protinus detrahatur.*

COMMENTARIVS.

CVRATIONEM adscribit, quam ex artis præceptis vulgo medici adhibebant, quam non improbat; at suæ curationis rationi minime anteponit. atque illi nulla in hoc morbo medicamẽta capiti imponebant, quod Archigenes factitabat, in quem scilicet Galenus, sed ad illud decurrerunt remedium, cuius profecto nullum facilius, nullum commodius, nullum magis salutare est, quam sanguinis emissio. Nihil est, quod hoc loco medicamenta cum sanguinis missione conferam. hoc a Galeno factitatum est in loco minime obscuro in libro videlicet, in quo qua ratione in vnoquoque morbo pugnandum sit, sanguinis detractione docet: cur autem ad scalpellum statim procedendum sit, breuiter aperiamus; hoc enim studiosi magis requirunt.

requirunt. Hunc morbum copia, atque affluentia sanguinis excitat; sanguinis igitur detractio ægrotos ad sanitatem perducet. cum autem duplex sit multitudo, & quæ vires opprimat, & quæ vasa compleat, hoc loco sanguinem in vasis congestum, ac coaceruatum intelligit. quæ res sanguinis detractionem mirifice desiderare fatentur omnes vno excepto Erasystrato, in quem inuehitur duobus voluminibus Galen. extat vtrumque. sat est itaque lectores admonuisse. præclare addit, si nihil nos auocet. multa autem nos aliquando abstrahere solent; tempus anni, regio & animi imbecillitas; in ipsa enim detractione animus Virgines relinquit. sed quid Virgines? non omnes eadem ferre possumus. alius ad aliud medicamentum appositus est. Valeant autem illi Medici, qui sanguinis detractionem in virginibus, quæ graciliores videntur, tantopere perhorrescunt. qui profecto recte minime iudicant: graciliora enim corpora referta magis sunt sanguine, quam obesa, quod & animaduertit Galen. in lib. de via, ac ratione curandi. Et ego sæpe puellas defectis menstruis tabe prope correptas ad pristinam valetudinem reuocaui copiosiori sanguinis detractione. Hanc curandi rationem, quæ præceptis artis prorsus nititur sequi debent, qui Virgines Deo dicatas percurant.

Κελεύω δ' ἔγωγε τὰς παρθένους ὁκόταν τὸ τοιοῦτον πάσχωσιν, ὡς τάχιστα ξυνοικεῖσθαι ἀνδράσιν. *Ego vero auctor sum, vt virgines, quæ huiusce modi malis conflictantur, vt quam celerrime cum viris coniungantur.* XXV.

COMMENTARIVS.

NON enim semper medicus vel ad medicamenta, vel ad sanguinis detractionem confugere debet. petenda aliquando auxilia sunt a pruden-

tia, quæ non minus medico neceſſaria eſt, quam multorum librorum ſtudioſa, ac diligens volutatio; hinc illa ex libro De Venuſtate: Non temere profecto iudicarunt, qui ſapientiam ad multa vehementer conducere conſtituerunt, eam ſcilicet, cui in vita inſtituenda honos habetur. Quam longe igitur aliquando ponenda eſt res medica; & quod prudentia deligit (quod tamen a re medica longius non recedat) ſentiendum, atque agendum. Res enim medica maxime ſecundum naturam eſt, quod & ſcriptum eſt in libro De flatibus: Virgines autem, cum corpora commiſcent, venarum oſcula aperiuntur, viæ recluduntur, aditus patent, ac magna conſequitur agitatio, & motus, cui calor quoque accedit, quod & auctor περὶ γονῆς tradit hiſce prope verbis: Naturalia fœminarum, dum venereis voluptatibus fruuntur mulieres, fricantur, ac teruntur; Vteri autem commouentur, & prurigo quædam oritur, & voluptatis titillatio, ac caliditas accedit. quapropter, & menſtrua facile proueniunt, quæ defecta morbum antea efficiebant.

XXVI. Ἢ γὰρ κυήσωσιν ὑγιεὲς γίνονται. *Etenim ſi conceperint, ad ſanitatem producuntur.*

COMMENTARIVS.

SI ſemen comprehenderint, valetudinem priſtinam ſatis videbuntur aſſecutæ; ſemen enim vbi comprehendit vterus, fœtus procreatur, & ſanguis ad eum prolabitur, qui cum in Virginibus affluat, horumque malorum initium attulerit, cauſa reiicitur, & morbus protinus abſtergitur.

XXVII. Εἰ δὲ μὴ ἔη αὐτέων ἅμα τῇ ἥβῃ, ἢ ὀλίγῳ ὕστερον, ἀλώσεται εἰ μὴ ἢν ἀνδρωθῶσι. *Sin minus aut cum pubertate aut paulo poſt conflictabuntur, niſi ſi nupſerint.*

COMMENTARIVS.

SI neque in matrimonium collocatæ ſint Virgines, neque vterus ſemen amplexus ſit, nihil mirum ſi morbus,

morbus, aut dum pubescunt, aut paulo post ingraue-
scat; sanguis enim in hac ætate superfluit. ergo si neq;
grauida facta fuerit Virgo, neque cum viro coniuncta
sit, tametsi semper his menstrua non supprimantur; ta-
men quod sæpius menstrua minime respõdeant, hisce
morbis confici consueuerunt. Nuptiæ igitur grauissi-
mum egregie morbum finire possunt.

Τῶν δὲ ἀνδρωμένων γυναικῶν, αἱ στεῖραι μᾶλλον ταῦτα πάσχουσιν.

Verùntamen inter mulieres, quæ viris coniunctæ sunt, ste- XXIIX.
riles magis his infestantur.

COMMENTARIVS.

QVÆ ventrem ferunt, morbo se se protinus liberãt; at quæ grauidæ minime fiunt, huiuscemodi malis conflictantur; quippe quæ menstruis minus rite sæpe purgentur. ex quibus causæ pendent, quæ ea symptomata concitant; etenim non steriles simpliciter hisce malis corripiuntur; verum illæ tantummodo, quibus menstrua rite non respondent. quibus enim menstrua rite feruntur, hæc non subire mala verisimile est; eorũ enim causa protinus remota, ac sublata est. Vidimus nos multas huiuscemodi morbis obiectas, quæ viro coniunctæ erant; at nullas eas alere ægritudines animaduerti, quæ ventrem ferrent. Ad hunc finem perductus est antiquissimus auctor via, ac ratione diuisiua; cum enim mulierum (vt diximus) quædam Virgines sint, quædam nuptæ, quædam viduæ; & nuptarum quędam semen retineant quędam vero abiiciant; atq; cum in morbis Virginum, & eorum curatione eò processisset, vt cum viris eas coniungeret, facile animaduertit ad nuptas se peruenisse, quæ neq; prægnantes erãt, neq; illis menstrua ferebantur; in quibus cum eædem causæ reperiantur, iisdem quoq; morbis continuo confici necesse est.

Deo Vni, & Trino sempiterna
Laus, & Gloria.

REI MEDICÆ

STVDIO STIPENDIVM SEXTVM,

IOANNIS BAPTISTÆ

DONATII;

De aquis Lucensibus Libri IV.

EDITIO QVARTA.

IN QVA QVID PRÆTEREA

præstiterimus inuersa pagina indicabat.



FRANCOFVRDI

Apud Ioannem Wechelum,

M D X C I.

QVÆ IN HOC OPERE PRÆSTITIMVS.

In I. *libro de Lucensium aquarum natura in vniuerso disputamus : in quo nostræ de aquarum natura rationes prorsus alio modo se habent, ac quæ allatæ sunt a ceteris, qui hactenus de illis scripserunt.*

In II. *de aquarum Villensium qualitatibus & gradibus appellatis, de exhauriendi ratione, de iis, quæ perscribenda, & reiicienda sunt, de victus ratione, de Balnei vsu luculenter agimus.*

In III. *de aquarum Calidarum natura & gradibus (sic enim vulgo vocantur quædam aliæ aquæ) de earum vsu, de Sudationibus, de Ducciis, de Barnabonis, de D. Ioannis, de D. Luciæ aquis, & earum vsu pertractamus.*

In IV. *de his, quæ in aquis Lucensibus desiderantur, scribimus. & qua ratione rerum varios euentus frangere, ac debilitare debeamus, ostendimus.*

AVCTORES QVI IN HOC OPERE LAVDANTVR.

ACcius
Aetius
Agellius
Albertus Magnus
Alexander Aphrodiseus
Alexander Trallianus
Ammianus
Andreas Baccius
Archigenes
Aristoteles
Athenæus
Basilius Magnus
Bion
Catullus
Clemens Alexandrinus
Celius Aurelianus
Celius Rodiginus
Cornelius Celsus
Diodorus Siculus
Dioscorides
Ennius
Euripides
Falopius
Festus
Flamminius Nobilius
Galenus
Gentilis de Fulgineo
Georgius Agricola
Gregorius Nazianzenus
Hesychius
Hippocrates
Homerus
Ioannes Alexandrinus
Isidorus
Iulius Pollux
Iustinus
Lucilius, Lucretius
M. Terent. Varro
Nonius Marcellus
Ouidius
Paullus Ægineta
Paullus Silentiarius
Pausanias
Philemon
Philo
Philostratus Lemnius
Pindarus
Plautus
Plato, Plinius
Q. Claudius
Q. Horatius
Rases
Reinerius Solinander
Sauonarola
Silius Italicus
Soranus
Strabo
Theocritus
Theognis
Theophrastus
Virgilius
Vitruuius.

AQVÆ LVCENSES.

Hic nitet aer, & hic lux omnes pertulit vmbras,
Hinc Deus & medicas currere iußit aquas.
Salue largitor libertatis, dator idem
Perpetuæ, ſacræ, luxuriantis aquæ.
Hoc vidiſti libertatem robore egere
Corporis; hoc morbus pellitur auxilio.
Tu memor & Deũ, & ipſas iã venerabere Nymphas,
Et qui non trepido didicit ore loqui.
Nam hanc operam patriæ, Muſis Donatius, vrit
Quem virtutis amor, reddidit ex animo.

IOAN.

IOAN. BAPT. DONATII,

DE AQVIS LVCENSIBVS,

LIBER I.

Scribendi cauſſa, & occaſio.

CAP. I.

CAPIEBAM antea voluptatem animo ſane haud mediocrem; cum audiebam doctos, diſertoſque medicos præclara quædam de aquis Lucenſibus volumina edidiſſe. etenim cū res ipſa propter ſingularem eius vtilitatem digna ſit, quæ ab omnibus cognoſcatur, tum vero propter eiuſdem obſcuritatem idonea ſemper viſa eſt, vt in Aquarum facultatibus perueſtigandis honeſtioris ordinis Medici omne ſuum ſtudium ponerent. nunc vero, cum tribus his ſuperioribus annis, quos in natura earum perſcrutanda totos plane conſumpſi, facile animaduerterim eos ad ſcribendum de his aquis animum appuliſſe, qui eas nunquam viderunt, quod abeſſent fortaſſe longe gentiū, partim vero illos, qui, cum quid in aliorum ſententias dici poſſet, haud facile inuenirent; & veritatis inueſtigandæ laborem ferre non poſſent grauiſſimum, ad aliorum ſententias nullo negocio acceſſerūt; perſpicio me in eum locum adductum, vt aut ingenue, quicquid ſentiam, mihi ſcribēdum eſſe intelligam, aut reticendum, quod ciuibus, & neceſſariis meis maxime prodeſſe poteſt, & futurum aliquando eſt perhonorificum. Reſp. Lucenſis peregrinos perpetuo honore afficit, obſeruantia colit, optimum quemque hoſpitio accipit; laborare igitur debemus,

vt quæ tot, tantoſque viros, principes amicitia quotannis nobis coniungunt aquæ illis ornamento, ac præſidio, non detrimento eſſe poſſint. quamobrem vel pro patrię in me meritis immortalibus, vel pro eorum neceſſitate, quorum res agitur, hoc ſcribendi munus refugere minime potui; namq; neque beneficiorum memoria morte deleri debet, neque ægrotantes ſine ſumma infamia deſeri poſſunt, quibus vel peregrinis muneris loco, hæc deferre maxime volumus. Verumtamen hac in re nihil eſt, quod magis me à ſcribendo hactenus deterruerit, quam nonnullorum importunitas; qui cum infeſti omnibus ſint, curſum laborum noſtrorum nunquam non inflectere, ac reuocare conati ſunt; neque enim æquum eſſe cenſent, mihi, qui cuncta cæteris facile conceſſerim, tantum ſumere, vt ea, quæ natura obſcuriſſima ſunt, ſolus videre poſſim; etenim in abditis, ac inuolutis rebus inueſtigandis cæteros iis adiumentis caruiſſe veriſimile non eſt, quibus me minime affluere ſentio; quippe qui & fortunarum, & ingenioli mei tenuitatem, & meæ infirmitatem valetudinis probe norim. At hi ſi ſcirent ea, quæ palam natura ipſa, ante oculos omnium aperte poſuit noſtro ſæpe fieri vitio obſcuriora; & in re, in qua plures reperiuntur æmuli, nec deeſt, quod in certamen veniat, omnium præcipue elucere ſolere induſtriam, audacter hæc minus dictitarent. ego vero omnes omnium maleuolorũ voces miſſas faciens meas omnes liberè, ſincereque in medium afferam cogitationes, patriæque meæ hunc fructum ingenioli mei, quantus, quantus eſt, beneuolo animo offeram, ac dicabo. Hac in re cum induſtriam exercuero, in qua experientia laudem, ſucceſſum Deus afferre ſolet, præclare ſane poſitam operam meam eſſe arbitrabor, ſi nonnullorum ſolertię, & ſedulitatis meæ ſpecimen ciuibus meis apparebit.

Propo-

Propositio. CAP. II.

DEliberatum autem mihi nunc est, nimias contentiones omnes, inanesque nonnullorum quæstiones protinus abiicere, & in primo libro Lucensium aquarum naturam, quæ paulo mihi semper visa est occultior, quam breuissime explicandam suscipere: in II. de Villensibus, in III. de Calidioribus, de Ducciis, de Barnabonis, de D. Ioannis & D. Luciæ aquis agere, in IV. quæ in illis desiderari merito posse videntur, necessarioque addi velim, dilucide exponere, & qua ratione euentus rerum varios frangere, ac debilitare debeamus ostendere. Hæc si Deo Opt. Max. & Maria Nunciata tutelina volentibus & adiuuantibus (quod spero) perficiam, doctrinæ, iudicii, ac experientiæ aliqua profecto elucebit nota. Etenim harum aquarum & species, & partes, & illarum denique affectiones declarandæ sunt; quamobrem & caloris causas, & principia nobis sunt diligentissime inuestiganda; differentiæ, & quæ materiam, & quæ formam spectant, in medium sunt afferendæ; & proprietates, operaque illarum, vt se dederunt, causę, principia, & elementa, sunt renuncianda. Cum igitur de Aquis Lucensibus protinus acturi simus, aquarum omnium naturam, montisque situm exprimamus.

Montis situm describit, & aquarum naturas.

CAP. III.

MOns ille, ex quo aquę calidiores omnes defluunt, ab vrbe distat XVI. M. P. qui omnibus ex partibus circumcisus nō est, namque eius iugi pars, quæ ad Septentrionem vergit, coniungitur cum alio maioris paullo altitudinis fastigio, quod Aquiloni officiens ad orientem solem æstiuum conuersum, ac circumductum flumen attingit, quod Lima vulgo vocatur. Huic

vallis,& planicies ſubeſt. Ab eodem flumine radices montis ab Oriente,& à Meridie ſubluuntur;à Septentrione vero,& Occaſu à Camalione, quæ flumina ſub eiuſdem montis radicibus quæ Meridiem ſpectant, confluunt in Auxerim. Ex omnibus autem partibus habet montes altiſſimos,ab Occidente,&Septentrione Granariolam,& Contronem, ab Oriente & Meridie Contronem, & Benabbium; terra cultior eſt, & ferax,cuncta pene ibi naſcuntur,ac nata coluntur.Caſtaneæ vero etiam egregiæ fiunt; vitibus fere cooperta tota terra eſt; locus ſalubris, ſolum vero omnino macrum,ac ſolutum, humidius multo, quam ſiccius. VII. reperiuntur in hoc monte calidiores aquarum fontes.in iugo prope montis,quod vergit ad Occidentem ſolem æſtiuum, & Septentrionem aquæ D. Ioannis poſitæ ſunt,ad Orientem vero æſtiuum, & Septentrionem Villenſes aquæ. paullo infra in medio fere monte ſitæ ſunt aquæ calidiores,& ante eas planicies. P. circiter XV. Occidenti obiiciuntur. Ad aquarum diuortia ad dexteram ſcatent aquæ D. Luciæ oricullariæ. Ducciæ vocatæ ſub illas ſitæ ſunt,ad Meridiē æſtiuum, & Occidente hybernum vertuntur. ſub his poſitus eſt fons vulgo Barnabonis appellatus,qui ad Meridiem,& Occidentem ſolem vergit. Rubræ olim appellatæ in radicibus fere montis poſitæ Occidentem hybernum ſpectāt. fontes hi calidarum aquarum tametſi ab vno, & eodem erumpunt monte, alio tamen, atque alio præditæ ſunt odore, ſapore,& facultate. D. Ioannis aquæ nullum odorem,ac ſaporem nactæ videntur,pellucent. at Villenſes odorem grauem proferunt, grauiorem multo aquæ, quæ quoniam vulgo calidiores appellantur,nos quoque aquas calidiores poſthac appellabimus: omnium autem grauiſſimum fons Barnabonis afflat,ab eo enim nomen accepit,qui ab illis,cęteris aquis reiectis tandem aliquādo ad ſanitatem perductus eſt.In illius montis diuortio,quod ad Occidentem

tem ſpectat, ſaxa nigredine quadam oblita, & oleo delibuta videntur. incenſa bitumen iudaicum referunt. In Barnabonis vero fonte oculis etiam ipſis ſtatim, vbi aquæ defluere incipiunt, apparet idem color. Villenſium aquarum labrum colore Rubricæ infectum videmus. A quo autem loco ex Balneis Villenſibus Limam verſus aquæ foſſa ducta delabuntur, ſaxa ferrugine, vel potius nigredine quadã tincta videntur. lintea, ſi in eadem aqua abluantur, iactentur, fricentur, nunquam purgantur; & rubedine quadam infecta perpetuo obſeruamus. In montis ea parte, quæ Orientem ſolem hybernum ſpectat, reperitur haud vulgaris terræ ſinopicæ copia. in vicinis montibus inuenitur Gagates, quod & Renerius Solinander teſtatum reliquit.

Has aquas ex Alpibus minime defluere.

CAP. IIII.

ANtequam vero ad eam orationem venio, quæ propria noſtræ eſt quæſtionis, conuellenda eſt quorundam opinio, qui cum de harum aquarum natura probabiliores rationes afferre minime poſſint, ad illud maxime confugere ſolent, quod vulgo nunc iactatur, has aquas calidiores ex Alpibus (quę paſſim Apennini vocantur) omnino defluere; atque ita hic rumor ſerpit, vt iam iam caleat, ac niſi plane extinguatur, periculum ſit, ne hiſce vocibus noſtra hæc conſumentur. qui hæc affirmant, illud præterea adiiciunt, locum hunc anguſtiſſimum, tam magnam copiam aquarum ſuſcipere minime poſſe. horum ſententias diuidere mihi certum eſt; neq; enim idem eſt aquas calidiores ab Alpibus fluere, ac aquas aliunde profluere; etenim aquæ ab origine calidiores minime effluunt, ſed ſulphuris calore contactæ permutantur, dum veniunt, quod Iſidorus ſcribit. ſed ſi calidarum aquarum fons, & origo ſunt Alpes, itineris ſcilicet magnitudo, & loca

lapidea,& frigidiora,per quæ tranſeunt aquæ,ſexcenties interpolatæ refrixiſſent,& aliquid profecto abraſiſſent, & aliquò aliquando ſuperioribus locis erupiſſent, & aliæ atque aliæ terræ diſpares ſane facultates afferrent,quæ vni affectui conuenire minime poſſent. vnum autem affectum appello, quod eſt vnum κϛ' γένους non κϛ' εἴδους. frigidioribus enim morbis omnibus perpetuo ſalutares fuerunt,calidioribus non item. At cuncta permixta poſthac eſſe minime negabimus. Quidni? qui hunc montem ignis facem ſemper incendiſſe cenſuerimus. Abs te vero maxime poſtulatur,vt demonſtres,qui potiſſimum mons Sulphuris initium attulerit, qui Nitrum, qui Salgemmam, qui Alumen pepererit,cui adſcribenda ſit rubrica, & qui tandem ferrum excitarit. Ego quidem certe,quam ſequor ſententiam,libere in medium afferam. Rectiſſime ſentire mihi omnino non videor. neque vero etiam ſi legiſlatorem roges,an optimas ciuibus ſuis leges promulgarit,ille continuo non optimas ſe tuliſſe reſpondebit, ſed quas putarit optimas protuliſſe. at tu aut ad meam accede, aut nouam affer ſententiam, qua in medium allata cæteri tibi facile aſſentiantur; oſtende denique montem hunc Sulphur,& Nitrum habere; in illo Sal gemmam,& Alumen ineſſe; hunc deinde Rubricam, & Sinopicam obtinere per me vt affirmes,maxime licebit. Horum cum tu nihil omnino afferas, quod ſuperioribus diebus animaduerterim, tacitus non prætermittam. In radice montis Villæ appellatę,ex ea parte,quam flumen Camalion contingit,mons hic, qui perpetuo iugo cum alpibus iungi videtur, paſſus circiter xx. ex planicie editur,ac (vt ita dicam) prope ſimus redditur,mox leuiter faſtigiatus,ad eam magnitudinem tendit,quam vel oculis ipſis cernimus. Paullo poſt in duas partes diuiſus ea,quæ occidentem ſpectat, & flumen attingit,circumciditur, altera vero procurrit in meridiem. Pars illa nullas habet aquas. quod ſi

hæ aquæ

hæ aquæ ex Apenninis profluerent, aliquo profecto in loco eædem dilaberentur. Gregorius Nazianzenus orat. XXXII. aquas calidiores partim in terræ cauernis, partim in anguſtis quibuſdam locis elapſas ebullire, atque iam iam eruptionem fremitu oſtentare, partim denique in altum euadere ſolere tradit. At in hiſce locis nullus ſtrepitus, nullus ſonitus vnquam ab aliquo exauditus eſt. Ariſtoteles quidem certe libro de Mundo ad Alexandrum quaſdam fluminum more, modoque fluere, ignitaſque ferri glebas emittere, quaſdam ſub terra ſecundum fontes ſitas profluere teſtatur, eius verba adſcribam, tametſi locus obſcurus non videtur:

Αἱ δὴ & ῥέουσι πολλάκις ποταμῶν δίκῃ, & ὕδατος ἀναῤῥιπτοῦσι δαπύρους ἔνιαι· ἃ ὑπὸ γῆν ὅσαι πλησίον πηγαίων ὑδάτων, θερμαίνουσι ταῦτα· καὶ τὰ μὲν χλιαρὰ τῶν καμάτων λύουσι, τὰ δὲ ἀναζέοντα, τὰ δὲ εὖ ἔχοντα κράσεως. Id eſt; *Quæ quidem ſæpe & ipſæ fluminum more fluunt, ignitaſque ferri glebas euomunt. Nonnullæ vero huiuſmodi ſcatebræ ſecundum fontes ſitæ aquas inde manantes calefaciunt: aliquæ vt inde tepentes, efferuefactæ aliæ, quædam modicæ temperatæ emittantur.* Idem & in Ætna Silius Italicus animaduertit, lib. XIV;

— fonte è Phlegethontis vt atro
Flammarum exundat torrens, piceaque procella
Semiambuſta rotat liquefacta ſaxa cauernis.

At in hiſce nihil omnino extrudi obſeruamus, fons igitur aquarum longe abeſſe non poteſt. in quo cum calor haud vulgaris ſubſit, eo, vt maxime confluant aquæ, veriſimile eſt; calor enim attrahit, neq; vero periculum eſt, ne aliquando ſuperfluant; quippe, quod ita natura comparatum ſit, vt tantum in eo loco congeratur, ac coaceruetur aquarum, quantum calor ipſe conſeruari poſſit. Abundantia autem, & penuria exitio erit:

Nam quodcumque ſuis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors eſt illius, quod fuit ante.

Huc accedit quod ea mōtium eſt natura, vt vnuſquiſq;

ſuas habeat cruſtas, vel muſculos, vt noſtri loquuntur, & haſce aut denſiores, aut rariores, aut craſſiores, aut tenuiores, quæ ita ſtruuntur, vt alteram ſuper alteram à dextris in ſiniſtras partes oblique inducantur, ita vt perpetuo contegantur, ſinumque tandem efficiant, vbi cruſtæ committuntur, quibus in locis omnes aquę coaceruantur: fontes enim aquarum reperiuntur in locis concauis ſub montibus altioribus ante quos planicies perpetuo patere ſolet, in quibus aquæ paullulum retentæ, qua faciles aditus ſunt, nunquam nō perquirunt: ac viis tandem vi ſumma aliquando patefactis fontes aperiuntur. qui ab Alpibus has aquas obſtinate defluere affirmant, non modo veterum, probatiſſimorumque virorum auctoritatem habent in poſtremis, verum etiam medicos inertes efficiunt, quos à ratione auocant & abducunt. ſiquidem multa de hisce aquis vnuſquiſq; nulla ratione poſthac effutire poterit, ſi nobis Alpes, id eſt, latebras obſcuritatis adhibere liceat. Verumtamen ſit ſane, vt vultis Gregorii Nazianzeni inanis, Ariſtotelici prorſus leuis ſentētia, in qua tametſi temere fortaſſe permanendum non ſit; audacter tamen repudianda non eſt; quod nunc demū pronunciata nō ſit, ſed à doctiſſimis viris olim perſcripta, qui diligentius permulta inueſtigarunt, & accuratius in Dialecticis verſati ſunt. cuncta in Alpium cauernis contineantur, quæ lucem rebus omnibus eripiant, quid eſt quod aliis atq; aliis rerum naturis locum ſuum eſſe cuiq; proprium notemus? Bitumen infimū tenet; in aquis enim Barnabonis affluit, in Ducciis vix notatur, in calidioribus deſideratur, in D. Luciæ aquis nullum eſt. at in his Salgemma, & Alumen apparet; in illis Rubrica præſefert, in calidioribus Salgemma, & Nitrum extat, in Villenſibus denique Sinopica, & Bitumen in conſpectum ſe dant; Quæro igitur, ſi ex Alpibus profluunt aquæ, quæ longius omnino abſunt, qua nam ratione in hoc mōte ita diſpoſita ſunt, vt ſuus

cuique

cuique Minerali,quod vocant,locus redditus sit, nihil perturbatum,nihil confusum cernamus? Sic vero (vt opinor) dicent,id naturæ admirabili artificio accidisse. hoc quale tandem est? ita ne cuncta ad naturã reiiciemus,vt omnia paullo ante ad Alpes reuocabamus, in quam aliâs alias causas accommodare audacter possumus? qua in re idem facere mihi videntur, ac qui in rebus naturæ obscuritate inuolutis ad rerum proprietates cõfugiunt,quos quidem rerum causas aut ignorare, aut nulla ratione inuestigare posse certum est. quamobrem effugere reprehensionem dum studeant, afferunt quidem aliquid,quod esse potest; at satius esset idipsum,de quo disputatur, concedere, quam tam impudenter,quod minus verisimile est, affirmare. nos multa afferimus,quæ etsi non sint his fortasse certiora,minus tamen, si accuratius perpendantur, vel difficultatis,vel obscuritatis,vel erroris habere posthac vel oculis,ac sensu ipso percipiemus.

Caloris,& calidorum fontium caussas explicat.

CAP. V.

CAloris caussas ita persequi certum est, vt ab Aristotele nunquam discedam, neque enim me fugit,diu,multumque superioribus annis ab eruditissimis viris hac de re in vtramque partem fuisse disputatum; qui ita ab eo desciuerunt,vt non caloris,sed ignis caussas, sedulo quæritarent. ea re, maxime inducti, quod fontes omnes calidiores igne,& aqua referti viderentur; at ignis in omnibus minime reperitur. recte igitur fecit Aristoteles, qui non modo ignis, verum etiam caloris caussas nobis exponere voluit; omnis enim calor continuo ignis non est. hoc profecto significat,cum hæc scripta reliquit II. Meteor. c. III. *Fontes omnes aquarum salsarum magna ex parte ante aliquando calidiores fuisse censendum est, tum ignis quidem principium extinctum fuisse.* huiusce sententiam cur

abiecerint nonnulli, & nouam quandam ſuſceperint non video, præſertim cum eam non ratio, ſed ipſa res comprobare videatur. Primum quod igni, aqua, & terra commixtis ignis quodam modo frigidus euadat; aqua acri, & præſenti ignis vi obrigere nullo modo poſſit; terra nec frigida, nec ſicca ſit, ſed calidior, & humidior reddatur; quippe quæ & ignis, & aquæ qualitatibus reſpondeat; deinde res omnes à calore calefactæ, primo quoque tempore ſalſiores reddantur. Huc accedit, quod eorum, quæ in terris gignũtur, ſal ipſum primo procreatur, & in idipſum cuncta poſtremo diſſoluuntur, quod & à Platone primum in Timæo qui & ex quo ſingula fiant, & vnde rurſus pereant, perpendenda eſſe tradit. deinde & à Chimiſtis egregie animaduerſum eſt. in procreatione eorum, quæ in viſceribus terræ oriuntur, hæc ſunt fere illorum decreta. Aquam cuncta corrumpere, Ignem arrodere, ac conſumere, Aërem ſpiritus inferre, ac cõglobare, Terram corpus afferre, & idem augere. Quod ſi in vnum conducamus terram, & aquam, ſal continuo procreatur; ſi aquam, & aërem cõſociabimus, Mercurius ſuſcipitur; ſi aërem, & ignem commiſcemus, Sulphur proferetur; ſi denique in vnum cogemus ignem, & terrã Nitrum, vel potius (vt nonnulli loquuntur) nitrificatio quædam gignitur. ad quam cunctę rerum eſſentię tandem aliquando traducuntur, quemadmodum à ſale omnes incipere quotidie experimur. vera igitur hæc Homerus de Oceano prædicauit.

ὅσσιρ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Catullus quoque illud egregie,

Oceanuſque pater.

Qua in re illud maxime animaduertendum, aquam ſalſam aliam eſſe calidiorem, craſſiorem, ac (vt ita dicam) vnctuoſiorem, quæ Sulphuris, aut Nitri vim refert; aliam crudiorem, frigidiorem, quæ aut Mercurii, aut ſalis Ammoniaci obtinere videtur naturam. hæc

maxime

maxime temperat, ac refrigerat, vnde cuncta minera-
lia appellata gignuntur. Nitrum autem aquam maris
concoctam, ac in terræ cauernis ad absolutam quan-
dam formam perductam plane arbitramur. Hęc si ve-
ra sunt, quæ nemo vnquam fere inuentus est, qui in
dubium reuocare ausus sit, caloris profecto materiem
non Alumen, non Bitumen, non Sulphur, sed Sal po-
tissimum erit; quod sal primo quoque tempore cree-
tur, quod tametsi ex eiusdem verbis nullo negocio
coniicere possimus, quæ tamē paulo post scripta sunt,
proferam, vt vnusquisque per se idem commode pos-
sit percipere: *Quorum omnium caussa in ignis facultatem coniicienda est, qui aut in eis subsit, aut certe exoriatur, necesse est.* Calidorum vero fontium caussæ igni protinus adscribendæ sunt; hæc enim omnia ignis vi, ac potestate maxime accidunt, si Hippocr. credimus, cuius materies ex sententia Aristotelis non sal, sed Sulphur esse censendum est; etenim cum aquæ à calore redditæ primum sint sicciores, quod prior siccitas impressione quadam aquæ formam labefactarit; deinde salsiores, quod salsedinem ex terra paullo post per se expresserint; accenso postremo igne à Sulphure continuo eædem ferueant, necesse est, quod à sale procreari multi censuere. Illud enim pręter modum ignis vi excoctum summum illius gradū obtinere videtur. sal autem suam omnem facultatem concretione plane amittit. Quamobrem in Sicilia quidem mare æstu maxime feruens, materiem Sulphuri subiicere multi arbitrati sunt, quod & D. Basilius magnus in Hexæmerone homilia IV. censuit, & Philostratus Lemnius scripsit apertius his pœne verbis: *Insula speciem Bituminis, & Sulphuris suggerit, quippe quæ à mari scaturiens multis inflammatur vaporibus, qui materiam illam irritant, quæ à mari perpetuo subiicitur:* Vnde & Sulphur quasi salis furfur lepide appellatum est. Aquæ vero per Aluminosam terram fere pertrāsire testatur Isidorus.

& Aristot. XXIV. Problem. XIIX. quod Alumen terræ quædam salsugo sit, & cum Sulphure fere coniunctum sit; vtrumque enim vel ex Isidori sententia secum ferre solent aquæ calidiores; & quod priores partes obtineat salis; post sal enim, & ex ipso gignitur sale, atque eius ope incendio protinus subuenitur; quod flammas mirifice retardet. quod sane haud latuit Archelaum Mithridatis Regis præfectum, qui omnem turris suæ materiam obliuerat Alumine, quod primum Q. Claudius scripsit, deinde Agellius retulit libro XV. c. I. & per materias vnctas Alumine ignem præterlabi incommode testatur Ammianus libro XX. atque Alumen caussa est, vt ignis diutius perduret; namque si solum sulphur subesset, continuo cuncta incenderentur, ac consumerentur. Odor ex Sulphure protinus sentitur; qui enim sagacius aquas calidiores odorant, Sulphure afflari maxime sentiunt; namque omnes calidiores aquæ sulphureo odore conditæ videntur; qui ex sententia Paulli Silentiarii testis vel locupletissimus est. Hi vero sunt eius versus:

» ὀδμὴ γὸ ἔστν οἴδας,
» πρανόν π μὸρπυροῦς.

Vis eius in aquis feruentibus sentitur, quod scribit Isidorus Origin. libro XVI. & Varro IV. de lingua Latina oppidum Puteoli dictum putat à putore, quod putidus sit odoribus semper ex Sulphure. At sat scio multos ætate nostra repertos fuisse, qui illum non Sulphuris, sed spirituum ignitorum odorem esse aliquando censuerint; qui profecto fallaciis à veritate abducti sunt; quippe cum & Aristotelis testimonio ex libro Meteor. & II. & III. & ex libro Probl. XXIV. in extremo sumpto ab Andrea Baccio eruditissimo viro id luculente sit confirmatum. loca notissima sunt. huc accedunt auctoris De elementorum proprietatibus verba, quæ idem egregie demonstrant. Isidorus aperte loquitur; nec alia res, inquit, facilius accendi-

tur.

tur. Postremo Sulphur omnium metallorum materiem esse quam aptissimam notamus, quod & Chimistæ optime norunt. Calidiores autem omnes aquas sacras appellat idem Aristoteles, quod olim Herculi essent consecratæ, quod affirmat & Athenęus libro XI. cap. II. quod voluptate Hercules sæpius permoueri solitus esset.

Montem hunc perpetuo flammas minime concepisse.

CAP. VI.

MOntem hunc ignis speciem perpetuo habuisse haud facile crediderim, qui haud ignorem ex Pausania in Corinthiaca, Methanam Trœzeniorum maritimum oppidum fuisse, cuius in agro aquarum calidarum fontes scaturiebant, qui Demetrii Antigonis F. Macedonum Regis tempore erupisse dicuntur. verumtamen non statim aquæ profluxerunt, sed multo ante, perpetuis loca arserant ignibus, flamma dein aliquando extincta calidiores, & persalsæ aquæ permanarunt. Principio igitur hisce in locis exortum fuisse calorem minime grauem, & ad gignendum perfructuosum verisimile est, in quo procreandi facultas aliquando fortasse agnita, ac perspecta est; at eam paullo post caloris summa vi labefactatam non dubitamus, quod aut paullulum quid, aut potius nihil ab eo postea genitum, ac procreatum fuisse obseruauerimus. inuenti multi sunt, qui Ferrum, aut Argentum in hoc monte quondam repertum fuisse affirmarunt, qui non valde me mouent, quod probe sciam, exploratores, quæ minime viderunt, pro visis sæpe renunciasse, atque his auctoribus credendum non arbitror, quod agricolæ rumoribus multa de suo addere, & affingere sæpe soleant.

Qua ratione ignis accendatur.

CAP. VII.

EXcitatur vero igni, vel ſua vi, vel fulminum ictibus. Etenim

» *Fulmen detulit in terras mortalibus ignem,*
» *Primitus, inde omnis flammarum diditus ardor.*

Et Ariſtot. XVIV. Problem. XIIX. Plura autem tactu Fulminis calidiora extiterunt. ſubeſt vero etiam in terra calor; terra enim ex eiuſdem Lucretii ſententia,

— *habet ignes vnde oriantur;*
Nam multis ſuccenſa locis ardent ſola terræ:
Eximiis vero furit ignibus impetus Ætnæ.

Et quidem certe mons hic appoſitus fuit, vt in eo ignis protinus excitaretur; principio quod longe maioribus circumdatus eſt montibus, quamobrem & calidior locus redditur. deinde quod duobus fluminibus radices eius alluantur, quæ calorem, quem ſubeſſe affirmamus, contrahere, contrudere, ac denique augere facile poſſunt. In mõtibus vero ſubeſſe calorem haud vulgaris teſtis eſt auctor libelli de Mundo, qui vulgo Philoni adſcribitur. Is antiquiſſimus ſcriptor & montes ab arboribus nihil omnino differre hac in re ſcriptum reliquit; & vim quandam igneam in terra conditam eſſe, eamque ſua vi cuncta ſurſum rapere, & proprium locum petere tradit. Ergo nihil mirum ſi terra aliquando efferatur, ac ita in ſummo contrahatur, vt in verticem tandem deſinat, qua in re mirifice naturam ignis imitatur. Aquæ vero calidiores redditæ (quod ſcriptum reliquit D. Gregorius Nazianzenus orat. XXXIV.) cum huc illuc ſe inſinuent, in quoſdã primum ſpecus influunt, ac circumuerſantur; deinde violento ſpiritu commouentur, impelluntur, ac iactãtur; motu, æſtu, ac luctatione acriori magis, ac magis inflammatæ poſtremo erumpunt, qua, & quo diuinare minime poſſumus, cum inter initia nulli aditus, ac viæ pateant, quas

quas deinceps & volubilitas caloris, & locus ad eruptionem appositus faciunt. idem etiam ex sententia nonnullorum tradidit Paullus Silentiarius, qui eam caloris causſam esse censebant;

ἔνερθε γῆς σήραγγας
ὕδωρ ἐκεῖθεν ἔνθεν
πλώμενον δὲ, θέρμην
ἄλλοι λέγουσι τῦπο
γῆς ἐν μυχοῖς ὑπάρχειν.

Id est, *alii hoc dicunt in terræ cauernis calorem ineſſe, quod in terræ hiatibus aqua hinc inde agitetur.* Verum hanc opinionem minimo deinceps probaſſe videtur, quam tamen cum ſuperiori D. Baſilius magnus coniunxit in Hexæmerone Homilia 1 v. profero eius pene verba: *Iam vero calidiore quoque qualitate a metallis accepta cum defluit, aqua eodem ſpiritu impellente ſæpenumero efferueſcit, atque conflagratur, quod cum in multis inſulis, tum vero in pleriſque locis maritimis licet animaduertere.*

In hiſce non modo Sulphur, verum etiam Bitumen ſubeſſe comprobat.

CAP. IIX.

HOc loco ne quis fruſtra quærat Sulphuris ſigna, & quaſi impreſſa veſtigia, nos ea, quæ maxime Sulphuris ſuſpicionem mouerent, paullo ante attuliſſe dicimus, qua in re nullum errorem timemus. At illos opinione plane deceptos arbitramur, qui cenſuerunt in hoc loco Sulphur tantum ignis eſſe materiem; namque merito ſuſpicamur, non huius tantummodo copiam ſubeſſe. cum autem affirmauerimus materiam caloris fontium Sulphur perpetuo eſſe, non continuo negauimus, Sulphuri aliquid aliquando admixtum eſſe poſſe; cum enim multæ erumpant aquæ calidiores, quæ alia, atque alia facultate præditæ ſint, alia, atq; alia quoque ineſſe veriſimile eſt, quæ & ignem protinus

accendere, & alere, & aquarum facultates permutare possint. Ego vero nimium libenter in hisce aquis Bitumen quoque reperiri affirmo, quod quid aliud obsecro est, quam Sulphuris propria exhalatio? Bitumen enim Sulphurea, & cinerea parte commixta procreatur. Hinc Sulphurea quæ sunt, Bituminis odorem naribus protinus obiectare litteris prodidit Aetius lib. 11 x. cap. L 11 1. eadem permixta sæpe inueniri solere testis est Ætnæ auctor;

» ——*sicque*
» *Commixtum vento flagrare Bitumine Sulphur.*

Et Silius Italicus, quemadmodum paullo ante, & Philostratus hæc pulchre coniunxit lib. x 1 1.

» ——*cum Sulphure, & igni*
» *Semper anhelantes, coctoque Bitumine campos*
» *Ostentant.* Lucretius:
» *Nonne vides etiam terra quoque Sulphur in ipsa*
» *Gignier, & tetro concrescere odore Bitumen?*

Iustinus lib. 1 v. nec non ignibus gignendis, nutriendisque solis ipsius naturalis materia; quippe intrinsecus stratum Sulphure & Bitumine traditur. Perdifficile vero semper fuisse diiudicare ab hoc ne, an ab illo ignis alatur, cum doctorum hominum controuersiæ, tum vero Ouidii quoque carmina demonstrant:

» *Siue bituminea rapiunt incendia vires,*
» *Luteave exiguis ardescunt sulphura fumis.*

Propius accedo. aquæ istæ (vt ita dicam) vnctuosæ sunt ac pinguiores; aut igitur Bitumen, aut Sulphur subsit, necesse est; namque aqua tota tenuis minime est. aliquid igitur habet admixtum. at cum vnctuosæ appareant, & crassiores, Bitumen continent; namque Bitumen Sulphure crassius est. immo vero Bituminis natura (si cum Sulphure conferas) tota terrea est. huc accedit, quod non grauem, sed nidorosum odorem afflant quæ insignita est, ac certa quædam nota Bituminis. notantur adhuc eiusdem signa Bituminis, quod

aquas

aquas istas lenire, mollire, aliquando aluum exercere, vrinas sæpe mouere, caput haud raro denique implere videamus; Aqua Barnabonis purgat. id vius præstat. aquæ sibi constant quod Bitumini maxime acceptum refert grauissimus auctor Vitruuius lib. I I x. cap. I I I. *Bituminosi* (inquit) *fontes interioris corporis vitia potionibus purgando mederi solent*. Aquæ Villenses vrinam mouent; oleo igitur quodam permixtæ sunt. at hoc oleum Bitumen esse antea probauimus, quod, & ciere vrinam egregie potest, & aquarum in ventre iter munire, ac regere. Idq; oleum in ebrietatibus solere præstare Aristoteles in problem. I I I. cap. extremo auctor est. Proximis regionibus reperiri solere Gagatem, quæ Bituminis species quædam est, locupletissimis testibus comprobauit Reinerius Solinander. Idem aliquando censuerunt optimi, ac doctissimi viri, quorum sententias cur nonnulli contra morem, institutumque maiorum tantopere contemnant, non video; qui in eruditorum controuersiis medii fere semper esse voluerunt; & a neutris omnino dissentire nefas esse duxerunt. Iam vero in hisce aquis innatare pinguedinem quandam, & mulieres ipsæ sentiunt, quæ comas veluti oleo delibutas post aquarum fistulas sensibus percipiunt. huc accedit, quod si caput aquis Villensibus subiicias, id neque abluere, neque purgare illis plane poteris, quod oleo diffusum caput videatur. idem saxa ipsa testantur, quæ cum attingimus, oleo quodam illita, ac omnino nigriora videntur. Hæc haud vulgaris omnium rerum consensio ad excogitandas, inueniendasque res aptissima semper habita est. eadem etiam ad ea, quæ inuestigata sunt, vt animus adiungatur, maxime impellit. animi vero auget conatum ad veritatem inueniendam exercitatio.

Hippocratis ſententiam de Aquis calidioribus explanat. CAP. IX.

ILLA fere ex Ariſtotele, pauca hæc ab Hippocratis ſcriptis elicimus lib.de Aëre,Aquis,& loc.cap. III. „ Vbi vbi(inquit)calidiores aquæ exoriuntur,ibi aut æs, „ aut argentum, aut aurum, aut Sulphur, aut Alumen, „ aut Bitumen,aut Nitrum ſubeſt, qui tametſi vniuerſalia, & abſoluta literis mandet, ſingularia tamen quæque ad illa facile accommodantur, & extra eos cancellos, quos ars ipſa ſibi circundedit, minime egrediens cuncta fere enumerauit, quæ quotidie in aquis ſponte calidioribus notare ſolemus.ſingularia minime percenſuit; quæ neceſſario conſequerentur, præteriit; quod in more poſitum fuit apud Hippocratem ea ſilentio inuoluere, quod eſt apud Galen. II. de Sanit. tuen.cap.IV.eius ſcripta qui prætermittit,aut turpiter illum relinquit,quod breuiter cuncta perſequatur;aut eius loca non laudat, quantum in ſe eſt, optimi viri famam delet,& turpiſſimam ſibi inuidiæ notam inurit. Ille autem non modo calidarum aquarum differentias,quæ materiem ſpectant,diſerte admodum explicauit,ſed etiam eorum facultates ante oculos poſuit; etenim & ſi omnes calidiores videantur, virtute tamen quaſdam ſane frigidas ſentimus. Recte igitur ſummis, inter ſeque maxime contrariis qualitatibus rem ipſam definiuit. Quod vero cunctæ exiccent, aperte eodem in loco teſtatum reliquit, cum ſubdit ad excrementorum deiectionem prouocandam plane inutiles eſſe. Complexiones autē, & copulationes ceterarum qualitatum omiſit,quod ex illis nullo negocio colligi poſſint. Proprietates ſilentio minime inuoluit,quas quiuis intelligentia, aut cogitatione ex ipſa re ſeparatim comprehendere poteſt.Etenim ſi ad quid potiſſimum aurum appoſitum ſit,cognouerimus aquas quæ per illum tranſeunt,eaſdem obtinere facultates cenſendum eſt.

est. Scriptum vero reliquit: Vbi vbi aquæ calidiores nascuntur, ibi aut æs, aut aurum, & quæ sequuntur. quod non recte retro versetur oratio; namque raro Metalla fodiuntur, vbi aquæ calidiores profluunt. Hoc quoque minime fugit Lucretius qui lib. VI. hæc:

Præterea manare aliud per saxa videtur, «
Atque aliud per ligna, aliud transire per aurum, «
Argentoque foras aliud, vitroque meare. «

Non Sulphur solum, & Bitumen, sed & alia quædam subesse, ferri autem fodinam, fere non subesse, vbi calidiores aquæ reperiuntur.

CAP. X.

EGREGIA omnino hactenus intelligo esse iacta fundamenta omnium earum rerum, quæ paullo post in medium afferendæ sunt, iam, vt inquit Tyndarus apud Plautum (vt opinor) in Capteiueis

Operta quæ fuere, aperta sunt.

Cum enim luculente probauerimus præter Sulphur Bitumen quoque subesse, quæ restant (vt spero) per se nullo negocio patebunt; tum quod cetera palam sunt, tum quod quæ posthac expromam, haud vereor, ne quisquam aspernetur, quasi ea nunquam mouerit. Nihil simplex, nihil sincerum in rerum natura reperiri nouum non est, non aërem, non aquam, non ignem verum vsquam deprehendimus, cuncta sunt fucata, ac permixta. vnde illa Lucretii;

Nihil esse in promptu, quorum natura tenetur «
Quorum genere ex vno constet principiorum; «
Nec quicquam quod non permixto semine constet. «

Raro autem fontes inuenies, qui vna tantummodo re confusi videantur, sæpe duo concurrunt, sæpius alia, atque alia rerum genera ad ignem excitandum conueniunt D. Gregorius Nazianzenus minime quidē certe futilis auctor has aquas calidiores contrarias facultates obtinere solere aliquando testatum reliquit Orat.

XXXIV. Longior non ero. ex vtilitatibus & commodis aliis, atque aliis, quæ quotidie consequi notamus; ex concertationibus medicorum, qui earum naturam diligentissime persequuti sunt, nullo admonente idem cognosces. magna sane illa inter homines doctissimos de aquis Aponensibus controuersia minime ignota est. Sed quid ego aliena commemoro? In hisce nostris aquis cognoscendis nonne olim de earum natura a summis medicis, ac Philosophis summa contentione certatum est? qui cum viderent ex vno, & eodem monte cunctas has aquas emanare, ita de his disseruerunt, vt nihil plane inter bos fontes habere commune, atq; coniunctum putarent; qui profecto neq; loci naturā, neque positum sane animaduertisse arbitramur. Etenim cum multorum sententia in hoc monte ferri copia reperiatur, quod Sinopicæ magnam habeat abundantiam, verisimile est cuncta posse reperiri, quæ ferri naturæ maxime conueniant. Ferri autem, vel Rubricæ primordium cum sit vaporosa exhalatio, ac siccior, quæ in terræ cauernis in lapides maxime euadere solet, vnde & terra ignescit, & conflagratur; vbi vbi autem illorum vena est, inuentum esse oportet ignem, vnde exhalatio quoque exoriatur, necesse est. non latet autem nos in fodinis calorem nullum sentiri, non quod calor nullus subsit, sed quod idem in imo coniectus, conditusq; sit. præter cetera vero illum apprime ostendunt manantes ex huiuscemodi fodinis calidiores aquæ, quæ plerumq; tamen longe absunt, quas studiosi omnes ex Philæmone Comico in libris Clemētis Alexandrini primum vident, deinde admirātur, deinde contēplantur, postremo in spem veniunt eorum causas ratione inuestigari, & cognosci posse. Magis autem & minus feruent pro qualitate, & copia ignis impertiti, & pro vicinia Lacunarum. Hoc loco continere me non possum, quin apud meos ciues testatum relinquam, quid hac de re potissimum sentiam. est quidem

dem certe, cur hoc in monte nullam esse metalli fodinam merito suspicari queam vel hoc argumẽto, quod perraro, vel potius nunquam aquarum fluxiones calidarum in fodinis animaduertantur, & quod maximus calor maxime disiunctꝰ sit a natura, cuius opera in terra igniculi potius quadam temperatione fieri, ac vigere obseruamus, quam ignis vi maiori, ac virtute incredibili comburendi, & quod admixtione contrarii, & calor frangatur, & odor ad nares remissius feratur. huc accedit, quod si cetera diligentius quæ in terræ cauernis procreantur, perpẽdamus, facile animaduertimus vno, aut altero excepto Sulphure scilicet ac Bitumine ignem vix posse capere, immo si verum fateri velimus, igni maxime esse aduersaria & sales omnes, & Alumina, & atramenta. Hinc aquæ ferreæ vix aliquando tepescere solent; crassius enim & maxime terreum corpus ferrum est, quod Galenus confirmat IV. De simplicium medic. facul. cap. XIX. Quod si ferueant, vni Sulphuri acceptum referre debemus; id enim est, quod (vt antea sæpe diximus) in imo ignem possit excitare. neq; si Sinopicæ copia reperitur, continuo quoq; ferri copia subest, immo contra vbi ferrum, ibi Sinopicam protinus inueniri verisimile est. Ridiculos autem esse arbitror illos; qui eam rationem huic parem, & similem esse censent, si fumus est, igitur subest ignis. verum tamen hæc alio in loco cõmodius; nunc quod proposuimus diligẽtius persequamur alio sumpto principio.

In huiuscemodi locis esse Bitumen, Sulphur, Nitrum, Salgemmam, Alumen, Rubricam, & Sinopicam. CAP. XI.

CALOR I, qui terram non adeo belle concoxerit, si frigus superuenerit, igniq; cõtinuo refrixerit, terramq; sua vi adstrinxerit, quædam, quæ acerba qualitate prædita sunt, linguamq; adstringunt; gignere solere a summis Philosophis iampridẽ traditum est, quę sane hoc in loco pulchre genita sunt; & ferrũ procreatum

esset, nisi loca caua sulphuris plena, ac referta fuissent, quod ignem capiens, ac alens caussa fuit, vt aquæ maxime feruerent. etenim (quod & antea admonuimus) nimius ille Sulphuris ardor modicum illum teporem, quo cuncta gignuntur, pellit, & grauissimum odorem efficit, quo & Bitumen & Nitrum genitum est. Huius natura proprius accedit ad sal, at puri⁹ est; illius ad Sulphur, at magis terrenum est. Et ex Platonis (ni fallor) sententia in Timæo, & frigore obriguit, & continuo nigrius euasit. Veruntamen cum calor ille ab iis, quæ circunstant, retusus esset, mirifica facta est rerum conuersio, ac perturbatio, & natura a ferro ad id, quod fortasse non omnes habebat numeros, procreandum traducta est. ita enim natura comparatum est, cum id, quod primo contendit, efficere non potest id, quod potest protinus edere conetur. At quoniam eadem in operibus quæ facit, mediis transactis extrema minime sequitur, Alumem primo, & Salgemmam quam olim Micam appellabant, quod Plinius referre videtur lib. xxxi. Cap. vii. alii eam sal schicton vocant, quod e terra effodiatur. deinde Ochram, Rubricam, ac Sinopicam creauit. (pars enim quæ aridior est, ignis virtute, quo ad eius fieri potest, augetur propter materiæ similitudinem; at eadem, quoniam caloris vis frigore tandem intermoritur, humidiori inde re admota dissoluitur, ac rescinditur, quod ex Dioscoride lib. v. cognoscitur cap. xvii.) paullo post fortasse ferrum protulisset, nisi maximus calor extitisset; ita enim natura fert, vt Rubrica a naturali calore magis, ac magis concocta in Sinopicam conuertatur, eaq; tandem in Ferrum euadat. Sinopica enim media est inter Rubricam, & Ferrum de qua, vt pauca hæc interiicerem, illi auctores fuerunt, per quos nunquam ociosis esse licet. D. Basilius magnus scriptum reliquit in iv. Hexæmerone siccitatem, & ariditatem proprium quoddam esse, quod naturam exprimit terræ; atque omnino ea,

quæ

quæ cauſſam præſtant, vt aliquid extet, iis eſſe priora, quæ poſtea accidunt, nemo eſt, qui plane ignoret. terra vero, quæ inter metalla reperitur minime colliqueſcit, id eſt tota eius eſſentia in humorem minime conuertitur, quod & ſcribit Aëtius lib. 11. cap. 11. quam tamen madefieri, & irrigari poſſe haud negamus; quod contingit, cum humor corpus illud minime permeat. idem confirmat Plato in Timæo cum tradit terræ molem ignē, & aërem minime colliquare. ea vero ex Plinii ſententia, lib. xxxv. cap. vi. ſi calore amplius inflammetur, Ochra fit, quæ non modo in Plumbi venis gignitur (in quibus a caloris vaporibus colorem accipit) verum etiam ſaxis vel eodem Plinio teſte grauiſſimo adhęrere ſolet, eadem ſi plane exuratur, Rubrica euadit, quam nonnulli genus ad omnes huiuſcemodi terrarum formas eſſe voluerunt. Rubricam vero ſi committas in calorem maiorem, Sinopica euadit. quam & Auri, & Argenti, & æris, & Ferri denique venis quotidie reperimus. in iiſdem eandem Georgius Agricola ſe inueniſſe teſtatur, cui hæc ætas harum rerum palmam merito deferre ſolet. quod ſi ſub Auri, æris, & Ferri calorem ſuccedat Rubrica, nemo (vt arbitror) reperietur, qui in his maiorem multo, quam in Plumbi, aut lapidis venis Ochram calorem experiri non fateatur. has terras κήραμα, id eſt Cretas vocauit Plato, quæ omni abſumpta humiditate ſicciores factæ ſunt, atque eorum craſſitudo calore magis, ac magis comprimitur, ac compingitur. Mirificus igitur eſt (quem nemo neſcit) naturæ ordo, quem in hiſce rebus procreandis, nunquam non ſeruare ſolet. *Vſque adeo ſequitur res rem.* Terra alba colore lutea, plane Ochra fit; ex hac Rubrica gignitur; ex Rubrica Sinopica procreatur; hæc Ferrum tandem profert. Quod an hoc loco ſubſit, pro certo diuinare non poſſum. Summa quæque Ferri indicia quæ ſolent eſſe quidem video: at illud adeſſe minime ſentio, miſſa faciant aliquando Ferri indi-

cia,ipsum tandem Ferrum prodeat. Doctis viris verba dare difficillimum est;rei tristitiam mitigabimus, si dicamus Ferrum hoc in loco subesse posse haud obscuris, ac dubiis argumentis intelligi posse. Irasci illis temere minime debemus, qui suam libere in medium afferunt sententiam, sed illis, qui obscura pro certis, falsa pro veris nobis persuadere conantur. quare ego non inficias eo sub hoc monte Ferrum esse posse;at inanem esse omnem nostram orationem arbitror, nisi si res quæ suberit, a nobis recte, atque ordine percepta, & cognita fuerit. Oculis vero eam cernere debemus. ergo satis mirari non queo illos, qui, quod oculis ipsis aspicere possunt, & debent, id tanquam abditum rationum vestigiis odorari conentur. Rationes omnes contemnendas esse censeo, cum sensus,vbi consistant, locum protinus repererunt. Illi autem, qui formam, ac prope speciem quasi vasis, & aquarum calidarum receptaculi, qui in terræ cauernis latitat, quærit, auctor sum,vt librum x 1. bibliothecæ Diodori Siculi legat, in quo Ætnæ crateras, vel labra plane ante oculos ponit ita fere scribens: Principio crateres ibi quidam perspiciuntur magnitudine haud maxima, altitudine vero tanta quanta oratione vix exprimi potest; ex quibus scintillæ ex immenso incendio erumpunt lebetibus persimiles multo igne calefactise bullientibusq;, in quibus feruentem aquam quotidie extumescere,& erumpere vel oculis videmus; cernimus enim ibi aquam,quæ inde emanat, bulliendo feruere,odoremque Sulphuris (nam longe, lateque fumum emittit) præbere. ceterum ex hiatibus illis terræ altissimis exauditur stridor,ingensque rugitus, & fremor horribilis; quodque his omnibus rebus est magis mirum, aqua illa neque superfunditur, neque consident, sed in altum sublata summa vi, ac magno impetu perpetuo fluctuat, quamobrem fere stupent omnes. neque vero dubium est, quin naturæ quædam vis diuina, ac

pæne

pæne fatalis, quæ in terræ cauernis facultatem, ac poteſtatem ſummam habeat, aquam illam effundat. Atque ego cum diligentius, quæ in hoc monte notantur, cum animo meo recolo, plane video cuncta optime conuenire. Mons ipſe in locis frigidiſſimis poſitus eſt, circundatus eſt montibus altioribus qui ſæpe niuibus oppleti, obrutique videntur. Gelu hieme cùncta rigent. Aquilo ventus per totum fere annum continuatus permanet. obturata ſunt fere omnia, qua ceteri proflare ſolent. eius radices ſubluuntur duobus fluminibus quæ calorem a Sulphure excitatum mirifice frangere poſſunt; & frigiditas illa eſt plane cauſſa, quo minus quæ conſequi calorem maxime ſoleant, ſubſequantur, & denique alia, atq; alia procreentur, quæ plurimum inter ſe diſtant. quid enim tam contrarium eſt quam Sulphur Sinopicæ, Bitumen Ochræ? quæ tãetſi maxime pugnare videantur, inueniuntur tamen quædã fere de induſtria inter ipſa interiecta, nimirum Nitrum, Salgemma, & Alumen, quæ ſi tollas, cetera labefactabis; neq; enim natura furens mediis relictis extrema perſequitur. Merito igitur in imo conditum Sulphur eſt, quod calorem, vel potius ignem parit; hoc Bitumen creat, & Nitrum; Salgemma deinde, & Alumen contrariis naturæ ſtudiis conflata, & in illis locis, in quibus maxime confligunt inter ſe calor & frigus, procreata ſunt. Rubrica vero, & Sinopica, & in ſuperioribus & inferioribus montis partibus genita ſunt; quod illæ frigore maxime frigeſcant. ecquis vero vmquam ad has aquas acceſſit, qui animaduerterit montem hunc aquas calidiores, & perennes habere, meridiem ſpectare, duo flumina eius latera circumluere, planiciem ſubeſſe, terram eſſe vberem, Sinopicæ copiam in eo inueniri, Nitrum, Salgemma, & Alumen cum aquis efferri, Gagatem paſſim depelli, qui illico coniectura, & ratione, ad ſuſpicionem Sulphuris, ac Bituminis pronior non fuerit? Nitrum, & Salgem-

mam, & Alumen sic è terræ cauernis excidunt,

„ *Vt missum sponsi furtiuo munere malum*
„ *Procurrit casto virginis è gremio.*

In abditis terræ cauernis caliditas subest, quæ nulla fere est in locis cauis; caliditas sal affert, quod vicissim terram calidiorem reddit, ac indicat. ea cum maior, atque amplior fit, in terra præsertim pinguiori generatur, & Sulphur, & Bitumen, quæ flammam dein facile concipiunt, proxima enim Bituminis natura Sulphuri est, quod Plin. aperte tradit lib. xxxv. cap. v. super loca vero Sulphure inflammata aquas calidiores ferri solere Albertus Magn. adnotauit. dedit autem hoc montibus natura, vt in illos facile ignis inferatur, & quod suapte natura omnes calidiores sint; & quod hunc mõtes altiores ambiant; Bituminis indicia obscuriora non sunt: namque aquæ pinguiores sunt, nidorosum odorem obiiciunt, leniunt, molliunt, vrinam mouent, aluum sollicitant; ac tametsi vbi vbi Sinopica reperitur, ibi quoque & Ferrum inueniri sæpe soleat, impetrare tamen à me ipso nunquam potui, vt crederem in hisce locis ferrum genitum esse; in quib. fortasse olim, cum scilicet aquæ minime feruerent, ac profluerent, tametsi generandi facultas perspecta, ac cognita fuerit, postea tamen cum aquæ calidiores eruperunt, eam facultatem labefactatam censemus. Ochra, Rubrica, & Sinopica postremo procreata sunt. Ferrum omnino natura protulisset, nisi calor omnem generationis potestatem illi eripuisset. Veruntamen non omnes eadem habent aquæ; neque enim Villensis Nitrum recipit, in Ducciarum aquis Sinopica non est, in Barnabonis aquis Salgemma nunquam animaduersum est. quę res cum earum naturam facile demonstrent, tum vero in ipsarum aquarum tractatione facile posthac vnusquisque perspiciet. eadem quidem certe vtroque (ni plane fallor) demonstrationis genere patefacere conati sumus.

Descen-

Descendit ad singularia, & de fonte Barnabonis, de Ducciis, de Calidioribus Villensibus, de D. Ioannis, & D. Luciæ aquis.

CAP. XII.

HÆc quidem omnia cum ratione congruere, ac consentire videntur,

Nec contra pugnant, in promptu cognita quæ sunt,
Sed magis ipsa manu ducunt, ac credere cogunt;

Quæ inferiori loco defluunt aquæ Barnabonis, plane feruent, quæ res Sulphuris dat significationem, Bitumine affluunt. possumus id ex eo, quod aluum resoluunt, vrinam cient, tanquam ex quodam eius naturæ indice certissimo coniecturam facere. oculis insignes inferre iniurias, quib. occurrere aliquando vix potuimus, ipse testis sum; cetera minime persequar signa; neq; enim me præterit idem intelligi posse ex odore, quem grauissimum hunc fonté eructare nemo ignorat. Nitrum, & Alumen in hoc desiderari affirmare nõ ausim, cum obseruauerim mirifice partibus imbecilliorib. robur addere; ac digerendi vim nactum esse maiorem multo, quam superiores, quæ calidiores aquæ vocantur; etenim animaduertim⁹, cum aquæ calidiores nonnullis morbis remedio esse nõ possent, ad hasce illico decursum esse, & morbo salutares præcipue inuentas fuisse. Ducciarum vero aquæ cum maxime ferueãt, minime dubium dãt signum Sulphuris. Nitri indicium minime latet. Nunquã (fatebor enim) potui ad cõbusti marmoris coniecturã euadere, qui centies lacunas viderim, & nihil nisi Bitumẽ vnquã animaduerterim. Quod vero quidam marmor cõbustum putant, id Alumen, aut Salgemma conflagratum esse arbitror. quæ ignis vim retundunt, & vt minus aquæ incalescant, caussæ sunt. Deiecimus aliquando de industria in eius lacunas lignum bipedale, quod aquas minime attingebat, guttas Bituminis quamplurimas suspensas,

& Aluminis combusti copiam ligno appositam, ac applicatam obseruauimus, quæ ex sapore nullo negocio intelleximus. At difficile est hoc ab illo distinguere. quid ni? quod Alumen marmoris combusti quasi purgatio sit. veruntamen cum hæc pauca satis, superq; esse possint ad eam vim, quam habent, obtinendam, ac demonstrandam, ridiculum esse arbitror alia conquirere, ac inuestigare, quæidem, quod hæc possunt, edant. In aquis calidioribus Salgemma Nitrumque copiosius apparet etiam iis, qui in hypocaustum aliquando ingressi sunt. Vaporibus autem Sulphureis ex locis terræ cauis easdem affluere aquas nemo sanus dubitabit. Alumnis quoque signa cuncta conueniunt; quæ alii doctissimi viri tradiderunt, inculcare ventosi hominis esset. Illud tantum, quod cum longius absint a terræ cauernis, vbi Sulphur ignem excitare multo ante monuimus, verisimile est Alumen ibi reperiri minime conflagratum. in hoc esse haud magnam Bituminis copiã vt credam, facit, & quod in his locis multi serpentes reperiantur, & reperiri solere penes calidarum aquarum fontes propter squalorem, ariditatemque locorum Galenus De subfiguratio. Empirica cap. XII. aperte indicat, quos Bitumen nidore fugare solere testis est Plinius. In aquis Villensib. nulli inueniuntur, in quibus omnem controuersiam positam video. Hasce aquas Ferri nullam partem Fallopius quoque ferre existimauit. Omnes eius facultates, ac virtutes vni Alumini acceptas refert, nihil præterea postulat. Nos quoq; qui Ferrum subesse omnino affirmare non audemus, in eius sententiam facile iremus, nisi videremus contrariam in partem a nonnullis disputari, & illum valde vrgere solere, quippe qui Sinopicam ostentent; atq; hi nisi continuo Ferrum quoq; subesse falso asseueressent (neq; enim recte retro versatur oratio) id, quod voluissent, sane cõstituissent. Tantum scrupulum illud remanet, quod eos perpetuo vehementissime tor-

me torsit, lutum scilicet ipsum ferrugineum, ac prope nigrum, quod ego totum Bitumini Sinopicæq; merito adscribo, cum enim pauco Bitumini, haud vulgaris sit Sinopicæ copia adiuncta, lapides, lutumq; plane nigrum reddere aqua profluens minime potest. Contra vero in fonte Barnabonis euenire notamus; in ipsa enim aquarum fluxione cuncta nigriora apparēt, quod nihil præterea cōsociatum, confusumq; habeat, quod earum colorem mutare queat. At vbi erumpunt aquę; secum efferunt album quoddā, salsum, & adstringens, quo mulieres dētes sibi circumpurgare solent. Id cum circa fistulas frigiditate potissimum durari videamus, idem quasi sudorem quendam euocari merito cēsendum. Neq; enim in his locis inhæresc unt, quasi tophi, qui vasis in quib. aquam decoquimus, hærere solent; multo minus saxis insident, vt contingere solet in nonnullis aquis calidiorib. quæ sponte ꝓfluunt, quæ multa nec caliditate, nec frigiditate præditæ sunt. nāque quæ calidiores sunt, vt hæ Villēses, tenuiores semper reperiunt, atq; in illis pauca subsidere solent. Quidam censuerunt eam esse terrā omni vita carentem, ac plane calore consumptā, quæ supereſt scilicet ex secretione, ac disiunctione Sulphuris, quod in terræ cauernis inflammatur, dum aquas calidiores reddit. Quid? nonne eandē rem in Elābico vulgo appellato, vbi eadem aqua veluti ros quidā ꝓfluxerit, subsidere cernimus, atq; easdē plane reddere qualitates notamus? Salsedinē illam ex caliditate terrā contraxisse haud negamus, & Alumē (quod ex sale, & cum sale antea gigni affirmauerimus) his quoq; locis subesse omnino inficiari nō debemus, præsertim cum huiusce opinionis doctissimum virum auctorē cognoscam⁹, qui optime sciret, Sal cum Alumine maximā semper habuisse so[illegible]etatē, & ab eodem sale cōcitatas sæpe ex aluo aquas depelli nemini obscurum sit. desinant vero sibi aliquando placere illos, qui superiora, quæ conuelli nullo mo-

do possunt, occultare, ac opprimere frustra conantur. Hisce vero falso sibi persuadent facile posse respondere: eqdem satis adhuc mirari nõ queo, quod venerit in mentẽ doctissimo viro, qui hac de re, quæ ab aliis tantũ cognouerit se ꝓnunciare litteris consignauit, vt has aquas nihil a ferro abradere, Synopicã tantũmodo abstrahere scriberet, qui vtrum in hoc an in alio mõte ferrum genitum sit, vtrum in hoc eodẽ monte aquæ calescant, an aliunde ꝓfluant calidiores, nunquã cogitarit. quod si aliunde profluunt, quid, obsecro, D. Gregorio Nazianzeno, quid Silio Italico, quid vel Aristoteli, vel Theophrasto, vel deniq; Philoni respondebis? qui auctores locupletissimi sunt aquas calidiores vel ferri glebas aliquando abripere solere. quas antea nisi perruperint, aquæ propellere, ac rapere non posse manifestum est. Ferri autem ne tãtillum quidem in tanta temporis vetustatem nunquã in hisce locis repertum esse certo scimus. verumtamen vnde discessimus, redeamus, atq; id interea de Ferro hæc scripta reliquerunt, non de Argento, non de Auro. vix autem eiusdem (vt ego quidem censeo) hominis animum, & mẽtem reb. adhibentis est docere aquas calidiores Ferrum perpetuo eluere, abluere, ac perpurgare; & nihil ab eo aliquando easdem adimere, subtrahere, ac eripere posse obstinate affirmare; præsertim cum ratio, id est Aristoteles ipse eam opinionem plane conuellat. prætermittendum non est, quod nuper in nonnullorum doctissimorum medicorum scriptis animaduerti, has aquas & frigidiores particulas calidiores reddere & frigidiores calefacere nullo negocio posse. vtrumque prẽstare haud valerẽt, nisi si Bitumẽ subesse fateremur. quod in his aquis modico tempore caleat, & adstrictionis vim, quam habet Alumẽ, deliniat; & deniq; aditꝰ patefaciat, quib. ꝓfecto prohiberẽtur, nisi nactæ essent vehiculũ, quo per illas partes sane quã angustissimas cõmode veherentur. harum aquarum natura percepta mirari tandem

tandem desinamus, quid sit, quod Iecoris, ac Renum morbis tam belle subueniãt. vincere autem illos egregie Iecoris morbos obseruamus, qui vel intemperie vrgent, vel cum materia ad Iecur conuertuntur. neq; vero eam vim obtinent à Ferro, sed ab Alumine, & rubrica Sinopica. de Alumine iam satis dictum est. Rubricam vero Sinopicam Iecoris morbis conflictatis recte dari testis est Dioscorides, lib. v. cap. LXXI. ea nullo negocio diffluit, cum diluitur. eius rei hęc potest afferri caussa, quod parti, quæ aridior est, ignis multum addit propter naturæ similitudinem, ab eoq; continuo comminueretur, ac dissiparetur, nisi re humidiore adiuncta refrigeraretur, vnde in aquam coniecta nunquam concrescit, atque consolidatur; quod bolo Armeno euenire notamus, in quo humiditatem quasi gluten terra nacta est. ea igitur cum adeo exiccet, atque adstringat, nihil mirum si adstrictio arenulas in renibus ita tardet, vt fiant sæpe aptiores multo, quam antea ad calculos procreandos. ergo maior multo particulis omnibus corporis nostri ab his aquis robur accedit, quam vasorum vacuitas, eædem morbis omnibus ex alia parte excernente, excitatis auxilio sunt. Menstrua largius profusa supprimunt; Gonorrhœam sanant, summum sæpissime vehicula quædam comparanda sunt, quibus ex corpore hæ eripiantur aquæ. longior oratio suscipienda non est de D. Ioannis aquis; quod in eis nec ferrum, nec argentum, sed aqua tantummodo calidior sit, eaq; purissima. Vincentius Gregorius I. C. sæpe mihi narrauit, magnum serpentium numerum, à se ibi puero visum, qui delituerant, repente vero se intulerunt, cum balnea restituerentur. in aquarum fere diuortiis D. Luciæ aquæ erumpunt. in quibus Salgemma, & Alumen affluit, quæ oculis salutares sunt. cæteras autem, quæ ex hoc mõte decurrunt aquæ, calore quodam tepescere manifestum est, vna excepta, quæ frigescere videtur, vergit ad Orientem

ſolem æſtiuum,& iuxta viam,quæ ad templum ducit, erumpit. non longe omnino abeſt à fonte aquæ Villenſis,ſuperiores montis partes occupauit. nihil ergo mirum,ſi hic locus propter frigiditatem alumine maxime abundat, ad eius enim generationem frigiditas conueniat,neceſſe eſt.

Peroratio. CAP. XIII.

HActenus naturã calidarum aquarum,quod multo ante polliciti fuimus,demonſtrauimus, atque ita demonſtrauimus,vt rem ipſam auctorem dederimus; cuncta primum ex vno calore, deinde ex frigiditate, quæ cum calore hoc in loco prope prælio decertata eſt,pendent, ac orta ſunt. Sulphur in imo ignem accendit,quod non modo,vt aquæ ferueant, cauſſa eſt, verum etiam Bitumen,& nitrum procreat. Ex frigiditatis conflictatione alumen primo quoque tempore exortũ eſt,deinde Salgemma,tum Ochra, deinde Rubrica,poſtremo ſinopica,fortaſſe natura ferrum procreatura,niſi calor,qui ex Sulphure excitatur, naturalem calorem labefactaſſet. nec vero aliud natura ipſa loqui videtur. à qua hæc didicimus,nõ ipſi reperimus. cum aliquid (inquit) procreare conſilium eſſet, Sulphur protuli,Bitumen genui, Nitrum peperi; frigore deinde conflictata id,quod potui,potiuſque duxi,feci. Alumen&Salgemma procreaui,Ochram,Rubricam, Sinopicam coagmentaui,quæ iniuria,quam inſignem mihi intulit frigiditas ducta,conflataque eſſe mecum omnes(quod ſpero) poſthac agnoſcent. agnouit autem & olim hæc quoque Alexander Puccinellius medicus Lucenſis eruditiſſimus, qui & in harum aquarum natura inueſtiganda, & ægrotis curandis ſumma cum laude perdiu verſatus eſt. at inuentus eſt ſuperiori anno,qui literis conſignarit eandem hac de re medicorum omnium Lucenſium eſſe ſententiam, id minime verum eſſe certiſſimum probabit argumentum;

quod

quod ego & Physicus,& Medicus,& Lucensis librum conscripserim de aquis Villensibus, qui primum Lucæ MDXXC. deinde Venetiis MDXXCV. impressus est, in quo aperte demonstraui, cur meam magis quam cæterorum sententiam probarem. neque vero ad Medicinam meam operam nunquam contuli; quem rei medicæ studia per tot annos stipendiarium habuerũt. primum Lugduni MDLXVI. περὶ παρασκευαστικῶν librum dedi; alterum περὶ αἰτιλεγομένων volumen Lugduni eodem anno pependi, tertium Auenioni, MDLXIIX. secundum περὶ αἰτιλεγομένων, minime recusaui; Quartum Burdigalæ Diuinationem MDLXXI. dependi; Sextum IV. De iudiciis librum MDXXC. Venetiis primum, dein Lugdun. MDXXCI. impressum persolui; Septimum Lucæ MDXXCII. Commentariolum in librum Hippocratis De morbis virginum numeraui; Octauum Lugduni libello de signis morborum iudicialibus MDXVCIV. decreuerim. quibus me vt liberent studiosi, minime postulo; namque habeo alia quamplurima, quibus stipendia sane augere non nolim. sed vide modo, quam facile vel vno versiculo illorum euertatur firmamentum, qui cupiditatem adhibent in cõsilium, quæ nunquam habet explicatas rationes dignitatis suæ; à veritate autem neminem vnquam timuisse exploratum mihi est. ab altera nullum non periculum esse perspicimus; & conscientia optimorum consiliorum nulla sustentat; & malorum, quę consequi solent, nulla vera consolatio reperitur. verumtamen quid illi concupiscant, optimi, & eruditissimi quique videant. quod concupierunt, certe minime obtinuerunt. noli quærere. certo scio excellentissimum Collegium medicorum Lucensium Petro Andreæ Mattiolio per epistolam olim respondisse; *illum sententiam, quæ ferrum in his montibus subesse affirmaret, latius magis patere videri.* quod minime ignoraret multos aliter sensisse; illudque optime teneret, eum, qui sua oratione cuncta

complecti nititur, non paucorum, non multorum, ſed omnium rogare oportere ſententiam. hinc illa
» (vt opinor) apud Feſtum: *numera ſenatum, ait quinis*
» *ſenator Conſult.* etſi vero in quamplurimorum ſententias multis partibus plures eunt; paucorum tamen ſententiæ non continuo configendæ, ac frangendæ ſunt; etenim vt plures libentius ſequamur, contemnere paucos non debemus, in quibus firmitatis aliquando ſatis eſt, fabularum parum. verumtamen quod vnum noſtra dudum ſpectauit induſtria, vt aſſequeremur, ad id propius ſcilicet acceſſimus; namque ineptus ſim, ſi hac in re certi aliquid definiam, in qua haud ſum neſcius per multos doctiſſimos, & eloquentiſſimos viros magno cum labore verſatos fuiſſe. quamobrem in eorum natura perſcrutanda vel Platone auctore in Timæo, eorum quæ perpetua ſunt, rationes ſi aſſecuti minime fuerimus, veriſimilia inueſtigauerimus, venia digni ſumus; in quibus perſequendis & voluptate haud vulgari profundimur, & ingenuo, & prudentiori ludo ludimus; in quo nemo eſt (ni fallor) qui antea ſe accuratius exercuerit.

IOAN.

IOAN. BAPT. DONATII,

DE AQVIS LVCENSIBVS,

LIBER II.

De Aquarum Villensium caliditatis, siccitatis, & humiditatis interuallis, & de appellato influxu. CAP. I.

QVANDOQVIDEM antea harum aquarum mistionis rationem satis probauimus; nunc quantum eædem aquæ vniuscuiusque recipiant medicamenti, significemus; & quibusnam interuallis venæ Bituminis, Salgemmę, Nitri, Aluminis, Sinopicæ distinguantur, aperiamus. namq; illorum facultates à vobis probe iampridem cognitæ sunt, quippe qui ex Philosophia eorum virtutes petistis, in qua egregie, & dilucide explicantur. hoc vero loco facultatum inter se proportio diligentissime est à me declaranda, quam in omnibus rebus gignendis perpetuo natura tenuit. eadem à nobis est in medicamentorum cõpositionibus sedulo custodienda, quod elicimus ex Galen. 1. De antid. cap. 11. cõpositio vero certis quibusdam interuallis distincta, ac firmata est, citra quæ plane consistere non potest, atque extra illos quasi cancellos egredi tutum non est; namque imminutio eius virtutem debilitat, additamentis autem aliqua præterea illi fit accessio, vtraque propria facultas labefactatur; vel enim vires in ea desiderantur, vel plane superant. in his igitur aquis inest (vt arbitror) Aluminis fere triens, Sinopicæ quadrans, Bituminis sextans. ex hisce manat quædam forma, quæ & temperatura harum aquarum dicitur, quam in secundo

interuallo calefacere,& exiccare; morbósque modica exiccatione,atque haud magna humorum detractione percurare posse notamus,refrigerare in primo affirmare vix auderem,nisi de nostrorum, & antiquorũ verbis haud insçius essem,id experientia quotidie apparere. quamobrem vna trahor, qui ad hasce aquas caliditatem,& siccitatem permanare optime intelligam; neque vereor,ne quisquam propter hanc rem me maledictis differat; quæ experientia tota nititur,quam etiam cum ratione paullo post coniungere conabimur. Neque vero ad hęc quicquam diuinitus accedere prętera verisimile est, quod extrinsecus aduenire multi arbitrantur, influxum quendam scilicet, quem & Sol, & Aër,& loca afferant; non enim eodem modo(quod tradit Alexander II. *Quæstionum,naturalium* C.III.) *compositorum corporum essentiæ diuina accurrit virtus; materia enim,quæ per se nulla est prædita qualitatibus & sine vlla re,& (vt ita dicam) actu nacta est corpus,eadem ratione figuram,& formam desiderat: & à facultatibus quæ à diuinis corporibus manant, speciem & figuram obtinet: & quo magis ad diuinum corpus accedit, eo plus diuinæ naturæ compos euadit. forma vero,quam potissimum assequitur,caliditas,& siccitas est: hæc enim sunt priores, quæ ab illis fluunt, qualitates. quod autem corpus ab his commutationum,& generationum caussis longius abest, aut contrariam formam nanciscitur,aut illa quidem materia hanc, ea vero aliam pro corporis opportunitate formam,& qualitatem consequitur, quæ à motu potissimum manat, & qui cietur in circulo zodiaco appellato,in quo Sol, & Luna, & catera astra, quæ errare dicuntur,ferri videmus. ab eo caliditas,& siccitas disseminatur in materiam,quæ illis corporibus proxime accedit,vnde ignis procreatur. Aer humiditatem, & caliditatem adeptus est. Aqua humiditatem,& frigiditatem habet. Terra frigiditatem,& siccitatem obtinet,quæ scilicet reliqua est ex prioribus simplicioribusq; cõtrarietatibus. huiusce modi igitur*

sunt

sunt à diuina facultate in materia simpliciores, ac priores formæ procreatæ, quæ causſæ, essentiæ, & naturæ corporum simplicium euaserunt. quæ autem ex harum mixtione, & temperamento exoriuntur, quasi pluribus præditæ facultatibus aliis, atque aliis instructa corporibus composita magis, & absolutiora multo euadunt. At perfectio, & forma eis, alia atque alia accidit, discrimine quidem eodem, quod in primis antea obseruatum est, quod in mixtione scilicet corporum notatur. sunt enim quædam corpora tenuiora, & magis (vt ita dicam) actiuæ, huiuscemodi vero sunt, quæ magis accedunt ad motum corporum cælestium: quædam autem crassiora, & quæ pati nullo negocio possunt, quæ longo interuallo ab eorum motu disiuncta sunt. illorum igitur forma absolutior est, in quorum temperatione puriora corpora, & tenuiores partes magis elucent: quæ vero horum minus nacta sunt, & quæ his, quæ passibiles vocantur, & crassiores sunt, magis constant, eorum est etiam forma imperfectior. Aquas autem Villenſes calefacere, & exiccare ita affirmamus, vt ea tantummodo virtute præſtent, re vero ipſa caliditatem inter initia tertii interualli collocamus, & quantæ quantæ ſunt, totas humidas eſſe cenſemus. calidum autem, & ſiccum vinum eſt, at totum humidum eſt. Acetum acre eſt, at idem humorem habet. aqua maris calidior, & ſiccior eſt, at tota aqua eſt. Alumen autem cum Bitumine coniunctum tertium caliditatis gradum aſcendiſſet, niſi Sinopica occurriſſet, quæ vtriuſque caliditatem mirifice retudit. eius autem frigiditas ad ſecundum caliditatis gradum aquas reuocauit. ſiccitatem vero omnem aqua diluere minime potuit; quæ & in Bitumine, & Alumine, & in Sinopica elucebat. ex harum qualitatum coniunctione, forma quædam conſtruitur, quã Deus, & natura præclare intelligit, nos ex natura, & propria aquarum eſſentia facile cognoſcimus; vſu, & experientia tenemus. qua in re omnia omnium iudicia egregie congruunt. recte igitur humidiores, & frigidiores

ad haſce aquas impellimus, quod & calefacere, & exiccare poſſint egregie, quod & Paullus Ægineta lib. III. cap. v. in extremo luculente tradit hiſce fere verbis: » *Porro humidioribus quoque aquæ naturales recte adhi-* » *bentur*. hanc rem pauci ſane animaduerterunt, qui calidioribus corporis affectibus cõflictatos ad has aquas detrudunt. At Galenus I. De ſimpl. med. facult. c. VI. multo aliter ſentire videtur, qui hæc literis cõſignarit. » *Aduerſiſſimæ vero ſunt omnes* (verba autem faciebat de » aquis calidioribus) *calidis corporum noſtrorum vitiis*. Non hęc ſcribo libenter, ne me meos Lucenſes medicos minus nouiſſe quiſquam ſuſpicetur, quos Galeni libros diligentiſſime ſemper euoluiſſe cõſtat. ſed cum haud ſim neſcius multos in re medica minus eruditos, mea hæc aliquando perlecturos (nam quæ literis conſignamus, vt & Plato ſcripſit, fere excidunt, ac elabuntur) ne quis Galeni verba in VI. De ſanit. tuen. cap. IX. » *Quæ ſatius eſſe huiuſcemodi aquas experientia cognoſcere* » *ſignificant*, pro eo accipiant, ac ſi rationem non omnino probaret; pluribus verbis perſecutus ſum; nolo enim quemquam in hac re diutius hærere, in qua cuncta poſita, ac collocata eſſe videntur. nolo Galenum inſcitiæ condemnari, qui omnium doctiſſimus fuit. at quod nam eſt hoc loquendi genus, *Satius eſſe huiuſce-* » *modi aquas experientia cognoſcere?* quaſi ea improbet, » quæ antea ab illo recte, atque ordine tradita fuerunt. minime. ſed cum ille hac in re perpendenda rationem ſe tantummodo adhibuiſſe perſpiceret, eandem rem experientię quoque pondere pendere maxime voluit, quibus medici omnes omnibus fere in rebus examinandis, ac inueſtigandis magnopere niti debere ſexcentis in locis affirmauit. harum aquarum vel aër, vel vapor fuliginoſior veſicæ ſenſum obtundit, qui dein purior, ac dilucidior multo redditur, humores ſegregat, vrinę copiam haud vulgarem cum ex omnibus venis, tum vero ex partibus illis, quas calculi occuparunt, extrudit.

extrudit. quæ ex Aëtio sumpsimus, libro x. c. xl. & xxx. cum vero his aquis & Sinopica, & Alumen, & Bitumen insit, verissimum illud erit, quod à nonnullis multo ante traditum est, & calidiores quasdam particulas frigidiores reddere, & frigidiores calefacere nullo negocio posse; etenim cum Bituminis qualitates pugnent cum iis, quibus Sinopica prædita est, contrarias protinus qualitates aquas has obtinere verisimile est. quæ res cum à veteribus quoque egregie perspecta esset medicis, ne cui esset ignota, vt in marmoream tabulam protinus incideretur, & illustriori in loco figeretur, curarunt. verba minime adscribimus, quod visa nobis sint horridula; eadem versibus prosecuti sumus, quibus potuimus;

Partibus hæc cunctis celsæ iam corporis arcis
Prodest, & stomacho, pene cietque famem.
Per totumque cibos corpus distribuit, aufert
Et vomitum omnem, quem noxia fella mouent.
Quin Iecoris vitia abstergit, quæque obuia sentit,
Prouehit; & septas aperit inde vias.
Purpureusque color sequitur, morbosque Lienis
Magni, & Pulmonis vlcera tetra sanat.
Eluit & Renes, rigidos scinditque lapillos,
Trudit Arenam, cunctam abluit & saniem.
Attenuata prius pingue scere corpora vidi,
Et lepram membris tollere semianimis.
Soluit & antiquas febres, iniecta locorum
Sæpe iuuat morbis intolerabilibus.
Extima pars hominis, nunquam non flagrat adesa
Vlcere. at hoc pestis vincitur auxilio.
Mersantur triginta dies nunc corpora, & æger
Sumit aceruatim illam octies, & decies.
Purgamenta prius tamen extrudenda memento
Corporis: atque hæc certa est ratio remedij.

De ratione exhauriendi aquas Villenſes.

CAP. II.

FIT nonnullorum imperitorum vocibus vt nullum mihi liberum tempus relinquatur ad eas res perſequendas, quibus nihil omnino ad vtilitatem præſtantius eſt. qui Galenum, veteresque nihil de aquarum calidarum natura pertractaſſe affirmare audent; iidem de earundem vſu nihil plane tradidiſſe nunc oſtendere conantur. Galen. v. De ſanit. tuenda, cap. xii. aperte tradit, quos in balneum inducere in animo eſt, eos multo ante medicamentis purgare oportere. quod ſi obſeruandum eſt in iis, quos in balneum tantummodo demittimus, quid ſentiendū eſt de iis, quibus eaſdē aquas potandas damus? illos autem, qui omnibus abundant humoribus, ſanguinis detractionem efflagitare nemo iam neſcit. quod ſi qualitas humorū ægrotos male habeat, cōformare debemus medicamentum ad humorum qualitatis rationem, quos tamen ad extrudendum aptiores reddere multo ante debemus. Ad hoc thermopolium pituitoſiores, & qui plurimo affluunt ſanguine, autumno maxime impellendi ſunt. Qui bilioſiores ſunt, & qui melancholiam coaceruant, potiſſimum verno tempore, quas nunquam frigidas potandas dedi. Audiui tamen quoſdam eas frigidas perpotaſſe, atque egregie illas extruſiſſe. Qui quotannis ad aquas ventitant; illi, quantum hæ aquæ obtinere debeant caliditatis, ne quærunt quidem; quod eas è fonte haurire nullo negocia poſſint. quæ totum tertium pene caliditatis gradum aſſequi videntur. in eundem gradum illas collocare debent, qui ab hiſce locis longius abſunt. id commode fiet, ſi aheno, vel olla noua ampliori parata aquam calidiorem habebunt, quę ferueat. in eam dimitti debent ℔.x. aquarum Villenſium vaſe vitreo, ac exiguum patì, dum eum illæ caloris gradum

dum aſcendant, quæ ex ſe obtinere ſolent, dummodo minime bulliant; namque hac in re moderatione quadam opus eſt. recte atque ex artis præceptis perpurgato corpore, viis omnibus recluſis, ac patefactis, ſummo mane, orto iam Sole, Vere, aut Autumno poſt matutinam deambulationem, aut frictionem, aut geſtationem maiora pocula I IX. aut X. vnciarum, exhaurire debent ægroti. I IX. autem pocula ſpacio vnius horæ ingerere debent, quæ VII. librarum ſummã faciant. ſomnum vitare debent, qui fere ſubſequitur, vel potius vrget. vidi tamen mulierem, quæ cum ſomno totum matutinum tempus traduxiſſet, aquas egregie extruſiſſe, ſi antequam omnes aſſumptæ fuerint aquę, vel per aluum extrudantur, vel per vrinam deſcendant, modo VI. libræ iam hauſtæ ſint, calix maior tantummodo impingendus eſt, reliquæ abiiciendæ. atque illico ℥. ß. conſeruę Cotoneorum ex ſaccharo deuorandam damus; quod hæ aquæ capiti aliquam inferant iniuriam. haud ſum neſcius Archigenem heminas tres vſque ad VI. potandas præbere. at hæc eſt potiſſimum ratio præbendi has aquas, qua vulgo vtimur, in qua experientiam ſequimur, quæ in his præſertim aquis calidioribus præbendis vel eiuſdem, Archigenis teſtimonio ad rationem curandi plurimum confert. Multi vt XII. libræ aquarum aſſumantur, iubent, quibus cum non pugnamus, modo habeatur ratio & ætatis, & aëris, & conſtitutionis corporis. Illud veriſſimum eſt, quod earum, quæ longius exportantur, maior multo copia dari debet; fieri enim nullo modo poteſt, quin temporis diuturnitate paullo imbecilliores reddantur. nonnulli in tres priores ſcyphos, vt aluus magis, ac magis ſollicitetur, ℥. ß. ſalis coniiciunt. hoc vt facerent, Plinii auctoritas eos maxime impulit, qui libro XXXI. cap. VI. tantam aquarum multitudinem haurire minime nos debere tradit ſine crebro ſalis guſtu, id eſt, ſine ſalis, (vt arbitror) additamento.

Noſtri autem tria pocula aquarum Tectutii, aut Barnabonis perſcribunt, vt quæ in primis venis ſuperuacanea coierint, prorſus exterminentur. quidam, quorum potius conſilium eſt vrinam mouere, ſyr. de duabus rad. dul. aut de eryngio ℥. i. aut alteram addere ſolent. pueris iv. aut v. libras perſcribimus: mulieribus quæ ſunt in menſtruis, recte dari minime poſſunt, quod ſanguinem auertant; quippe quæ vrinam cient. Qui has aquas potat, aut deambulare, aut geſtari, & abdomen linteis calidioribus contegere debet; ac eidem pedes, & genua implicare ſolent, qui ægroto aſſident. ſudor vitandus eſt, quo nihil grauius hac in re accidere poteſt qui aquarum impetum minuit, retardat, aut comprimit. vi. hora in prandio ſumat iuſculum aut caponis, aut vituli, aut perdicis, aut phaſiani. Carnem parce attingat. vinum nigrum optimum bibat, adiecta pauca aqua cocta. interdiu ſomnum minime capiat. cænabit lautius, ſed tamen cibos aſſumat, qui nullo negocio concoquantur, vt ſtarnarum iuniorum carnes, perdicis, pullorum columbinorum. in bibendo ſibi parcat. iv. diebus aquis perpotatis, v. ocio fruendum eſt iucundiſſimo. quod ſi aquæ totæ minime tranſcurrerint, vt illæ deinde faciliorem, & expeditiorem habeant curſum, poſtridie aut aluo ægrotos curare debemus, aut vt aliquid aſſumant, iubendum eſt, quod vrinam permouere poſſit: ſin duarum, aut ad ſummum trium horarum ſpacio, neq; per aluum, neque per vrinam deſcenderint aquę, animaduerſis prius, quæ paullo poſt perſcribentur, poſtero die bene mane ℥. vi. olei amygd. dul. recen. aſſumat, vt & coniecta maioris ſalis quantitate, longiori, diuturniori ambulatione, aut geſtatione, maiora pocula, & maiorem aquarum copiam tertia die exhaurire poſſit ægrotus. quod ſi hoc tempore aliqua haud contemnenda pars aquarum eiiciatur, at non omnes; & eadem die in aluum infundere debemus, quæ lib. iii. c. iii.

112. dicemus eos ingerere debere, qui aquas minime extrudunt, & IV. die iterum aquas eadem ratione assumere, & lintea multo calidiora abdomini admouere. quod si eodem modo aquæ restiterint, clysteré eadem ante prandium in aluum agantur. V. die ab aquis omnino abstineat. ac, nisi si corpus lassitudinem sentiat, aluo ægrotum curare debemus eo clysteriorum genere, quæ leniora vulgo vocantur, quæ tamen commodius multo ex aquis Villensibus excipiuntur. VI. die iterum aquas perpotet. quæ si adhibita huiuscemodi diligentia minime descenderint, tunc demittere ægrotum debemus in alueum calidiorem aquarum Villensium, aut potius (vt vocatur) in sudatorium. quod si ne hisce quidem auxiliis aquæ prorumpant, ad hæc catapotia confugiendum est, in quibus sunt Agarici opt. Turbith gummosi, Rhab. spec. Hiera 5. sing. script. 1. ex aqua Betonicæ excipiuntur, formantur catapotia VII. præbentur in aurora. solet interdum euenire, vt hisce aquis admissis venter distendatur, & vomitus consequatur; qua re commoti nonnulli aquas illico horrent. verumtamen illis vomitu excussis, alias iterum ingerant; namque hac ratione ventriculus proluitur, & continuo pituitæ haud contemnenda copia insequitur. quæ vel optima etiam victus ratione adhibita, sæpissime in imbecillioribus superfluere solet. solemus sæpe & antequam aquas Tectutii præbeamus, iubere, vt ægroti sumant ℥. VI. Olei amygdal. dul. quod & in aquis Villensibus præbendis aliquando imperamus. postquam aquas hauserimus caput fistulis statim subiicere minime debemus, quod aquæ Villenses insignem capiti imponant iniuriam; quod Bitumen sursum vapores eructet, qui cerebro sane quam incommodi sunt.

Has aquas adstrictionis aliquid relinquere in renibus, & quomodo huic malo occurri ex arte possit.

Cap. III.

ILlud interea animaduertendum, quod multos quoque alios diligentissime obseruasse video, has aquas perbelle quidem pondere, ac copia extrudere solere arenulas, lapillosque, si qui renibus adhęserint; at in illis flexuosis itineribus tantum vel roboris, vel adstrictionis relinquere solere, vt Renes aptiores multo dein fiant ad lapides procreandos, nisi huic malo diuinum occurrat medici consilium. illud argumento est, quod idem ægroti semper petant, quærant, tentent remedium; & quod caliditas exiccando arenulas cogat, non incidat, aut dissipet. quod auctor libri De dignoscendis, ac curandis renum vitiis tradit, cap. extremo. huiusce detrimenti culpam sustinet Rubricæ, Sinopicæ & Aluminis copia, qua tantum affluunt Villenses aquæ, vt vir doctissimus solum Alumen in hisce aquis inesse aliquãdo censuerit. Nos in tempore proferre solemus illa remedia, quæ vel vrinam citare, vel particulas illas maxime lenire solent, & possunt. Si Renes calidiores sint, syr. Violaceum, aut Capill. Ven. præbemus: sin frigidiores sint, & materiæ frigidioris nonnihil etiã in ipsis hærere suspicemur (eas enim captam semel sedem diutius tenere solent) ad syr. Eryngii, aut ad syr. Hyssopi ex Oxymellite, aut ad Valerianam, Agrimonium, absinthium, Troch. Alchachengi, aut deniq; ad nostrum in huiusce modi casu efficacissimum confugimus, decoctum ligni Sancti (illa victus ratione reiecta, qua vulgo vti solemus, cum huiusce modi remedium vsurpamus) sæpe præbui, quod humidioribus temperaturis conueniens fuit auxilium.

Scammo-

Scammonium, elaterium reiicit, aquam Barnabonis dilaudat. CAP. IIII.

PRobare minime possum, quod nonnullos factitare video, vt aut Scammoniũ, aut elaterium Villensibus aquis admisceant; quod asperiora medicamenta humores commoueant; partes principes calidiores, & imbecilliores reddant, & stomacho maxime noceant. Ego vero vel ad puluerem Lumbricorum terrestrium, vel ad sem. Halicacabi, vel ab Barnabonis fontem recurro. Huius aquas si nihil eis præterea additum sit, vrinam egregie trahere, sin aut Manna, aut syr. ros. lax. aut tale aliquid adiunctum sit, ventrem tantummodo exinanire vsu persæpe comperi. ad hoc probandum singularis ratio reperta iam est; etenim cum fontem illum Bitumine magis affluere, quam cæteros verisimile sit, quod prope infimum montis locum teneat (Bitumen enim post sulphur, vel potius ex sulphure procreatur) & cum simili in genere tametsi inferiori ordine collocatus sit, naturali quoque quadam cognatione cum his iungatur, profecto fas non est dubitare; quin cum hæ aquæ in corpus ineant, in caussa futurus sit, vt facilius multo aquæ Villenses, calore duce, comite Bitumine per venas permeent; ni vis maior aliqua accesserit, quæ in intestina eas compellat. de Scãmonio, ac de elaterio plura scribenda nõ sunt, quod hæc quid boni, quid mali afferre possint, nemini ignotum iam esse arbitrer. cum aquas Villenses præbemus, vt IV. quoque die ægroti conquiescant, iubemus. sin vomitum eædem aquæ excusserint, aliæ protinus superbibendæ sunt. quæ excernitur adseruandæ: neque enim alienum est, & aquas, & vrinam metiri, quæ totæ interdiu extrudi aliquando minime solent, noctu sæpissime, raro postridie. In prandio parum assumere assuescimus. in cœna damus cibum copiosiorem, tenuem tamen, ac simplicem. quod autem

omnibus fere aquas Tectutii inter initia præbeant, id ego omnino laudare non possum, in iis præsertim qui temperatura sicciori præditi sunt. illud in summa nonnullorum laude pono, quod post aquas Villenses Tectutii aquis vtãtur; pulcre enim medetur iniuriis, quas aquæ Villenses stomacho inferre aliquando solent. illud nemo non agnoscit, easdem aquas priores venas minime transire; at nos sæpe notauimus bonam, magnamque partem cum vrina protinus excerni in iis, in quibus vrinæ itinera maxime patent. Verum hęc alias, & suo loco. hoc aperto per aquas Tectutii introitu indicium sane haud vulgare est ad cæteras venas facile Villenses quoque peruenturas.

De victus ratione. CAP. V.

VIctus rationem nunc thermopotoribus, & iis qui in alueum descendunt, accuratius persequi in animo habemus, quod in eam antea sæpe inciderimus. in qua ex sententia Ioannis Alexandrini VI. De morbis vulgarib. Com. VI. particula IV. respicere debemus ad virtutes, & animales, & sensibiles, & naturales. Animales sunt intellectus, memoria, phantasia. sensibiles sunt odoratus, gustus, tactus, auditus, ac denique visus. Naturales sunt generatio, auctio, ac nutritio; huiusce ancillæ, ac quasi pedissequæ sunt attractrix, retentrix, expultrix, ac concoctrix facultas. cæteris nunc prætermissis, à nobis potissimum agendum est de concoctione, quę vt rite perficiatur, eius instrumenta ab iniuriis, quoad fieri potest, tueri debemus. instrumẽta autem, quę cõcoctionis munus exequuntur, tria potissimum sunt. Stomachus, iecur, & singulæ quæq; partes eam caloris opera maxime absoluunt, qui tametsi æthereus habeatur, aëris tamen frigiditatem mirifice postulat, atque cum illam desiderat, calorem continuo langueſcere, ac tabescere videmus. Aër igitur frigidior esse debet iis præsertim, qui aut thermopotant, aut in

aut in harum aquarum æstibus se committunt, vt suus corpori facilius redeat calor. maxima tamen eius frigora, ac ardores vitandi sunt; vtraque enim caput replent, quod scribit Aetius lib. VI. cap. XXIII. calore excitato, ac prope viuido reddito nullo negocio in suis muneribus custodiemus instrumenta, si eorum temperamenta tuebimur, ac conseruabimus; ex quorum temperatione sanitas in toto corpore plane consequitur; quæ omnem multitudinem, & cacochymiam, omnem inanitionem, ac repletionem reiicit. quod & Theognis cecinit;

Πολλῷ τοι πλέονας λιμὸς κόρος ὤλεσεν ἤδη
Ἄνδρας.

Multo plures perdidit olim homines satietas, quam fames. & Hippocrates scriptum reliquit VI. De morb. vulg. cap. IV. part. XXII. Exercitatio sanitatis est vesci citra saturitatem, minime refugere laborem. & ex sententia Clementis Alexandrini, siue inanior, siue plenior sit ægrotus, balneum continuo abiiciēdum est. Tota igitur victus ratio consumi videtur in labores, cibos, & Balnea. Labores autem exercitationes voco, quæ cibos, & Balnea semper antecedere debent. quod egregie inculcatum fuit a Galeno VI. De sanit. tuen. cap. VI. exercitatio vero salubrem habitum affert, & corporibus & spiritibus: antequam igitur aquarum poculum exhauriamus, aut descendamus in balneas, leuiter ambulandum, aut corpora fricanda esse nemo ignorare debet, tametsi plerique ignorent, perpauci vero frictionibus & ambulationibus vtantur. Sine exercitatione aliqua in balneas descendere veteres minime solitos fuisse ex Galeni loco citato nullo negocio intelligitur. Tradit idem Andreas Baccius doctissimus vir, ad quos ego illos libenter reiiciā, qui hæc lectitabunt, ne a ceterorum lectione omnes de industria abstrahere velle videar. etenim & dum thermopotarent, voluptate quadam perfunderentur ægroti; & ventricu-

lus calore illo aquarum, quas recipit, veluti blanditiis quibusdam delinitus, melius eas ministraret & melius ex Iecore in vesicam deducerentur;& membra deniq; iisdem capta illecebris easdem aquas cupidius arriperent. Nostri autem iis ludis non tantummodo delectantur,quib.cum ludunt,ocioſe ſedendum eſt (aut enim latrunculis,aut tabellis pictis,aut alea exercentur) verumetiam hi ludi magnificentiſſimi habentur;quorum ſane nullus modus retinetur. Inter exercitationes frictiones aggregamus,in quib.aliquãdo oleis vtimur. priuſquam vero in balneum ſe demittant ægroti ſine oleo perfricari debent;at poſtquam exierunt, ac ſudarunt (quandoquidẽ in illis diutius mora facta eſt; nam paullo diutius his vti debemus, quod Plin. ſcribit lib. xxxi. cap. vi.) oleum adhibetur. nec vero procedere debẽt, niſi bene tecti. poſt Balneum paullulum quieſcendum, deinde deambulandum, poſtremo cibus aſſumendus; qui plenior eſſe debet in cœna,quã in prandio,preſertim ſi ad ſolium iterum redire debent ægroti:ſepe vero imperant medici,vt bis in die in ſolium inducantur. partes autẽ corporis noſtri, præſertim cum belle ſe habent, ſolidiores ſunt, quamobrem ſolidiorem quoque cibum expectant, nam ex Lucretio

» ——*priuata cibo natura animantum*
» *Diffluit amittens corpus.*

quem boni ſucci eſſe oportet, & qui facile concoquatur,neque craſſior ſit;cum autem eædem affectæ ſint, non modo alere debet cibus,verum etiam illud in illo eſſe conuenit, vt quaſi medicamentum intemperiem, ſi qua ſubſit,corrigat,obſtructiones abſtergat, humores aut leniat aut certe extrudat. namque ex Actio lib. ix.cap.lii. cibus,qui in ventre minime concoctus moram trahit, neque infra extruditur, in caput impetum facit. hinc Ennius ſatyr. lib. i.

» *Malo Hercle ſuo magno conuiuat ſine modo.*

Atque hæc omnia fere amplectuntur. ſingulæ res magis,ac

gis,ac magis notandæ. curandum ne in multis,ac multis cibis concoquendis ſtomachus defatigetur. quæ autem facile concoquuntur, iis quæ minime concoquuntur, paria ſunt, ſi præter modum ingerantur. ex Aëtio lib. IX. cap. XXIV. animaduertendum ne ciborum qualitatibus luctetur ſtomachus, quod contingere ſolet, cum cibos ægre concoquit, atque ſtomacho nimiam humiditatem regerant. prouidendum præterea, ne ſuperuacanea ſicciora euadant, ac ne praui in ſtomacho, ac in toto corpore humores coaceruentur, quod & idem Aët. ſcriptum reliquit lib. IX. cap. XXX. ac quod dictum eſt de ſtomacho, idem dictum puta de Iecore, in quo ſecunda abſoluitur concoctio; quæ ſi recte, atque ordine perficiatur, eo plus accedet ad tertiam; nam ſi quid in ſecunda concoctione offenditur, culpæ plus in primam, quam in ſecundam confertur. hanc igitur cum recte atque ordine natura moliatur, & virtutes naturales ſummam capiunt vtilitatem. cum autem dicimus naturalem virtutem, vitalem quoque intelligi volumus, a qua hanc neque ſeparârunt, neque diſiunxerunt antiqui Philoſophi, præſertimque Ariſtoteles, & eius ſectatores, in quorum numero auctorem De alimento plane coniicimus, qui *facultatem eſſe vnam, quæ cuncta hæc, & cetera regit, ac gubernat*, aperte ſcribit II. De Alimento p. XVI. Animalis autem virtus ſine concoctione, ac nutritione conſiſtere non poteſt, quod & D. Gregorius Nazianzenus orat. XII. confirmauit. Ordine enim naturæ, ac lege contingit, vt illa mutuo nexu cuncta inter ſe deuincta ſint; mutua enim ſocietas eſt, naturæque concordia, ac conſpiratio. vbi ventriculi concoctio labefactata eſt, nulla fere corporis pars eſt, quæ mala non ſuſtineat. Iecur abeſſe ab iniuria cruditatis non poteſt, Renes iis humoribus referti ſunt, quos veſica nullo modo aliquando extrudere poteſt. Pectus ab iiſdē humorib. crudiorib. liberum non eſt, caput ſuperuacaneis oneratur, mens labat,

memoria lęditur, nutat cogitatio, ſenſus deniq; omnes hebetiores redduntur. Hinc illa elucent: *Confluxio vna, conſpiratio vna, conſentientia omnia.* qui igitur temperamento bilioſiori præditus eſt, inter initia in prandio aſſumere debet Ceraſia, Pruna, Melopepones, Oua ſorbilia, præſertim ſi vires imbecilliores ſint, deinde iuſcula ex vitulæ, veruecisq; carnib. vel ex Perdice, vel ex pullo Gallinaceo. in illis coniecta laudantur, Lactuca, intubū, Borrago, quæ ſalubrius apparari debent, quam luxurioſius ſtrui. in ſecunda menſa carnes Cotoneorum ex ſaccharo dantur. nec quantum appetit ægrotus, tantum præbendum eſt. in cœna Ptiſana primo quoq; tempore probatur, deinde dictæ carnes aſſæ, & largius præbendæ; namq; natura noctu vires cōcoquendi maiores habet. quod ſi frigidius temperamētum nactus ſit ægrotus, condimentis vti poterit. indere poterit Piper, & Cinnamomum. abſtineat ab iis, quæ aut crudiora ſunt, aut ſicciora. quod ſi ſtomachus calidior ſit, nimium melius fructus apponuntur frigidiores. Veruntamen in appetendo ne nimis efferatur, videat quod Bion cecinit,

Ἐπὴ νόσον ὤεια πίκτ.
Quoniam morbos fructus afferunt.

Veruntamen cum omnis cibus natura craſſior ſit, facile occurſu craſſioris materiæ cuncta in corpore obſepta inuenirentur, niſi quæ aſſumimus, potione includerentur;

Scilicet & niſi nos cibus aridus, & tener humor
Adiuuat a miſſo iam corpore, vita quoque omnis
Omnibus e neruis, atque oſſibus exolūatur.

neceſſario igitur potio nobis data eſt, quæ ciborum quaſi vehiculum quoddam eſſet, quod & litteris conſignatum eſt in extremo libri de Alimento: *Humiditas alimenti vehiculum eſt.* Potio autem vinum fere eſt, quod, dum harum aquarum perfugio vtimur, nec auſterum,

sterum, nec vetus, nec album esse debet, sed rubrum, ac mediocre. quod cum calidius sit, & in eo insit succus suauior, ac temperatior, caliditate superuacanea fœdiora colliquat; acriores, ac prauos succos optimo odore delinit. Vini vis frangitur, ac debilitatur, si panis crustula in eo duarum horarum spatio demittatur, atque dein assumatur. nec in eo tamen ingerendo nimium se offerre debet ægrotus, tametsi illud magnopere appetat. Lucilius xxx.

Scito enim bene longinquum mortalibus morbum «
In vino esse, vbi qui inuitauit dapsilius se. «

austerum ægrius distribuitur, vetus & album caput ferit, vtrumq; calore infestat. de frigida vel ex sententia Cyclopis (quod testatur Theocritus Εἰδυλλ. x i. πόντον ἀμβρόσιον) ingens pugna est. quorum stomachus plane æstuat, iis frigidam prodesse putarem, nisi ea altiora percutere sæpe expertus essem, quod & Aët. animaduertit lib. ix. cap. xi i. vel enim ob eius stuporem, stomachus summopere offenditur, vnde cruditas continuo consequitur, vel stomachi, ac viscerum inflammationem accersit. itaq; illam omnino vitare debere cẽseo; qui eam bibere minime consueuerunt. quod si qui sunt, qui eius frigore minime infestentur; aut quod ea vti sępe soleant, aut quod eorum præcordia plus roboris, ac firmitatis nacta sint, si eam assumant, nihil a medicis rationib. alienum committere arbitror. post cibum & potionem, de somno & vigilia agendum est. somnus enim fere vinum, & cibum consequitur; cui, qui humidiori præditi sunt temperamento, & qui in stuporem inciderunt, diutius indulgendum non est; & quod humectet, & spirituum profluuia coerceat; & capitis grauitatem afferat, & totum corpus fere excoquat, quod ob calidiorem humiditatem accidit; idque scribit Hippoc. i i. De victus ratione in morbis acutis p. lv. noctu tantummodo dormire, interdiu somnum prohibere debemus, lucri sunt vigiliæ. in iis autem, qui

calidius,& ſiccius temperamentum nacti ſunt,ſomnus impediendus non eſt. quod ſi in hiſce cibi quoque in ſtomacho natent, neceſſarius etiam ſomnus de prandio eſt. veruntamen ad mediocrem antea exercitationem ægrotus euocandus eſt,vt cibus in ſtomacho ſubſideat, & vt calor melius concoctionem moliatur. a Venere omnino abſtineant; & quoniam cruditas, & obſtructio illico conſequitur; & quoniam Apoplexia accerſitur; in tanta enim commotione & totius corporis perturbatione primariæ, & nobiliſſimæ quæq; partes afficiuntur;atque huc, & illuc ſuperuacanea feruntur. quæ ſæpe cor occupant, & ſyncopim afferunt; ſæpius multo cerebrum corripiunt,& apoplexiam (vt diximus) adducunt. omnes autem animi perturbationes thermopotoribus fugiendæ ſunt. Etenim Accius Alpheſibea,

„ *Membra animo ægroto cunctant ſufferre laborem.*

iucunde vita traducenda; poſtulant enim hæ aquæ, vt omni moleſtia vacent ægroti, a qua ſi ſeiuncti fuerint, primariæ omnes corporis partes munera pulchre ſua exequuntur.ſumma vero animi quies ſanitatis fere nutricula eſt. Balnea vero aquarum calidarum (cetera autem nunc conſulto omittimus) non modo ſanitatem tuentur, verum etiam amiſſam reſtituunt; namq; humidiora corpora egregie exiccant; humores, qui per totum corporis habitum ſæpe diffunduntur, diſcutiunt; ſuperuacanea, quæ inter laxiora corporis ſpatia huc illuc confluunt, diſſipant. quamobrem ad haſce calidiores aquas recte impelli eos poſſunt, qui humidiori temperamento præditi ſunt; & qui in illos morbos inciderunt,quos vel humor frigidior,vel humiditas plane concitarunt. frequentior vero balnei vſus vires labefactat,naturales facultates loco dimouet, ſæpe vtraſque diſſoluit. aliquando autem animo in balneis concidunt ægroti, quod ſcribit Clemens Alexandrinus lib. III. Pædagogiæ cap. IX.

De

De Balnei vſu. CAP. VI.

HÆc de aquarum potu. vt in alueum deſcendant ægroti v. hora poſt prandium cohortari ſolemus, qui aſſa potius, quam elixa ſumere debent, niſi ſi aut ſitis vrgeat, aut graciliores ſint, & bilioſiori temperamento prediti ægroti; quod Balneum calidarum aquarum & hæc magis, & horum ſuccum, quam illa, & illorum ſuccum per totum corpus diſtribuat. quod ſi ſitis excitabitur, aut aqua calidiori, aut vino dulci protinus ſedãda eſt; quod vinum dulcius, difficilius multo tranſcurrat, & ad vltima perueniat; nec ſudare, nec æſtuare in Balneis debent. in quo ſpatio vnius horæ ita in alueo ſe collocare debent, vt ſedeant, neque ſe mouere, neque manu aquas huc illuc impellere debẽt. ex Hippocratis ſententia III. De victus ratione morb. acut. p. XLIX. verbum non faciant, foueant ſe ipſos, nihil agant præterea. tandiu autem ad vſum balnei redire debent, donec & præcordia refrigerentur, & robur accipiant. noſtrum ſtudium ad inania prope conferemus, ſi & hoc loco iterum admonebimus omnes medicos iuniores, vt ægrotos, quos in Balneum ducere conſilium eſt, Balneo idoneos illico facere conentur; namq; alienis, & ſuperuacaneis humoribus corpore toto minime liberato, Balneum partib. ægritudine affectis, humorum profluuium affert. hoc perpurgato, concoctionẽ iuuat. huc accedit, quod vacuo toto corpore facto balneum exinaniendi corporis facultatem continuo obtinere videtur, quod ex Galeno afferimus III. De victº ratione in morbis acutis p. extrema: in Balneum ſenſim ægrotos dimittãt. poſt Balneum lecto ſe cõtinere debent vnius item horæ ſpacio. ſomnum minime capiãt. ſi ſudor aliquis cõſequatur, abſtergendus diligenter; ſin copioſior prumpat, ægrotus quieſcere debet, atq; eum coercere, aut aqua egelida, aut certe oleo frigidiori roſato ſcilicet, vel violat. aut Nenuphar.

antequam in Balneum ducatur ægrotus os ventriculi inungere debem⁹ oleo aut Garyoph. aut nucis muſcatæ, aut Maſtichino, aut Abſinthino. a Balneo cõtinuo bibendum, aut cœnandum non eſt. cauendum deniq; eſt, ne ii, qui in Balneum deſcendunt, medicamentum aſſumant, quoniam aquæ calidiores ex Galeni ſententia v. ſenten. v. medicamẽtorum facultates abſtrahunt: & morbos, qui alia parte excernente concitant, inducunt, qđ tradit Ioannes Alexandrinus v 1. De morbis vulg. cap. v. p. xxx 1. Aët. lib. x 1. cap. xv. ſcriptum reliquit, *poſt calculos expulſos naturalium quidem aquarum vſum probari.* at ſubdit; *lauent non ſæpe, vngantur autem frequenter.* Nimirum videbat vir ille, cui hæc ætas merito plurimum defert, quod ſi prolapſis calculis frequenter in calidarum aquarum balneis deſcenderent ægroti, neceſſario primo calefieri renes, & continuo arenulas renaſci, deinde calorem illum cauſſam eſſe poſſe, vt humores in partem ægritudine affectam facilius delaberentur, præſertim ſi totum corpus ſuperuacaneis omnib. liberatum non eſſet. at Sinapiſmos adhibet idem, inquies. quid tum? qui illud κοινὸν παραίγελμα memoria teneret, quod a Galeno traditum eſt x 1 v. Med. med. cap. v 1 1. in omnib. fere morbis, quos vitioſi ſucci excitarunt, in extremo calefacientib. & exiccantib. vtendum eſſe, quæ & auertere facile materiam poſſunt; partem enim ægritudine affectam tuentur, & ne grauius lædantur, cauſſa ſunt. quantum vero interuallum interiectum ſit inter ea, ad quæ decurrere ſolent antiqui, & Villenſes noſtras aquas, nemo non videt; vt enim hæ maxime calefacere, & exiccare poſſint, in aquæ tamen dominatu ſunt eius opes, ac potentiæ; quicquid autem δίωάμη eſt, alterius, quod ſuapte vi eſſe dicitur, tutelæ protinus ſubiiciatur, neceſſe eſt; atque hic illam omnium iudicio vincit, ac ſuperat. nos vero non modo, vt ægroti in aquas has Villenſes bis in die deſcendant, admonemus, hortamur, iubemus,

quos

quos notaui tardius omnino percuratos esse, & morbum aliquando se extulisse; sed etiam hæc iacent remedia, in quibus posita est multorum sanatio. Adscribit Aëtius loco paullo ante laudato, malagma ad hoc maxime efficax, ad quod ego decurrere soleo, cum cetera nulla sunt. Id vt perpendant studiosi, & eius opera aliquando vtantur, adscribere volui. in eo sunt Picis liquidioris Hem. 1 1. ß. Ceræ, Resinæ pini, Sulphuris viui, singul. ℔. 1. ß. Staphys agrestis Bessem, Galbani Sescunc. quod ne intereat a vobis maxime prouidendum est, qui strenue rem medicam excolitis, qui optimis disciplinis instructi, summa cum laude languentes leuatis, ac iuuatis. Omnem his aquis facultatem eripiunt, qui in alueis illas frigidiores adhibent; potestas enim aquarum sine gradu illo caliditatis extare non potest, & Renes intus inclusi aquarum vires integras exquirere videntur; calefacere enim & exiccare debent, indicant cetera, quæ cum his consociantur, auxilia, quæ idem egregie præstare solent dropaces, sinapismi, & quæ cutem rubriorem reddunt; coniunguntur vero & ab auctore libri de Renum cum cognoscendis vitiis, tum curandis cap. v. Hæc pauca de aquis Villensib.

IOAN. BAPT. DONATI, DE AQVIS LVCENSIBVS, LIBER III.

De Aquarum calidarum natura, proprietatibus ac interuallis. CAP. I.

NVNC de calidioribus aquis vulgo appellatis agendum nobis est. de quibus quamuis antea ita egerimus, vt totius operis fundamenta egregie iacta videantur, quibus vnusquisque innixus ad cetera peruenire facile possit; multa tamen restare perspicimus, quæ diligentissime a nobis sunt explicanda. hæc vero non modo tractare, verum etiam comprobare consilium est. in aquarum igitur Calidarum procreatione cum priore libro principia, ordinem, & progressum naturæ dilucide explicauerimus; modo earum naturam, & qualitates, & effectus proponamus; hac enim ratione si cuncta posthac persequemur, nostra (quod spero) illustriora multo videbunt. cognitionis quidem certe notæ extabũt sumptæ a natura rei, a demonstratione, & ab experientia, quæ quædam exercitatio est. harum autem aquarum naturam aperte in medium afferemus, si primum illud exploratum nobis erit, quod tamen scriptum reliquit Galenus IV. De simpl. medic. facultatibus cap. XV. cuncta hæc corpora ex quatuor Elementorum alia, atque alia coniunctione constare, quorum multa (vt idem Galenus tradit lib. III. eiusdem cap. XIV.) quæ sensu simplicia videntur, natura composita sunt. cetera omittam. hæ aquæ, quæ simpliciores videntur, nactæ sunt varias facultates, namque & calefacere, & exiccare, &

re,& attenuare, & rarefacere obſeruamus,& tenuioribus partibus eas præditas eſſe videmus. quas facultates inter ſe commixtas vnam quandam efficere formam intelligimus. in omnibus enim rebus (quod & ſcribit Galen. 1 x. Metho. meden. cap. 1.) quæcumque ſub vno genere continentur, ac naturæ quadam cognatione iunguntur, atque eam ob cauſſam mutuo inter ſe commutari poſſunt, tertia quædam forma in eorum commutatione ſuppeditatur, quæ extremorum formam minime ſecum affert. vbi vero plures qualitates in vna eſſentia notantur, (quod tradit Galenus 1 1. De locis ægritudine affectis cap. v 1 1.) ibi & proprietates exoriri contingit, mixtorum autem proprietates ex impari ſimplicium corporum temperamento excitantur, quod affirmat Galenus 1 v. De ſimpl. medicam. facult. cap. x v. etenim corporum proprietates acceptas maxime referre debemus ipſarum temperamento. quod idem litteris conſignauit 1 1 1. De temperamentis cap. 1 v. in extremo. proprietate igitur inuenta, forma facile ſuos parentes reperit; proprietates enim tametſi formas ſequantur, illas tamen mirifice ante oculos ponunt. quæ quicquid proprietate moliuntur, idem & ſecundum totã eſſentiam agere in dubium vocare non licet. dubitationem vero omnem abſtergit Galenus v 1. De ſimpl. med. facult. loco ſæpius antea à nobis laudato. harum aquarum proprietates inluſtriores ſunt; morbos enim omnes frigidiores,& humidiores optime percurant, reſolutiones abſtergunt. Coxendicum morbos ſanãt, tumorb. frigidiorib. ſalutares ſunt, capitis diſcuſſis humorib. frigidiorib. vires recreant, neruorum vitia ſummouent, capitis perantiquis dolorib. remedio ſunt, ſurdis, nec non & caligantib. oculis medentur; recte igitur antea & Salgemma,& Nitrum,& Alumen in illis reperiri comprobauimus; Salgemmæ vero, & Nitri ſextans, Aluminis quadrans in iis aquis ineſſe, vt credam, facit, quod illas inter

initia 11. interualli calefacere, in extremo autem eiusdem exiccare, & corroborare obseruemus; digerere vero magnopere possint. omnes autem huiuscemodi aquæ maiorem exiccandi facultatem nactæ sunt, quod nullum fere metalli genus sit, quod egregie exiccare non possit. lapidum enim natura constans, stabilisque propter siccitatem & frigus est, quod & animaduertit Gal. 1x. De via, ac ratione curandi cap. xvii. Alumni autem & Salgemmæ, & Nitro insignis exiccandi facultas a natura tributa est. aquarum quidem caliditas ad tertium interuallum peruenit, vel Sauonarola teste locupletissimo. ego vero sæpe, vt harum aquarum ℔. vii. in vas vitreum coniicerentur, ac igniculo subiicerentur, curaui. aqua tota discussa in vase subsidere vidimus album quoddam calci extinctæ simillimum; quod si in ore paullulum modo contineretur, id acre continuo, & acerbum sentiebatur, quod secum Alumen, & Salgemma, & Nitrum mixta efferre solent, ita tamen debilitata, ac edomita, vt neq; Nitrum, neq; Salgemma, neq; Alumen plane viderentur. rediuiuum igitur erat, quod ex illis exoriebatur, & illorum qualitates tametsi retusas pulcre referebat. ex impari igit' horum temperamento proprietas excitatur. quæ emanat ex primarum qualitatum, quæ in Salgemma, Nitro, & Alumine reperitur, actione; & in mistorum ortu, & generatione egregie retinetur. quamobrem hęc forma erit qualitatum horum corporum tẽperamentum quoddam, quod naturam paullo ante vocauimus, quam & primo quoq; tẽpore inuestigare nobis ꝓpositum fuit.

De calidarum aquarum vsu. CAP. II.

AD has aquas olim ducebant, qui in neruorum potissimum resolutiones incidissent, in Balneum vero descendebat tantummodo die Veneris, qui primus mense Martio obrepebat. nunc autem earundem aquarum facultatibus satis perspectis, illius diei obseruatione

uatione abiecta Vere,& Autumno potissimum has aquas tentamus, ac experimur. neque vero res exitum habet alienum,fere enim omnes ad sanitatem perducuntur. vidi ego multos, ac multos capitis doloribus diuturnioribus conflictatos, resolutione oppressos, spasmo prope absumptos,oris tortura deformatos,obliuione afflictos, grauiori destillatione vexatos, lacrimarum vi infestatos, aurium sonitu correptos, lingua hæsitantes,stomachi doloribus fere peremptos, regio morbo tentatos,in colicum morbum coniectos, vluuæ vitiis periclitantes, articulorum morbis debilitatos,scabie obiectos harum aquarum beneficio pristinam valetudinem breui assecutos.hoc loco non committam,vt quemquam nominem;vereor enim,ne quē honoris caussa nominatum velim,ille id sibi sordidum esse arbitretur ad famam. sunt vero multi, qui contumeliæ caussa putent in re medica de se prædicari. neminem igitur nomine compellabo. rem ipsam explicabo. Æstate in balneum ęgrotos minime inducimus; quod eo tempore corporis vires imbecilliores sint, quæ ægrotantes desudare minime patiuntur. febres subrepunt,sitis accedit,præcordia inflammantur,corpus macie extabescit.maledicere doctissimis viris non soleo;communis tamen vtilitas, id vt faciam, maxime impellit. cupio enim omnes ingenio, operaque mea non adiutare,sed excitare. sunt quidam, qui ægrotantes ad hæc balnea Æstate ablegent, quos male sane aquæ accipiunt.ego vero comitem habeo Poetam nescio quem,qui scriptum reliquit,

Balnea ‹‹

——non adeunda Cane. ‹‹

ducem rationem,& experientiam;ratio iampridem in medium allata est. experimento id exploratum habemus,omnes fere, qui in his balneis Æstate summa diutius sederint, febrib. correptos fuisse; aquarum enim, & aëris ardoribus ita feruet sanguis, vt venis contineri

amplius non possit, qui quamcumq; corporis partem occuparit, in eã inflammationẽ concitat, atq; hæc continuo febrẽ accendit. inter Æstatis initia, cum nondum ardor nimius est, cum adhuc veris morbi vigent, aquis recte vti possumus. atq; idem fere calor Æstatis principio erumpit, quod in eiꝰ extremo abundat. illud argumento est, quod in Æstatis initiis eadẽ morborum genera notemꝰ, quæ in extremo eiusdem euenire obseruamus. At cum solis radios vehemẽtissimos sentimus, has aquas incõmodas, plenas laboris, & periculi quotidie experimur. corpora vero balneo idonea fieri debere, antequã in id immittantʳ ægroti, molestè ingerere nõ debeo, qui in secundo libro idem inculcarim. apposita autẽ & accõmodata reddemus, si neq; plethorica, neq; cacochyma vt sint, curauerimus, quod notat Galenus IV. De victus ratione in morbis acutis p. xc. etenim ex sententia eiusdem XIII. Meth. med. cap. VI. si plurima succorũ sit copia, nec exercitatione, nec balneo tuto vti potes, sin exigua sit, licet & per hæc remedia superuacanea extrudas. Illa vero ex Euripide in Hexametro prætereunda non sunt, quæ in D. Clemente Alexandrino legimus;

» *Quicunque recte autem sciunt mederier,*
» *Hos rationem victus cum respexerint,*
» *Et regionem ciuium, morbos discernere*
» *Decet.*

vberior oratio omnino suscipiẽda est alia in re explicãda. quid illud est? morbo ad sanitatẽ inclinante, aquarũ sua vi calidarum vtendum pfugio; eo enim tempore si quid materiæ subsit, nullo negocio discutiʳ, & pars ægritudine affecta suum robur recipit, & intemperies, si qua reliqua est, plane abstergiʳ. inter initia vero morbi cuncta sunt crudiora; materiæ multitudo haud vulgaris est, pituita crassa, ac cõcreta, quæ nisi ex artis præceptis tractẽʳ, nisi diffluẽs coerceatur, nisi cõcreta diffindatur, priusquam ad hoc prẽsidium decurramus, nullæ

sunt

sunt aquæ. vidi ego multos ad hasce aquas venientes, qui nunquã defatigabantur, nunquã diffidebant harum aquarum præsidiis morbos posse ꝓpelli, quos nunquam illo leuatos notaui. quãobrem principio ægrotorum corpora recte, atq; ordine ꝓpurgare, deinde morborũ tempora obseruare debem⁹; à naturæ enim commotionib. nunquã oculos deiicere oportet. postremo illud animaduertẽdum, quod in pituita crassiori maturanda, non semp calidiora quæq; remedia sunt efficacissima, sed interdum quæ humectãt, conueniẽtissima sunt, prẽsertim cum nacta sint facultatẽ quandã, quę illorum crassitiẽ facile extenuare possint, quod scribit Aet. lib. IIX. cap. LIV. in extremo, magna omnino vis, magnumq; momẽtum positum est in hac animaduersione, quæ magis, ac magis (quod facile spero) experiendo enitebit, quã hoc in loco, in quo disciplina non est tradenda tantummodo esse censeo significandã. in alueum descendere nõ debent ex Hippoc. senten. III. De victus ratione in morbis acutis, p. LIX. qui aluo laborant; multo minus quib. eadẽ suppressa est, nisi si antea soluta sit, nec qui nacti sunt vires imbecilliores, nec qui ad omnes cibos habent offensionem, neq; qui biliosa per os reddunt, neq; quib. sanguis nullo negocio e naribꝫ. pfluit, nisi si min⁹, quã morbus postulet, effusus sit. in Balneum autem totum corp⁹ illico demittere non debem⁹, cum fieri omnino nõ possit, vt illi familiaris aquarum calor sit. earum calorem pedetentim corpus ferre, ac sustinere assuefaciendum est; repentina enim quæq; naturæ cõmutatio insignes infert iniurias. neq; vero nos conturbent, quæ scripta reliquit Galenus III. De sanitate tuenda cap. IV. nanq; iuuenis ille in frigidã, non in calidam descendit; atq; id eius consilii est, vt vno, & eodem tempore aqua frigidiori totum corpus perfundatur. curandum etiam ne altera pars frigore infestetur, altera vero aqua mersa exudet, quod Plinius animaduertit lib. XXXI. cap. V I. bene autem mane per-

fecta,ac absoluta stomachi concoctione facile iis,quæ venter accepit,redditis post deambulationem,aut frictionẽ in balneum,vt ægrotus descendat,imperamus; in quo vnius horæ minimum,summum vero duarum horarum spacio sedere,neq; se mouere,neq; verbum facere debet. quod antea vel Hippocratis testimonio comprobauimus. hoc autem tempore lassitudinẽ eximere solent aquæ,dolor residet,ægrotus melior est.in illis vero morari debent ægroti,dum infirmando non offendunt,dum cutis digitorum pedis minime cõtrahitur,dum calor in corde incẽdium non facit,dum deniq; circa frontẽ sudor oriatur, qui significet superuacanea ad cutim ꝓducta esse, atq; eadẽ sudore resolu. quo tẽpore continuo de solio exeundum,ne vires pane effundãtur.ad vsum balnei vesperi quoq; redimꝰ,vr. scilicet hora post prãdium,aliqd vero demẽdum de cibo est, ne incõcoctus a balneo excipiatur. postqiã de balneis exierit ægrotus,lecto collocandus est strigulis duob.saltẽ strato.somno minime indulgendum,sudor ęqualis eliciendꝰ;exhauriendi enim,ac purgãdi corporis caussa ægrotos ad hasce aquas perducimus, quod Gal. significat 1 1 1.De victꝰ ration.in morbis acutis p. 1 1.sudor cum se remiserit,cõtinuo abstergẽdus. quod si quãdo sudorem magis ac magis diffundere velimus, non inter initia oleo calidiori ꝓfundendus est;sed vbi sudor euocatur,ac iam iam humor fertur, tunc perungi debet ægrotus. quod animaduertit Galen. 1 1.De simplicium medic.facult.cap.xxiv. & 111.De victus ratione in morbis acutis p.1 1 1.& quoniam haud sum nescius ab omnibus minime postulari, vt in has aquas totos se demittant:non enim omnes eodem morborum genere conflictari verisimile est, iccirco cunctos monitos velim, vt ita his aquis vtantur, vt ægritudinis ratio maxime postulat; ab eo enim, cui alterum crus debilitatum est, non requiritur, vt se totum in balneum demittat. non expectatur, vt mulier, cuius loca

tantum

tantum ægritudine affecta ſint, tota ſe in haſce aquas immergat. atq; eius, qui coxendicis, & articulorũ morbis vexatur, totum corpus aquis minime obiiciemus. fieri vero etiam poteſt, vt qui minus recte nunc cõcoquit, illi haud ſatis firmi ſint pedes; & qui ſatis firmo vtatur ſtomacho, parum iecoris vires validæ ſint, quod calidius videatur. Mediaſtini igitur (ſic enim ex Nonio Balnearum miniſtri, ac curatores vocari arbitramur) recte, atq; ordine quædam excogitarunt inſtrumenta, quæ fructu potius, quã ſpecie adducti probamus, quæ ita certa ratione vnumquodque membrum collocãt, vt opportuniſſimum ſit aquis, quarum ope egregie releuari poſſint. in his Balneis diutius mora facienda eſt, quod & Plin. memorauit, lib. xxxi. c. vi. & auctor vii. De mor. v. c. ii. p. xxix. teſtatur Niſantidem diutius in ſolio aquæ Maris moratum fuiſſe, & poſtquam ſudor abſterſus eſt, frigida vti debemus; ſudorem enim copioſiorem prohibere oportet. tamdiu autem pati debemus ægrotum deſudare, quamdiu vires corporis ſinunt. neque vero tantummodo frigidæ præſidio vtendum, verum etiam oleo aut roſ. aut de nymph. aut viol. namque cutis & aridior, & ſiccior, & denſior euadere ſolet. demonſtrant id rugæ, quas cutis habet, quæ corpora in multa morborum genera coniiciunt, quod & Hippocrates memoriæ mãdauit in ii. De alimentis p. vii. *Denſitas corporis ad perſpirationem, quod minus aufertur morbidior.* Multa autẽ in corpore aggregari neceſſe eſt, quæ recte emitterentur; quamobrem procliuiores multi ſunt ad morbos. quod minime animaduertentes nonnulli, morborum cauſſas plane ignorãt: nam id quod ex hac efficitur, ad aliam temere transferunt cauſſam. idem Plinius (vt arbitror) notauit, cum ſcriptum reliquit: Idcirco non alibi corporibus magis obnoxiis, Balnei vſus longe procedere non debet. finis imponitur balneis xxx. denique die. nonnulli xx. quidam xv. ſalutem ſuam minime deſiderarunt.

De ſudationibus, quas ſtuphas *vulgo vocant.*

CAP. III.

IN cauo, atque tenebricoſo ſpecu, vnde aquæ calidiores fluunt, efferuntur vapores, qui corpora ſudoribus degerunt, ſub monte intus patet Stupha, & ciſterna vulgo appellatur, ἀξαμάναι Græci vocant. Heſychius ὑδάτων δοχεῖα, id eſt, aquarum receptacula interpretatur, noſtri ſudationes. Ego vero mirum in modum cuperem illud ſudiculum nominare, tametſi video doctiſſimos viros multo aliter ſentire. Flagellum vero non ſudiculum, ſed ſediculum appellatum cenſeo. Naturales, & ſiccæ ſudationes ſuper Baias habebant & antiqui in Myrtetis; quod tradit Cornelius Celſ. lib. III. cap. XXI. qui locus, quoniam in duobus manuſcriptis codicibus, multo aliter legitur, id vobis ſtatim indicandum putaui. hæc vero in noſtra ſæpe tanquam in fluuium perenne alii aliunde influunt riuuli. horum igitur alterũ Bertholinius, alterum vero M. Antonius Menochius mihi dedit. *Super vias* Bertholinius ſemper, & in lib. II. cap. XVI. Menochius *Superius habet*, in III. lib. in II. *ſuper vias in Murtetis.* vtrumque mendoſum. Primum quod in Baianis montibus ſudationes eſſent, quod aperte ſcribit Vitruuius, lib. IIX. cap. III. *In Baianis montibus ſunt loca ſudationibus excauata.* merito igitur loca illa ſuper vicos poſita fuiſſe veriſimile eſt; & loca Myrtetis conſita in montibus eſſe ſolent. Vicus autem ad radices montis poſiti erant, in quo aquę ſulphureę, quæ morbos diuturniores abſtergebant, profluebant. quod & Horatius I. ad C. Numonium Volam aperte ſcriptum reliquit;

» *— ſane Myrteta reliqui,*
» *Dictaque ceſſantem neruis elidere morbum*
» *Sulphura contemni, vicus gemit, inuidus agris,*
» *Qui caput, & ſtomachum ſupponere fontibus audent.*

in oras

in oras libri fortasse ab aliquo scriptum erat *Baias*, hinc *vicos* in *Baias* mutatos esse arbitror. nunquã vero crediderim antea scriptum fuisse, *Baias super vicos*. illud præterire non possum, quod in codice Menochio *Murtetis* legitur; & ita legi audiui in multis perantiquis codicibus in versibus etiam Horatianis. verumtamen idem valet: à Murto enim Murtiam Venerem appellatam fuisse obscurum non est. mihi aliquando venit in mentem suspicari in margine in codice aliquo scriptum fuisse *super Baulos*, quod a nescio quo deinde in cõtextum traiectum fuit. idem postremo mutatum est, *super Baias*. qua de re cum minus recte iudicatum sit, nihil mirum videri debet, si misere locus depravatus sit. Bauli autem villa Hortensii oratoris fuit. Vicus inter Baias, & Misenium, & qui erant ad Baulos Puteolos videbant. in codice certe Bertholinio in margine, *Balas* legitur. Locus vero hic vaporibus plenus, ac refertus est. corpora in eo magis digeruntur, calefiunt, exiccantur, quam in Balneis; particulas duriores emollit. Hydropicis remedio est, œdemata discutit, coxendicis morbo, & podagræ optimè facit: humores denique omnes colliquat. quamobrem antequã quis in sudiculum se conferat ægrotus, totum corpus recte, atq; ordine perpurgandũ est, ne aliqui nobis extimescendi sint casus, qui prope innumerabiles manent. Cum solio sudiculum vulgo colligatur, vidi ego sæpe multos, qui cum coxendicum morbis cõflictarentur, & in solium descenderent, quarto quoque die ad sudiculum redire, quibus præsens medicina fuit: namque egregie emolliebat, ac discutiebat, si quæ coierant, humorum reliquias, quæ deinde per totum corpus manabant, ægrotos autem, qui meæ commissi sunt fidei, in sudiculum inducere soleo, vel post aquarum vsum, vel certe morbo debilitato; namque crassiores humores, si qui modo reliqui sunt, facilius multo sudiculo attenuari, & sudoribus effundi obseruaui. & quam se-

mel inire cœpi, ea ſemper pergi. Petrus Lilia Polonus per epiſtolam à me quæſiuit, an canalibus ſudiculum ex artis præceptis coniungi poſſet. reſpondi ſi bene norat corpus totum humoribus ſuperuacaneis plane vacuum eſſe, ſi idem morbus poſtularet; ſi naturæ vis canalibus defeſſa periculum non ſit, ne defatigetur; ſi denique ſudiculis aſſuetus eſſet, minime meo iudicio offenſurum, ſi poſt canales ad ſudiculum decurreret; namque id ſuperuacanea egregie diſcutere poteſt; toto vero corpore alienis liberato, caput quoque exinaniri poſſe ſperandum eſt. Verumtamen non omnes caloris illius aculeos ferre poſſe credibile eſt, non pueri, non mulieres, non qui rarius corpus nacti ſunt, ad illud temere ſunt impellendi. Autumno raro eo vtendum, quod corpus Æſtate ſiccius redditum ſit; inter initia Æſtatis in ſudiculum veniendum, quo tempore Solis is tactus eſt, quo corpora noſtra tepefiant, non comburantur.

De Ducciarum vulgo appellatarum natura.

Cap. IIII.

SCio ego mihi tentandum eſſe ſcribere aliquid de canalibus vel potius de aquarum fiſtulis, vt Varro appellat lib. IV. de lingua Latina, quæ in capita concidunt. Fons (ſcribit Varro) vnde funditur è terra aqua viua; vt fiſtula aquæ, fuſus aquæ. & Iſidorus, lib. XV. Fiſtulę aquarum ſunt, inquit, dictę, quod aquas fundant, & emittant. Duccias vulgo vocant. κατακλυσμούς appellant Græci, quod ſcripſit Cœlius Aurelianus I. Tardarum, cap. I. prope in extremo. inlices ex Feſto fortaſſe dicere liceret, qui canales ſunt, in quos aqua confluit in viis lapide ſtratis, ab eliciendo dicti. verum, quoniã in hoc munere præclare me geſturum intelligo, ſi verbis reiectis, quæ in ſcientiis poſtremæ ſemper conditionis habita ſunt, rem ipſam aperte explicaro, de nominibus

minibus minimum laborabo, de quibus plus loqui, quam sat est, minime debemus. ergo, vt cuncta ab omnibus certius cognoscantur, has aquarum fistulas perpetuo vocare consilium est. quod nomen his aquarum fusibus esse maxime velim. præsertim cum illustrius videatur, & ex M. Varrone petitum sit. Cornel. vero Celsi canales præstare non debeo, qui sciam illum inter eos scriptores à Nonio Marcello iampridem coniectum fuisse, qui minoris sunt auctoritatis. Fistularum vero auxilio caput calefit, ad cuius frigiditatem (quæ quidem & à natura est) hoc remedium diuinitus excogitatum videtur, quarum temperamentum ignotum esse non potest; nam accurate de eo in priori libro sane disputauimus. namq; aquæ, quæ è terra funduntur, aut frigidiores sunt, aut calidiores. Calidiores aut Metalla habent, vt aurum, argentum, æs, ferrum; aut humores, concretos, vt sulphur, bitumen, alumen, nitrum; aut puram, & liquidam terram, Ochram, rubricam, Sinopicam; aut lapides, Marmor, & lapides appellatos precioſos, aut cuncta hæc, aut quædā tantummodo; quæ vnum horum nactæ sunt, simpliciores appellantur, atq; vna tantum præditæ videntur facultate. Sal salsas, Bitumen Bitumineas, Sulphur Sulphureas, ferrum ferreas aquas reddunt. quæ vero plures, alias, atque alias facultates obtinere credibile est. Omnes autem concoquunt ac exiccant, quod tradit Aristoteles XXIX Problem. XIV. quam in cunctis contineri, atq; inesse qualitatem ex Hippoc. antea testimonio aperte comprobauimus. multæ ac multæ reperiuntur, quæ aut molliunt; aut durant; digerunt, aut obstruunt; dissipant, aut coercent; incidunt, aut crassiores reddunt humores; aluum deniq; mouent, aut supprimunt. quædam cuncta hæc præstant; varias enim vires nactæ sunt, ac inter se maxime pugnantes; nam frigida cum calidis, sicca cum humidis in illorum generatione commixta sunt. quamobrem diuersas, ac

inter se contrarias vires obtinent. balneum quidem certe aquæ dulcis calidiores, & frigidiores siccitates sanat; & sitientibus sitim depellit, & minime sitientibus sitim excitat, quod facile colligimus ex lib. de Tab. cap. VII. in his autem aquis calidioribus si cætera diligentius consideremus, facile animaduertemus Sulphure excepto, & Bitumine nullum præterea ignem posse capere. at Sulphuris odor ad nares, in his, de quibus agimus aquarum fistulis minime fertur, quod Sulphur in abditis terræ partibus altius reconditum videatur, quod tamen ignem accendisse ambiguum non est, atque vt cætera incendantur, auctor est. Bitumen in hoc minime desideratur; namque ligno bipedali aliquando id circumfusum multos vidisse antea, nos ipsi testati sumus; nec non & fistularum facultas facile demonstrat; etenim non modo exiccant, & calefaciunt, verum etiá digerunt. diuturniores autem morbos (quod & scribit Aëtius lib. IX. cap. XL.) fieri non potest, vt repellentibus tantummodo percuremus, præsertim vbi ægrotorum corpora plurimis humoribus referta sint; aut particula affecta natura sit imbecillior. recte igitur atque ordine natura his aquarum fistulis, quæ diuturniores morbos, & crassiores, atque humidiores humores in capite cõclusos digerere maxime deberent, aliquid ex discutientibus ad adstringentia optime adiunxit. adstringentia autem aut Alumen, aut Salgemma sunt, quæ cum Bitumine confusa & exiccandi, & calefaciendi, & digerendi facultatem nacta sunt. Aluminis vero & Salgemmæ quasi quadrans, Bituminis sextans in illis esse arbitramur. Atque in secundo interuallo exiccare; at digerere inter initia secũdi censemus. nam frigidiores capitis morbos perpetuo sanasse vidimus; at calidioribus capitis temperaturis nimium graues, ac infensas nunquam non obseruauimus. ęgritudinibus diuturnioribus oculorum, & aurium remedio esse animaduertimus; ac denique

neruorum,

neruorum, ac iuncturarum vitiis, quorum culpam cerebrum, & destillatio sustinet, vel optimum medicamentum esse experiendo notauimus.

De forma & vsu fistularum.

Cap. V.

MOntis latus, ex quo aquarum fistulæ scaturiunt, à septentrione auersum, ad hybernum solem occidentem obiectum est. in quo multa sunt ædificia. primum Virginis ædicula, deinde Apodyterium. ad dextram subiectum est alterum domicilium, ex quo quinque emanant aquarum fistulæ, quibus quasi fœminis quibusdam indita nomina sunt haud paruo sane cum lepôre. earum prima Fortunata appellatur, II. Spes, III. Prosperata, IV. Desiderata, V. Corona. Ab hoc descendimus in tertium domicilium, in quo etiam V. reperiuntur aquarum fistulæ, quarum I. Benignam, nos antea appellabamus; nunc vero Gentilem vocabimus; nam huic fistulæ id nomen esse voluit Flamminius Nobilius; qui hæc nostra perlegendi molestiam peramanter sustinuit; qui quicquid sentiret, ita in mediũ attulit, vt dignitate, & auctoritate, quæ in illo magnis eius in Christianã Remp. meritis summa iam sunt, minime abuteretur. II. Blandula, III. Delicatula, IV. Lepidula, V. Suauis dicitur. Ad læuam est quartum domiciliũ, in quo VI. effluere videmus aquarum fistulas, quarũ I. Ioculus, II. Desperata, III. Amãs, IV. Desponsata, V. Puellula, VI. Stomacho idonea vocata est. Has aquarum fistulas diligentius aliquando consectati sumus, reperimus illas ex tribus fontibus scatere, qui tamen longius disiuncti non sunt. Primus eam aquarum fistulam conflat, quæ Ioculus appellatur; secundus Desperatam, quæ omnium calidissima est; tertius Coronam, cuius iter lõgius est. Desperata belle fluens in primum domicilium ducta est, & IV. aquarũ fistulas efficit

Amantem, Desponsatã, Puellulam, & Stomacho idoneam. eadem breui errore fluens in secundum domicilium deducitur, ex quo & Fortunata, & Spes, & Prosperata, & Desiderata gignitur. Corona ab alio fonticulo profluit, qui non longe abest à Desperata. hæc in quartum domicilium se insinuat, & v. illas aquarum fistulas procreat. Gentilem, Blandulã, Delicatulam, Lepidulam, ac Suauem. In Apodyterio, Mediastini nouacula nudant rotunde, vel per gyrum pilis eam capitis partem, sub qua futura Coronalis est; quod ea parte capitis rasa melius multo membranæ, & cerebrum ab aquis quatiantur; ægrotos supinos collocant porrectis cruribus, vt aquarum fistulæ commodius in caput, ac super futuram incidant, qui eodem, quo primo cœperunt, situ manere debent vnius horæ spacio. ex aquarum fistulis interea demanant aquæ in Coronalem; quæ ne latius dissipentur, curandum: bis in die caput aquarum fistulis supponitur & bene mane, & vesperi. dies xxx. ad summum, idque quotidie factitare debent ægroti minimum xx. medium xxv. ad aquarum fistulas hora ix. aut x. conueniunt. vi. scilicet hora post prandium. Caput summittunt primo aquarum fistulis, quas in quarto domicilio antea collocatas diximus, atque à Suaui exordiuntur, vt eius calorem caput primo quoque tempore experiatur. biduum ibi morantur, totidem in cæteris semper ascendentes, quousque ad calidiores perueniant. Coronam prætereunt, & ad Fortunatam, Spem, Prosperatam, & Desideratam pergunt, inde reuertuntur ad Gentilem, sub qua iii. vel iv. ad summum dies consumunt. his præteritis, iidem Mediastini ægrotos perducunt ad Amantem, Desponsatam, & Puellulam, deinde ad Coronam deducunt, sub qua tamdiu commemorantur, quamdiu illam sustinere possunt, & temporis ratio patitur. postremo ad Desperatam accedunt, quam patienter ferre multos, ac multos vidimus, cui si pullum supponat, paulo post

post eidem plumas de corpore decidere videbis. atq; hæc ratio est, qua vulgo vtuntur. qui autem nihil agunt non apte, iubent iis, qui nondum satis experti sunt harum aquarum caliditatem, vt operis initium faciant à Blandula, vel Delicatula, in quibus quatriduum totum extrahunt, deinde ad Gentilem decurrunt, cui vel x. dies tribuunt. vi. in Amante vel Desponsata, vel Puellula consumunt; cæteros, Coronæ destinant. sunt tamen multi, qui & Desperatæ aliquot constituant dies. quos omnes caloris acerbitates ferre posse arbitror. ego vero hac in re nihil certi perscribere audeo. Medicus ex capitis temperatura, ex ætate, sexu, & ex materiæ genere, quæ morbum facit, nec non ex consuetudine, atque ex euentis consilium capere, aut commutare debet. postquam aquæ capiti instillarunt, super coronalem imponendum est tantillum serici, ne aër capiti aperto aliquid incommodi, ac detrimenti importet. his vero aquarum fistulis eos recte committimus, qui diuturnioribus morbis conflictantur, qui ex Aëtii sententia potis non est, vt repellentibus tantummodo auxiliis pristinam valetudinem assequantur, sed discutientia expectant; namque iam iam facti morbi non ita curandi sunt, vt non augeantur, sed cuncta nostra remedia ad ea, quæ digerunt, spectare debẽt. quod & animaduertit Galenus i. κῦ πόπος, cap. ii. illi autem sunt ad hæc remedia aptissimi, quorum caput aut imbecillius, aut humoribus plane non vacuum est. qua in re illud minime omittendum quod aperte scribit Galenus ii. De febribus, cap. xi. quod tamen multi præteriere, quod caput male se habens, iisdem malis tentatur, quibus partes illæ, quæ sanguine nec vtili, nec bono aluntur, conflictantur; nam plura, & deteriora consequuntur superuacua, atque ad hæc depellenda, qui à natura cõstituti sunt effluxus, minime sufficiunt. & quoniam in destillationis mentionem incidimus, nõ modo caput vniuersum, verum etiam quæ-

dam eius pars membrana scilicet aut superior, aut inferior ita affici potest, vt ex non bono alimento talia, ac tanta statis quibusdam temporibus in illis coaceruentur superuacanea, vt deinde ad partes inferiores defluant. verumtamen si interior membrana ægritudine afflicta erit, interiores magis partes destillatio corripiet, sin superior extrinsecas magis occupabit; quod si cerebrum neruos potissimum infestabit. plura verba facere non debeo, quod ad has aquarum fistulas ęgroti ii maxime impellendi sunt, quorum morbus iam iam imminuitur; namque longiorem ea de re antea susceptmus orationem. quem vero primo, aut secundo anno morbum non absterserunt aquarũ fistulę eundem 111. anno iisdem aquarum fistulis destinare debemus; neque enim fieri potest, vt primo quoque anno hoc remedio tametsi præstantissimo morbus propulsetur; nam cui paullo ante cuncta remedia modica fuerunt, nemini mirũ videri debet, si hoc aliquãdo repertum sit imbecillius. quod autem priori anno expertum fuit, 11. vel tertio cunctis maxime salutare est; atque humoribus repulsis vires capitis pulcherrime recreantur. hæ aquæ Lucam vt importentur, sæpe curamus, principio Gentilis, deinde Desperatæ aquæ vt hauriantur, imperamus. hæ vero aquæ in illum caliditatis gradum, vt collocentur, iubemus, quem suapte natura solent obtinere. quas duobus maioribus vasis figulinis cõculis vulgo appellatis includimus, quę ita collocãda sunt, vt superius influat in inferius. quod distare debet à capite ægrotantis cubiti altitudine, vt aliquẽ habeat ictũ, quo aquarũ facultates ad interiora magis ac magis perueniãt; & pellere possint humores commodius. in capite enim aliud est, quod ictum excipit, aliud quod curatur. illud ictum minime sentit, at facultate cerebrum fruitur, quæ aquarũ casu ad ipsum permanat. in duobus autem vasis aquas deducimus, vt vno tenore profluant. Epistomion, foramen scilicet, per quod

per quod aquæ effluunt, lenius esse quidem debet, at minime angustius. CXX II. ℔. aquarum quotidie mane, & vesperi calefiunt, quæ post triduum non veniunt amplius in vsus.

De calidarum aquarum fistulis.

CAP. VI.

QVod si crudioris humoris ea in capite sit copia, vt discuti magis, ac magis postulet, atque ea eiusdem frigiditas, cui calidiores aquæ mederi possint, nec non & id denique medico consilii sit, caput multo firmius, ac calidius reddere, ad calidarum aquarum fistulas (de quibus antea de industria ne verbum quidem) deducendi sunt ægroti. hæ enim manifesta remedia sunt iis præsertim, quos superiores euincere minime potuerunt, & diuturnioribus morbis, & iis, qui ad eundem impetum sæpe redierunt, egregie auxilio sunt. Notaui ego multos morbos à superiorum aquarum fistulis quasi mitigatos à calidioribus his tandem aliquando absterſos fuisse.

De aquarum Villensium fistulis.

CAP. VII.

ILlum vero, qui primus Villensium aquarum fistulas instituerit, ornandi locus prætermittendus non est, atque eius honori, qui omnem suam industriã, curam, operamque ad nostram vtilitatem egregie contulerit, nostrum vicissim studium aliquo in loco deesse turpe, atque adeo nefarium est. eas vidimus optimum, manifestumq; remedium esse iis, qui capite præditi calidiori aut vertigine, aut aurium sonitu, aut materia haud ita multa, at frigidiori opprimerentur; quibus cæteras aquarum fistulas magis nocere, quam prodesse solere euentus ipse plerumque comprobauit. nam cum eas, quæ Duciæ passim vocantur, magis calefacere, & exic-

care experiremur, quam capitis calidior temperatio postularet (habent enim Alumen, & Bitumen) ad has ægrotos compellere solemus, quæ minus omnino calent, digerunt, siccant, vtpote in quibus sit Bitumen, Alumen, Sinopica. huc accedit, quod in pituitæ crassitie magis interdum prosunt, quæ humectant, cum facultatem illam minime desiderent, quæ attenuare possit. nos autem in his curandis Galeni instituta sequimur. at quosdam habemus Galeni sectatoribus acerrimos aduersarios, qui pernegant huiuscemodi capitis temperamento calidiori aquarum fistulas illas aliquam inferre iniuriam posse. quib. cum nescio quid afferimus ex Galeno, qui ita de hac re disputat VI. de Sanit. tuenda. CLX. *Aquarum autem calidarum, quæ sponte nascuntur, vsus his maxime nocere solet. etenim quæ ex his Sulphureæ, Bitumineæque sunt, propterea quod calefaciunt, calido naturaliter capiti sunt inimicissimæ. Aluminosæ vero, quoniam perangustos habitus meatus præcludunt; eas autem solas minime infestas expiremur (sitamen ad ipsas aliquando decurrendum est) quæ dulciores sunt: hoc enim pacto commodius, tutiusque multo dixeris: namque quod vtilitatis etiam nonnihil consecuturum sit, non perinde tuto dixeris, quandoquidem nec calidiores protinus forent, si nulla calefaciendi præterea facultate præditæ essent*; & quædam Aëtii interiicimus ex lib. IIX. cap. IIII. *qui in iis, quorum capita à caussa calidiori vexantur, cuncta calidiora medicamenta explodit, ac eiicit, præsertim vero nocere* (inquit) *solet vsus aquarum sua vi calidarum*. deinde Galeni verba adscripsit; quæ enim Sulphurea sunt, ac Bituminis odorem naribus obiiciunt, ob eius scilicet caliditatem aduersissima sunt capitibus temperatura calidioribus; quæ autem Aluminosę sunt, propter adstrictionem capitis temperamento calidiori minime conducunt; neque enim potis est inueniri, quæ sua sponte calidiores sint, quibus nõ aliqua medicamenti vitiosa qualitas sit coniuncta; Operæprecium

ræprecium ſane eſt eorum audire audaciam, nullo animi motu perturbati audacter affirmare audent Galenum calidarum aquarum naturã plane ignoraſſe. primum quod libri illi, quos conſcribere aliquando pollicitus fuerat, plane deſiderentur; neque adhuc inuentus eſt aliquis, qui illos vnquam lectitaſſe memoriæ mandarit; & ipſe in duobus illis voluminibus quæ de propriis libris inſcripta ſunt, de his nullam mẽtionem fecit; deinde quod ipſe ſtatim tradidit; Satius eſſe huiuſcemodi aquas experientia cognoſcere, quod raro extent. Proh Deus, quæ eſt eorum ratio! qui te, hominesque contemnentes hæc in medium afferre conantur, quæ falſa eſſe vel ii, qui hæc promiſcue produnt, ac promunt, haud ſane ignorare arbitror. adeo ne deſidia eos inuaſit, vt cuncta miſcere minime dubitent? Galenum de aquis quidem calidioribus luculente ſcripſiſſe; at librum aliquem de illis ſeparatim minime confeciſſe notamus. quid tum? an ſi librum non confecit, continuo quædam aut ignoraſſe, aut potius præteriiſſe dicendum eſt? non dicam id, quod ingenioſiſſimi quidam viri tradiderunt, obſcura multa apud alios quoque grauiſſimos ſcriptores reperiri, in quibus illuſtrandis diu, multumque à noſtris elaboratum eſt; plura in iiſdem ſæpe deſiderari, in quibus inueſtigandis omne induſtriæ noſtræ curriculum aliquando verſatur; illud etiam ſilentio inuoluam, quod nemo non videt, niſi qui exorto Sole plane cæcutit, quo magis ad hæc explicanda acceſſerit Galenus, eo clariorem orationis maxima cum dignitate ſplendorem quendam illuxiſſe. id certe firmiſſime aſſeuerare poſſum (quod magis ad eam rem ſane intereſt) quæcumque de aquis calidioribus ex eius libris effluxerint (multa enim, eaque minime contemnenda ad nos peruenerunt) ita abſoluta, ac perfecta eſſe, vt nihil ab illis abradi, nihil plane ad illa adiungi queat. Scriptor hic prudens, & accuratus cauſſam caloris fontium ne attigit quidem, quod

eam ad Philosophos maxime pertinere haud ignoraret. aperte explicauit I. De simpl. med. facult. cap. IV. in calidioribus quibusq; aquis eædem residere facultates, quas obtinere solent illa, à quibus aut ignis excitatur, aut per quæ ipsæ aliquando percurrunt. Adnotauit I. ad Glauconem, cap. IV. Sulphureas, & Marinas aquas bilem educere; Bitumineas, & Nitrosas calefacere, attenuare, ac deniq; exiccare tradidit VI. De morbis vulg. cap. v. p. XXXVI. & VII. De comp. med. s. loc. cap. I. & easdem vt experimentis maxime cognoscamus, auctor fuit VI. De Sanit. tuen. cap. IX. cum enim in vnaquaque re vel inuestiganda, vel præcipienda ratione primum, deinde experientia semper nixus sit; cum rationem satis superque secutus videretur, dextro innixus pede sinistrum tollens quasi progredi vellet, rationi experientiam adiunxit, id est, vt ad experientiam decurremus adhortatus est, quæ singularium est. quare merito VII. Method. medend. cap. IV. laudauit Empiricos, qui Stomacho imbecilliores ad aquas calidiores detrudebant, quas vere, & Autumno, vt perpurgemur, recte assumi posse tradit. & salutariter in easdem ægrotos aliquando descendere solere memoriæ mandauit IV. de Sanit. tuen. cap. IV. commemorauit IIX. Method. cap. II. Albulas aquas vlceribus atque iis, qui morbis, qui alia parte excernente conflictantur, efficacissimum esse remedium, quod essent Aluminosæ, Bitumineas, Nitrosas, Sulphureas aqua intercutem laborantibus salutares esse testatus est. Narrauit XIV. Method. meden. cap. XV. In Lesbo longe à Mitylenis stadiis fere XL. reperiri aquas calidiores, quæ digerendi facultate præditæ essent, turbidiores, crassiores, salsiores, nimirum quod aqua Maris floris Sale inquinata videretur. hæc egregie Galenus. qui aliud inquit ratio, aliud experientia, sed affinis; vt & dextra tibia alia, quam sinistra, ita tamen vt sint quodammodo coniuncta; quod est altera eiusdem carminis modorum incentiua,

centiua, altera ſuccentiua. quod M. Terentius Varro 1. de re Ruſtica ſcribit, cap. 11. & quidem licet adiicias rationem eſſe incentiuam, experientiam ſuccentiuam vel me auctore. quid cæteri? nonne eadem, quæ ipſe reliquit, veſtigia perſecuti ſunt? præclare inquies. at nefarium eoſdem affirmare, in iis minime ſuam exercuiſſe induſtriam Galenus, qui quas nunquam viderit aquas calidiores, pro viſis nobis non tradiderit: hi tametſi à Galeni via, ac ratione nunquam diſcedere videantur; in hac tamen re mirum quãtum ſe ab illa abſtraxerint homini imperito tu, qui calidiores aquas nunquam fortaſſe videris, Lucenſium aquarum naturam temere obtrudere audebis? Haud magno ſane negocio, quę alii luculente perſecuti ſunt, apertiſſime compilamus, feſtinanter exſcribimus. Andrea Bacce te appello doctiſſimum virum, qui egregium de Thermis volumen paulo ante nobis iterum edidiſti; doleo, ac ita doleo, vt nemo magis, multa tibi falſo de aquis Lucenſibus cuncta renunciata fuiſſe minutule. hoc tibi pro meo in te amore, & obſeruantia loco quam aptiſſimo ſignificandum putaui. Deus bone, quantum Galeni conſilia diſtant à nonnullorum cogitationibus! Galenus nihil, niſi quod compertum haberet, tradere deliberatum erat; cupiebat enim, vt ſtudio maiori in aquarum calidarum natura cognoſcenda operam noſtram nauaremus. & omnino induſtriæ plurimum adhibendum eſt in iis rebus quæ cum vulgo obſcuriora ſemper habita ſint, tum vero perpetuo prolabuntur.

— quoniam minuirem quamque videmus,
Et quaſi longinquo fluere omnia cernimus æuo,
Ex oculisque vetuſtatem ſubducere noſtris.

Scamandrum fontes habuiſſe duos, quorum alterum calidiorem, alterum vero frigidiorem fuiſſe multi tradiderunt. at Strabo, qui Auguſti temporibus floruit, frigidiorem tantummodo reperiri teſtarum reliquit, & multa quotidie in conſpectum ſe dant, quæ antea à

natura, quasi studiose abscondi videbantur. quod & Gentilis Fulginensis in aureolo suo libello de Balneis ab ipso inscripto diuinitus animaduertit. qua re commotus iustissimam ab antiquis dissentiendi caussam se obtinere putauit. Hæc cum diligentius considerauimus, faciliorem multo faciunt cognitionem caussarum. nihil ergo mirum si quando maiores nostri his de rebus minus recte iudicare potuerunt. & est, cur illos merito aliquando excusemus; nam in ea quoque tempora inciderunt, quæ præstantissimas quasque artes expulerunt. nos vero Dei opt. max. benignitate, patrum nostrorum virtute Galenum habemus, in cuius voluminibus cuncta fere reperiuntur, quæ iuniores in sua commentariola coniecerunt; cui cum summa debeãt, tantum abest, vt ea aliquando soluere conentur, vt in eum acerbissima quæq; iactent. sed quid hoc tantum? verum etiam falsis, ac insulsis declarationibus cuncta interturbant. idcirco scribunt has aquas calidiores experientia esse cognoscendas: quod aliquid præterea diuinitus eis accesserit, cum capiti instillant, inquiunt, continuo propria vi, id quod possunt, edunt: proprietatem vero maxime à cæteris prioribus ac posterioribus qualitatibus seiunctam esse asserunt: hi cum sensus, & experientiam prætergrediantur, & vanam rem sectentur (quippe quæ nunquam nisi posterius elucescat) nihil mirum, si in tam difficili, ac lubrica re aliquando turpiter offendant. Sensus enim quasi columnæ quædam Herculeæ à natura in his rebus quasi Mari immenso egregie collocatæ sunt, in quas incurrere quidem licet, at easdem euertere, ac præterire non licet. hinc illa Pindari Ode 11. in extremo;

τὸ πόρρω

» » μὴ ἔστι σοφοῖς ἄβατον
» » ἢ ἀσόφοις. Id est, *vltra quas nec sapientem, nec insipientem,*
» » *progredi par est.* Attamen id hoc pacto comprobare nituntur, quod aquarũ fistulæ, quæ calidiores omnino sunt,

sunt, capitibus temperatura calidioribus maxime prodesse nonnunquam obseruauerint. audisse nonnullos ita disputantes Faloppium arbitror, qui ad hæc nihil responderit, nisi vanam esse illorum rationem. noluit scilicet vir ille tempus terere in illis refellendis, quæ nullam plane habent rationem. facile perspiciebat ad proprietates continuo confugere rerum imperitos, qui nihil reperiunt, quo id, quod volunt, efficiant. etsi enim a tota essentia, vel proprietate excitetur vniuscuiusque munus; cuncta tamen ita effecta esse necesse est, vt habita ratione gradus temperaturæ, ad quem se ipsa iam extulerunt, munus suum exequantur. illud enim exploratum est formam ab essentia remoueri nõ posse; atque idem, cui acceptam referimus temperiem, formam quoque protinus excitare. qualitates vbi certæ consequutæ sunt, aliæ atque aliæ necessario procreantur temperaturæ, ex quibus colligi posse formam, quæ cum qualitatibus plane pugnet, minime fit verisimile. & si in mixto contrariæ notantur qualitates, non continuo forma, vel proprietas qualitatibus contraria exorietur; imo vero formarum similitudines similitudinum mixtionis excipere manifestum est; quam forma, vel proprietas consequitur; quasi quædam eius perfectio, atque absolutio, non euersio, atque demolitio. argumentum autem, quod addunt, nugatorium est; tentant enim hæc remedia in capitibus calidioribus contra atque rei medicæ ratio, & ordo postulat, præcepta Galeni 11. Meth. meden. cap. v1. cuius disciplinam falso se sequi dictitant, minime recipiunt; atque experientiam denique aliter multo atque curandi leges imperitant, accipiunt; namque in illis aperte cauetur, ne experientia a recta ratione desciscat. de hac lege quicquam diminuere nefas est, quam nobis non Galenus reliquit, sed natura eam nobis imposuit. Biuium enim nobis ad rei medicæ culturam dedit natura, experientiam, & rationem. at nihil aliquando ex illa

detrimenti importatum est. quid ni? qui illos ad has aquarum Fistulas maxime impellant; qui humoribus minime redundent; qui humidiori victus ratione perpetuo vtantur; qui mane, & vesperi lactucam assumãt. huc accedit, quod aliquando hæ consequuntur tempestatum qualitates, quæ ad calorem frangendum quã aptissime sunt; postremo quod aquę cæleſtes minime sæpe desunt, quæ in his regionibus Vere, & Autumno præsertim largiores decidere solent, neq; vero ea certa, rataque habere oportet, quæ bis, terve dubia experientia docuit; etenim infirma omnis experientia est, quæ rationis auxilio quasi non confidat. Rem enim Medicam & ratione, & experientia procedere nouum non est; vtraque per se indigens altera alterius subsidio eget. Omnibus igitur meis sermonibus nomen eius merito illustrabo, qui aquarum Villensium Fistulas excogitauit, quarum bonitas cum iampridem a multis, ac multis sit explorata, tum vero, quod frigidiores propter Aluminis copiam vulgo recte habeantur, quam aptissimæ sunt iis, qui Vertigine conflictantur, quod est apud Aëtium lib. VI. cap. VII. atque vt post calidarum vsus ad has protinus decurramus, digniſſimę sunt. quæ vt interdum magis prosunt, sic post illas calidiores adhibitæ pręcipue salutares sunt, robur enim egregie capiti addere & calorem, si quis forte suberit, perbelle finire solent. antiquiores quiq; Medici, vbi multa aqua calida caput perfudissent, primum tepida, dein frigida vtebantur; quod frigida mirifice capiti prodesse existimarẽt; quid nos facere debemus, qui antiquorum disciplinam, institutaque sequimur, qui has aquas quasi præclarissima dona quædam Dei opt. max. habemus, quæ frigiditatem illam summam minime nactæ sunt, quam nostri tantopere reformidant? hoc non modo Corn. Celsus lib. I. cap. IV. verum etiam Cœlius Aurelianus, vel potius Soranus I. tard. passio. cap. I. egregie animaduertit. eius hæc sunt verba: *Vtendum etiam*

iam

iam fomentis, siue vehementibus illisionibus aquarum « *(Græci cataclysmos appellant) & primo calidarum, de-* « *inde frigidarum. Ordinandæ etiam mutationes earum ad* « *vsus naturalium aquarum scilicet, quæ odore minime præ-* « *currunt.* & alio loco lib. v. cap. 11. *Item vsus adhibendus* « *aquarum naturalium tum calidarum, tum frigidarum,* « *vt sunt in Italia, quæ appellatæ sunt Albulæ, vel Cotilæ.* « Albulas vero frigidiori facultate præditas esse paullo ante tradiderat. his autem Fistulis capita supponere debemus morbo præcipitante, præsertim si intemperiem curamus, quod Alex. Trall. significat lib. v 11. cap. 111. Villenses aquæ non modo Lucam, verum etiam in vltimas fere terras exportantur; nam & Lutetiam Parisiorum, & Antuerpiam vsque eas inuehunt, quas & exhaurire solent. at nos & has, & Duccias vulgo appellatas Lucam vt importentur, & capiti instillentur, curamus. in duobus maioribus vasis aquas concludere solemus, vt e superiori quasi gradu extrudantur ad vas inferius. illud eas celerius quidem accipiat, at hoc tardius multo emittat; alterum enim superiori loco ponitur; alterum autem subiicitur. id quod in inferiori loco collocatum est, in caput ægrotantis aquas præcipitat. Vas illud, a quo aquæ in coronalem dimanant, cubiti altitudine distare debet, vt aquæ in caput acrius concidant, atque ictu maiori illarum facultas intus magis, ac magis compellatur. nec vero eos laudare possum, qui iubent, vt fistulæ tenuiores sint; atque experientia compertum habemus eas id, quod possunt, ac præstare solent, minime edere, cum in eum caliditatis gradum constitutæ non sunt, quem sua vi obtinere maxime debent.

De victus ratione. CAP. IIX.

VICTVS rationem non eam modo appello, quæ cibum, & potionem habet, verum etiam, quæ ocium, & exercitationem continet, Balneum, Venerem, Somnum, & Vigiliam, & quæ aliquo pacto humanum corpus commutare possunt, quod tradit Gal. III. De m. v. cap. III. p. IX. declinent ægroti cruditatem ex Aetii sententia lib. VI. cap. XXIII. vitent omnem prorsus lassitudinem, cum ceterarum partium, tum vero capitis, ac mentis. Hippocratis III. De victus ratione p. LV. & LVI. in solium is descendere non debet, inquit, cui data sit sorbitio, aut potus; namque inconcocta distribuuntur. neq; illico post balneum aliquid sumẽdum, aut bibendum; post perturbationem enim ex balneis cibus in Stomacho natat, & caput repletur. frigora, & calores vel maxime effugiant; vtraque enim in capite humorum haud vulgarem copiam coaceruant. abstineant ab omnibus ciborum generibus qui halitus humidiores sursum ferre possunt; Lactuca, Cepis, carne præsertim Bubula, vino antiquo, & quod vapores ad caput nullo negocio refundat. Veneris vsus omnino in his alienus est. Coercere denique debemus ægrotos ab iis, quæ humores crassiores reddere, & flatus efferre, & corpus denique humectare possunt.

De aquarum Fistulis pro Stomacho. CAP. IX.

SVBIICITVR etiam Stomachus illæ aquarum Fistulæ, quam Stomacho aptissimam esse antea diximus, XXX. vel XL. diebus, præsertim si langueat, aut resolutus sit, aut accepta facile reddat. in harum Fistularum vsu hæc animum Medicorum ad se maxime traducere debent, primum vt naturale Stomachi temperamentum cõseruetur; deinde ne eius essentia labefactetur; namque aquæ calidiores, qua siccitatem obtinent, similarium

rium partium rorem absumunt, qua humidiores sunt eundem digerunt, præsertim si diutius illis abutamur. quod scribit Galen. v i i. De ratione, & lege curandi cap. v i i. in extremo. huc accedit quod rarior cutis redditur, & frigori opportuniorem obiicimus Stomachum. quod si cui Iecur æstuet, illi superimponimus ceratum Sandalinum, & diligenter Mediastinis imperare debemus, vt quantum possint, Iecur declinent; quod facile præstabunt, si locum, in quo aquæ præcipitare debent, eis recte, atque ordine medicus vel digitulo ostẽderit. Supponere autem Stomachum debent ægroti sub aquarum Fistulis, non post prandium, sed bene mane perfecta, & absoluta Stomachi cõcoctione; Stomachum enim calidiorem reddũt. quod si forte animaduersum sit, in eo aliqua residere, medicamentis primum ad id aptissimis ea extrudere, deinde ad aquas Tectutii decurrere debemus, quæ mirifice frigidiora Stomachi vitia comprimunt, atque post illas aquas hoc perpetuo valentissimum medicamentum experiendo cognouimus. quater autem, aut quinquies aquas Tectutii, vt ingurgitent ægroti, iubemus. quod tamẽ ne factitent singulis quibusque diebus imperamus. imbecilliorum enim vires frangunt. grauissime peccare mihi viderer, si reticerem me Fistulis aquarum calidarum in Stomachi morbis sæpissime vsum fuisse; & quod his me consequi posse diffidebam, calidarum aquarum perfugio non modo sperare, verum etiam obtinere mihi licuit. illas autem aquas calidiores esse, quis vnquam negauit? atque vt multa in his sint, quæ languentes Stomachos ad sanitatem perducere possunt; in calidioribus quidem certe plura contineri paullo ante affirmauimus. atque hæc non modo caliditatem maiorem afferre, verum etiam ceterarum facultatum imbecillitatem temporis exiguitate egregie subleuant. qui paullo ante admonui, vt postquam aquæ capiti deciderint, illico sericum coro-

nali imponeretur, idem nunc vt post aquarum Fistulas Stomachus inungatur, animaduerto; namq; si post cataplasmata nudas partes relinquere minime debemus, quod significat Galenus lib. VII. κατὰ γένος cap. III. & aperte scribit Aëtius lib. VI. cap. III. & auctor grauissimus De morbis muliebribus cõfirmauit lib. I. comm. v. p. II. quid post has aquarum Fistulas agendum est, quæ calorem maiorem nactæ sunt, atque ictum præterea habent? inungitur autem Stomachus Oleo aut Nardino, aut Absinthino, aut Nucis muscatæ. nos autem sæpe Nardinum, & Absinthinum, cum rosat. aut Mastichino consociamus. hoc loco quærunt multi, quid sit, quod aquarum Fistulis eam corporis nostri partem non subiiciamus, quæ a scapulis contra Stomachum sita est. Obiiciunt illico Corn. Celsum, qui lib. IV. cap. V. satis plane loquitur: *Canalibus eiusdem subiicere etiam Stomachum ipsum, & magis etiam a scapulis id, quod contra Stomachum est.* Ego vero primum congeram hic duos tantummodo locos Galeni, qui illius sententiæ plane repugnant. deinde Cornelio Celso respondebo, primus est XIII. De via, ac ratione curandi cap. XVII. *Veruntamen in Gula, quæ proprie vocatur Stomachus, cataplasmata super spinam dorsi imponimus, non autem in parte anteriori, quemadmodum cũm os ventriculi inflammatione infestatur.* Alter vero in priori De loc. ægritudine affectis cap. V. *Etenim qui in anterioribus incidit ventriculum, qui posterioribus subest Gulam dolorem afferre censendum est.* quid Corn. Celso? interpungendus scilicet est multo aliter locus; atque error continuo discutietur. hactenus perperam omnes ita legerunt, vt antea scripsimus. At in Codice Bertolinio perantiquo Punticulo sublato multo melius ita legitur: *& magis etiam a scapulis id, quod contra Stomachum est, consistere in frigidis, medicatisque fontibus quales Cutiliarum, Symbruinarumque sunt, salutare est.* latuit fere omnes huiusce loci sensus, qui huiusmodi est: Salutare

tare est ægrotos dimitti in frigidis, medicatisque fontibus vsque ad os ventriculi, quod paullo infra scapulas positum est, & collocatum. qua in re & pudorem, & artis præcepta mirifice seruauit; cum enim in nudo homine quasi digito ostendere vellet os Stomachi, id in auerso homine nulla turpitudinis verecundia planius demonstrauit. Mediastini vero ægrotum insidere iubent in sedili, atque eum contra Fistulas collocant. Cannula vero perforata aquas inducunt haud longo sane a Stomachi interuallo. aquas excipit canalis pedum longa v. patet autem in latitudinem digitulos IV. quæ qua ad capitulum latior est, & lenior vt in ventre sub vmbilico collocata nullum afferat dolorem. ea arcte continenda est, vt aquarum profluuia ab inferioribus partibus discludantur: in ea media foramen est, quod semper patet, & aquas emittit. x. vero, aut summum xv. dierum spacio Fistulis subiicitur Stomachus. ego vero sæpe calidarum aquarum aquas probaui; quod hæ diutius suam vim, ac facultatem tueri, ac conseruare videantur. omnes nostræ tamen cogitationes & morbum, & ægroti temperamentum spectare debent.

De aquis Barnabonis, & de earum facultatibus.

CAP. X.

VENIO ad Barnabonis fontem, cuius natura tametsi satis & antea explicata videatur, tractandus tamen est nunc quoque atque contendendum an similitudinis, dissimilitudinisque via, ac ratione ad eius cognitionem peruenire possimus; nam cum in quibusdã, quæ probabilia sunt, sed non continuo vera, summa quædã sit cum veritate similitudo; qui in hac via, & ratione exercitatus fuerit, optime cognoscet, quæ vera cõprobari, & quæ falsa reiici debeãt. exploratum vero omnib. est has aquas, si exhauserimus, aluum solicitare, si in earum solium descenderimus, & emollire, &

digerere, & corroborare. hæc autem, quæ præstare has aquas quotidie obseruamus; diuersa, atque adeo contraria esse sentimus, quæ ad communem quandam similitudinem perducenda sunt. quod nullo negocio assequemur, si ea, quæ hæ habent aquæ, perpendamus; quæ tametsi dissimilia sint, ad vnam tamen similitudinem facile adducuntur. has vero aquas, cum corpora simpliciora minime sint, multa obtinere credibile est, quæ dissimilia videntur. nihil autem adeo dissimile reperitur, quod aliquod simile, communeq; nactum non sit. essentia certe vinculo quodam societatis cuncta obstringere videtur, cui nihil contrarium est; namque nulla res inuenitur, quæ se ipsam destruat, ac corrumpat. hæ igitur aquæ, cum & Bitumen, & Sulphur, & Alumen habeant, ex dissimilibus rebus sane constant. quid enim est tam Bitumini, ac Sulphuri cõtrarium, quam Alumen, quod & antea flammas retardare comprobauimus? Huc accedit, quod aquæ, quæ profundiores sunt, salsiores erumpunt. quod cum experientia demonstrare, tum Aristotelis auctoritate probare facile possumus, segmento XXIII. Problem. XXXI. hunc autem fontem dubitare non debemus profundiorem esse, qui ex radicibus montis erumpat, in quo & diuinam quandam vim, ac pæne fatalem, in illis subesse certum est vel ex sententia Diodori Siculi lib. XI. prope in extremo, quæ in terræ cauernis potestatem, ac facultatem summam obtineat; & exustorum haud vulgarem cineris copiam superfluere verisimile est. qui & salsus est vel ex sententia eiusdem Aristotelis Segmento XXI. Problem. XLIX. hæc ergo cum manifesto dissimilia sint, atque in iis corporibus quę ex longo inter se interuallo distantibus corporib. sunt, cum constet singulas partes retinere suam propriam speciem, ad similitudinis rationem nunquam perducemus, nisi eadem consociabimus. qua in re naturam imitabimur, a qua exempla quædam ad se ars quoque Medica in me-

in medicamentorum compoſitionibus transferre videtur. qualitates autem, quæ in coniunctis reperiuntur corporibus continuo pugnant acriter, quotidieque id factitant, tametſi alterum altero imbecillius ſit. dum autem hoc pugnæ genere ſe exercent, temporis quodam interuallo, quodammodo inter ſe ſimilia euadunt: fieri non poteſt, vt in qualitatum inter ſe diſſidentium quadam quaſi coniunctione perpetuo eandem vim, ac facultatem obtineant; ſemper enim altera alterę aliquid impertit; nec vero ex pugna excedunt, dum potentia valent. at fractis viribus vna quædam ex omnibus qualitatib. temperies ſuccedit, quæ ſpeciem pugnantium præbet. id facile in mulſo perſpicimus, quod ex melle, vinoque componitur; namque poſtquam duo hæc ita commixta fuerint, vt vnum ex illis effectum ſit, in nullius ore aut mellis, aut vini tantummodo guſtus ſentitur, quod contingit in omnibus fere, quæ ex multis ſimplicibus componuntur, in qua compoſitione nulla qualitas ſuperior diſcedit; nec altera tantum fructum victoriæ percipit, ſed omnium extinctione, ac quaſi morte temperies exoritur, quæ in quoddam medium euadit, quod cunctarum facultatum particeps eſt, quibus ſimplicia corpora multo ante prædita fuerant. Sale igitur, Bitumine, Alumine, & Nitro commixtis, Bitumen ſecundo interuallo non exiccabit, quod caliditas caliditatem fregerit, & humorem admiſerit. Calefaciet autem (vt arbitror) inter initia primi, Nitro, Sale, & Bitumine Alumini adiunctis, Aluminis adſtringendi vis, quam habere minime ignoramus, aqua ſuffuſa labefactata eſt. Bitumine, Sale, Alumine cum Nitro confuſis incidere, ac attenuare Nitrum, præſertim ſi deuoretur, adeo non poteſt, eoque magis cum tantum aquæ quoque acceſſerit. quod ſi idem extrinſecus admoueatur, pariter exiccare, ac digerere non poterit, tametſi valentius multo id præſtare poſſit, quam Sal. Nitro denique Bitumine,

Alumine & Sale permixtis Sal continuo craſſitiem amittit,& adſtringendi facultas aliquid feret detrimenti; præſertim cum & aqua illud quoque diluerit. quæ quaſi materia nulla forma prædita eam recipit, quam inducere potuit calor ille in terræ cauernis abditus, quæ Stomachum intra modum exiccare,atque aluum haud aceruatim exhaurire, ac purgare poteſt. huc accedunt ea,quæ ad traiiciendum maximam vim habent cum abſtergendo, tum attenuando Sal videlicet, & Nitrum. Bitumen vero eam nactum eſt facultatem,vt in affectibus qui ex humoribus qui vitio minime carent, exiccati ſunt, plurimum merito ſibi vendicet. facultatem vero purgandi habent hę aquæ imbecilliorem,atque ea tantummodo loca progrediuntur, quæ circa aluum ſunt. quod ſi maior aquarum quantitas perſcribatur, vix in loca circa iecur ſubeunt. in ſolio autem & diſcutere, & mollire, & corroborare quotidie notamus. nec id mirum; quod in hiſce aquis Salis ſit fere triens, Bituminis quadrans, Aluminis vncia, Nitri ſemuncia.ſine vlla vero dubitatione hoc tenere debemus,has aquas haud vulgarē Salis copiā excipere, quod Sulphure, Alumine,& Bitumine exuſtis cineres maneant; quæ in aquarum æſtu vel maximo perpetuo fluctuent,neceſſe eſt. eadem facile demonſtrant, quæ ſecum ferunt aquę;multa autem ſecum trahere ſolent, quod Ariſtoteles tradidit Segmento xxxiii. Problem.xxiix. circa canales ſales durantur. Bitumen allinitur. has aquas igni quoque ſæpe appoſuimus, ros primum remiſſus eſt, quod autem poſtremo in vaſe vitreo ſubſedit, de odore, & guſtu cuncta illa probe nouimus.

De

De vsu aquarum Barnabonis.
CAP. XI.

IN harum aquarum solio descendere solent illi, quorum ægritudines calidiores aquæ euincere non possunt. Pruritus, Lepras, & diuturniora vlcera persanat. Si apud vos nullam fidem habet oratio mea; exquirite ex his agrestioribus hominib. ecquid de Barnabonis aquis sentiant? audietis illico nō dudum Barnabonem quendā extitisse, quē cum pessima vlcera totum occupassent, fructumq; in suis malis nullum ex aquis calidioribus præterea caperet, omni spe sanitatis excluſa ad hunc fontem confugisse, a quo pristina ei valetudo restituta est, qui deinceps Barnabonis fons vulgo appellat' est. optime faciunt in articulorum dolorib. præsertim si eos pituita crassior afferat. atq; ægrotus temperatura sit humidiori. ad has aquas impuli Franciscanum, qui & podagra, & Chiragra, & Coxō dicis morbo vexabatur. qui cum omnium rerum inopia premeretur, in scaphulam quotidie descendebat, in qua aquarum illarum vim xxx. totos dies pertulit, infestantem morbum submouit. hisce aquis eadem vitia curantur, quib. occurrere diximus aquas calidiores. vtimur vero his post illas, quæ efficacissimæ traduntur, & fere semper magis prosunt. Verumtamen epotæ aluum sollicitant; vteri strangulationes discutiunt, menstrua eliciunt, Dysenteria laborantib. recte dantur. Sed antequā has aquas præbeamus, animaduertendum ex I I. De Simpl. Med. facult. cap. x. & x I. an corpus totum biliosiorib. ac acriorib. humorib. refertum sit; an intestina, & venter pituita cōcreta affluāt; an stercore multo abundēt; an asperiora sint; an deniq; integriora, ac puriora. ad hæc vulgo medici respicere minime solent. Quāobrem nihil mirum si alia atque alia consequantur euenta, quorum dein causſas inuestigare vix possumus, si igitur aquæ in ventrem, in quo magna vis pituitæ

concretæ coaceruata sit, ingerantur, nullo præterea adiecto sale aluum lauant, ac liquant. quod si salem habeant, pituitam abradent. intestina quoque exulcerabunt, si nulla pituita in illis sit accumulata, aut puriora sint. quod si biliosiores, aut acriores humores circumfluent, illico extrudentur, & eorum morsus egregie sanabunt. Officium igitur boni Medici est, ex præceptis artis corpora purgare, antequam aquas ægroti perpotent, atque his cogitationibus animum agitare, quæ quid in corpore subsit, facile demonstrare possunt. qua in re omnis consumitur optimi Medici curatio. at cur nonnulli ordine medicamentis perpurgati, exhaustis vere Barnabonis aquis, quæ biliosa propulerint, incidunt sæpe summa æstate in febres ardentes? an quod recte corpus totum exinanitum non fuerit? namque biliosæ illæ eiectiones corpus totum affectum, ac refertum esse plane demonstrant, qua in re auctore vtimur Hippocrate, qui 11. sententiarum xv. „ hæc fere scripsit: *Cum fauces ægrotant, aut tubercula in* „ *corpore oriuntur, eiectiones inspicere oportet; etenim si bi-* „ *liosæ fuerint, totum corpus vna ægrotat; sin autem persimi-* „ *les sint sanis deiectionibus, corpus alere tuto possumus.* neq; vero signa desiderantur, ex quibus coniecturam facere possimus de aquarum vtilitate; namq; si biliosiores, aut acriores humores vel ventriculum, vel intestina arrodant, cum vtilitate aquas exhauseris; si aut dolores continuo lenientur, aut cum iis quæ iniuriã inferunt, aquæ pulcherrimæ prorumpant. quod si aut venter, aut intestina asperiora reddita fuerint, vehementer expediet ægroto aquas ingessisse; si harum facultatibus commissum non sit, vt veteri minime abiecta nouam intestina susceperint asperitatẽ. quod si stercore multo abundabunt eadem intestina, vtilitatem capient ægroti ex earum vsu; si, cum aquas egerent, stercora quoque sine morsu deiiciant; votum est enim, cum medicamenta commodo ægrotis sunt; lucri est, cum eadem

medicamenta omnes aduersus ægrotos iniurias prætermittunt. has aquas cum perscribimus, vt singulorum cyathis ʒ. j. salis addatur, imperamus, vt scilicet facilius deiiciantur; periculum enim est, ne si per ventrem non excludantur, turgiduli euadant ægroti; quod & animaduertit Plin. lib. xxx i. cap. vi. his verbis: *Vidique iam turgidos bibendo in tantum, vt anuli integerentur cute, cum reddi non posset hausta multitudo aquæ.* non committit vir ille, vt auxilium diutius desideraretur; nam statim subdit: *nec hoc ergo fieri conuenit sine crebro salis gustu.* tanti ego viri auctoritate commotus, & antea in aquis Villensibus & nunc in his aquis sal coniicere soleo. cum enim tradit non sine crebro salis gustu, aquas huiuscemodi perpotari debere, sic accipio, vt & sal addi conueniat, & crebro id est, singulis quibusque cyathis aliquid salis recte iniici possit. quod si ægrotum adducere minime possumus, vt Sale vtatur, cõferre nos debemus aut ad Mannam, aut ad Syr. ros. sol. quæ & ichores egregie extrudunt, & aquas propellunt. quod si ne hoc quidem ab illis impetrare possimus, cum his aquis recte Tectutii aquas consociabimus. Ego vero perpetuo fere confudi Syr. ros. sol. ex Agarico: nam cum hæ aquæ sales habeant, & Bitumen, Agaricum cum his conuenire experimento cognouimus; nam cum Agaricus minimum essentiæ habeat aquæ, ac digerendi, & calefaciendi vim nactus sit egregiam, cum his aquis recte coniungi posse putaui: neque vero res alium habuit exitum, ac sperabam; etenim pituitosiores humores optime eiectos notauimus, quibus vulgo abundant omnes; qui in appetendo minime sibi temperant. neque vero veratrum, aut scãmonium vnquam adieci; Biliosiores autem humores perpetuo eiectos obseruaui. dantur autem ℔. i v. summum vi i. minimum i i i. quæ hoc loco deesse videntur, petenda sunt ex ii. lib. cap ii. in quo de ratione exhauriendi aquas Villenses disputauimus. quos ha-

ctenus vſos fuiſſe his aquis vidi, ex loco vbi ſcatent, eas exhauſiſſe mihi obſcurum non eſt. nunquam exportandas curaui; puto tamen poſſe fieri, vt cum aliquo inuehuntur, eius vires langueant; Bituminis enim vis facile diſcutitur, ac difficilius ad priſtinam virtutem reuocatur; etenim nullo negocio exhalat. vteri affectibus has aquas conuenientes eſſe vel ex Galeni teſtimonio comprobare poſſumus, qui lib. IX. cap. X. καὶ πᾶσι in huiuſcemodi affectu Bitumen, & Agaricum maxime laudat. verba adſcribam, tametſi illuſtriori in loco poſita ſint, neq; vero vereor, ne quiſquam ſuſpicetur auctorum verbis me mea ſcripta infarcire, atque a Galeni, optimorumque auctorum ſcriptis ad noſtra hæc legentium animos tranſducere velle; ſunt enim perpauca. *Ad vteri igitur* inquit *ſtrangulationes conuenit agarici ʒ. I. ex vino. Plantaginis ſem. & ſuccus ex vino, onyx detractus ex conchylio perpotatus. Acetum ſquilliticum abſorptum. ceterum odore excitat hoc morbo correptas mulieres Bitumen, & Caſtoreum.* quod ſi Bitumen odore id præſtat, idem potandum cum damus, efficaciſſimum ſemper reperi. Bitumen cum diſcutiat, facile menſtrua poteſt extrudere, præſertim ſi cum iis conſocietur, quæ eius vim minime frangat. Optime igitur Dioſcorides Bitumini Caſtoreum confudit lib. I. cap. XXCV. recte fortaſſe & nos, qui cum his aquis Agaricum permiſcuimus, quod & menſtrua ſubmouet. in Dyſenteria ex ptiſana præbet Dioſcorides, at Plinius ex vino. harum ego aquarum cyathos III. & vini optimi nigri, non auſteri cyathum vnum in Dyſenteria diuturniori, vt biberent ægroti, aliquando imperaui, atque maxime iuuit; profluuium enim egregie coercuit.

De D. Ioannis aquis. CAP. XIII.

HOC restat scilicet, vt ad D. Ioannis aquas ascendamus; in montis enim fere iugum se receperunt. de quib. pauca verba faciamus; quod antea de aliarum natura longiorem orationem susceperimus. in maximis vero omnium rerum difficultatibus versati essemus, si inter initia de his a nobis disputatum fuisset; intempestiue enim, & non sine molestia de ceteris quoque aliquid dicendum statim fuisset. nunc hæ profecto facilius cognoscentur ex colore, qualitate, consistentia, odore, & denique facultatib. quæ in vinis obseruare solet Galenus 1 1 1. De victus ratione in morbis acutis p. 1. quæ ad harum aquarum rationem cognoscendam recte transferri possunt. quæ quoniam in superioribus libris, cuiusmodi essent, satis sunt (quod spero) a nobis demonstrata, hoc in loco diutius commorandum esse non putaui; quod omnib. iam pateant illustrius. has vero Argentum, aut Aurum, aut Æs habere quidam dictitant: ego vero calidiores aquas esse arbitror, easque purissimas: namque in omnes vsus veniunt. ex illis carnes coquuntur, vino in prandio, & cœna permiscentur. illas pueri vulgo bibunt: est igitur cur censeam has aquas in tanta & salis, & Sulphuris, & Bituminis, & Nitri, & Aluminis copia suam naturam tueri, ac colere; cum enim ex superiori parte decurrant, vt caloris vim ex Sulphure excitati maxime sentiant (magnopere enim calent) in Sale, Sulphure, Bitumine versari non possunt; quod ea grauiora sint, atque in terræ cauernis delitescant. huc accedit montium natura, qui suas habent crustas, vel musculos. hæ autem aquæ in superioribus crustis constiterunt; summum enim prope montem tenent. nugas agunt, qui aut Argentum, aut Aurum his in locis reperiri temere affirmarunt, quæ nunquam quisquam inspexit. at id seniores multi plane asseruerunt. an Aurum, aut Argentum

tunc procreatá ſunt, cum nondum mons conflagraſſet, flammaſque concepiſſet; quæ accidiſſe aliquando & antea animaduertimus, aut ſua vi, aut fulminum ictibus? mihi quidem fiet veriſimile, cum aut Aurum, aut Argentum prodierit. Ego autem ea in medium attuli, quæ mihi maxime probabilia viderentur, & quæ homini ſat eſſe poſſunt, qui non facile patiatur ſe a ratione auocari. veruntamen hac in re oculis potius ad cernendum, quam rationibus ad probandum opus eſt. hę vero aquæ humectant, calefaciunt, aperiunt, leniunt, attenuant, digerunt, reuellunt, ſudores eliciunt, dolores remittunt, ſomnum mouent, concoctiones moliuntur, vires firmiores reddunt; Iecoris intemperiem calidiorem, & ſicciorem abſtergunt, corpus plenius reddunt, ac ſine laſſitudine tuentur, diuturnioribus morbis extenuatos implent. vtilitatem haud vulgarem conſequuntur ex his aquis, quos ſcabies aut iam occuparit, aut inueterauerit. hæc vitia abolentur harum aquarum beneficio, præſertim ſi ægrotantes ſtomachum nacti ſint minime imbecilliorem, aut iecoris temperamento præditi non ſint frigidiori. De his autem minime laboramus. quamobrem iam iam deſertas, atque abiectas eſſe intelligimus. in res inanes ſtudia noſtra conſumemus, ſi vel ſub Cane in harum aquarum ſolium ægrotos deſcendere, ſi vel duarum horarum ſpatio in illud ſedere, ſi mane, & veſperi in illud venire poſſe, ſi denique os Ventriculi vnguento Nardino inungi debere notabimus; namque hæc iampridem litteris conſignata ſunt.

De

De aquis D. Luciæ Oricularijs.

CAP. XIIII.

A Montis huiuſce latere, quod in Solem æſtiuum Occidentem vergit, ad dexteram ad aquarũ prope diuortia ſcatent aquæ, in quibus Salgemma, & Alumen ſuperat; guſtu id facile percipitur; & aquis in vaſe vitreo coniectis, vbi ros emiſſum eſt, id quod ſubſidet, Salgemma, & Alumen repręſentat, adſtringunt, ac diſcutiunt. plurimo vero Salgemmæ tantillum Aluminis admixtum videtur. Caloris copia ſubeſſe minime poteſt, quod longo interuallo diſiunctæ ſint à ſumma vi caloris. cum igitur ita ſe res habeat; idem & ex recta vniuſcuiuſque quæ has habere aquas diximus, enumeratione poſſumus animaduertere. quod more, & inſtituto magni Hippocratis agimus, quod notauimus in libro περὶ διαιτης adſtringere, & diſcutere neq; Sulphur, neque Bitumen, neque Nitrum, neque Ocra, neque Rubrica, neque ſinopica poteſt, neq; ſi in vnum hæc omnia cogantur, multo minus ſi duo, aut tria copulentur, quæ tamen nunquam natura coherere videntur; multa enim inter hæc obrepere ſolent. aquæ D. Luciæ vulgo appellantur, oculorum profluuia leuant, lacrymas comprimunt, epiphoram ſupprimunt, dolores oculorum ſedant diuturniores: & ſi intumuerint, tumorem omnem abſtergunt, ſordes expurgant, ac coercent. has aquas aut per linteum ſuper oculos bene mane ieiuno ſtomacho exprimimus, aut certe iiſdem conſperguntur. multis te morabor, ſi & victus rationem perſcribere, & qua ratione totum corpus in oculorum vitiis perpurgandum ſit, exponere velim; quæ à paucis quæruntur, & res ipſa plura minime deſiderare videtur.

IOAN. BAPT. DONATII, DE AQVIS LVCENSIBVS, *LIBER IIII.*

De his, quæ desiderantur in aquis Lucensibus. CAP. I.

EA demum, quæ iure, ac merito desiderari à nobis possunt, breuissime explicare aggrediamur. qua in re satis mirari non possum, quid sit, quod cum doctissimi quidam viri sæpe ad has accesserint aquas, quas summa diligentia nostri merito semper coluerunt; nemo tamen adhuc extiterit, qui, quid potissimum in his deesset, & necessario requireretur, literis consignarit. qui vero Villensium aquarum fistulas instituit, idem, vt de loco, vbi sudarent ægroti, maxime vellem, vt attentius cogitasset; namque sudiculum in curationibus morborũ, qui renes vexãt, optime conuenire testatur primum Archigenes, deinde Aëtius lib. XI. cap. v. Smegma Archigenis refert; & quod referat, idem laudet, comprobetq; necesse est. componitur ex his, Piperis, calcis viuæ, sinapis, fęcis vini vsti, staphydis siluestris, Nitri, Adarcis, Pumicis, Aluminis scissi, Sulphuris viui, sing. par. portiones, atque vt eo sudans in Hypocausto, vel caldario veteretur ægrotus, iubebat; is enim locus ad sudandum fuit, qui locus quoque assa à veteribus est appellatus. idem paullo infra cap. XI. apertius multo tradidit; cum enim ea remedia perquireret, quæ & vesicæ, & renum calculis maxime conuenirent, præstantissimum remedium adscripsit, quod habet Alliorũ nucleos VII. Piperis grana IX. id autem ex vino præbet in Balneo, postquam

postquam in calidiorem eius locum descenderit. Paulus lib. III. cap. XIV. Sanguinem hircinum, cicadas, lapidem Iudaicum ex mulso in calidiori Balnei solio, vt detur imperat. idem Soranus in lienosis, & iecoris vitiis vsum naturalium aquarum, atq; natationem maritimam, & vaporationem locorum naturaspirātium, quo etiam sudores moueant, maxime probat lib. III. cap. IV. Naturalium etiam aquarum laudat exhalationem in Regio morbo, quippe quæ sudores non modo elicere, verum etiam effundere possit. vapores autem quanto longius à terra & ab aqua efferuntur, tanto sicciores, & aridiores esse verisimile est. & Aëtius deniq; lib. X. cap. IIX. ea medicamenta, quę Ictericis potui dari solent, maxime præbet, cum ægrotus in calidā descenderit. ego vero, quę mihi verissima in mentem iampridem venerāt, ne nunc quidem, cur abiiciam, satis perspicio. ad has aquas in renum vitiis curandis decurrimus, quippe qui Thermarum vsum temporum iniuria iamdudum amiserimus, in quibus multa, eaq; egregia medicamenta vsurpabant optimi quique medici. has aquas Dei summa benignitate accepimus, in quibus ea medicamenta è tenebris eruere, & ad vsum promere cōmodius multo, quā perantiqui illi possumus, quod nacti simus ad sudores eliciendos vapores illos, qui ex aquis efferuntur, quæ renum mala euincunt egregie. multos præterea ad has aquas quotidie accedere videmus, in quorū corporis habitu humores plane superfluunt, quos medicamentis magno cum ægrotorum malo, atque incommodo intus adire aliquando conamur; quod omnino perficere operosum est; *difficilius enim esse scriptum reliquit Galenus ea discutere, quæ in carnibus coierunt, quam ea, quæ in aliqua sede conclusa sunt, extrudere* II. De sanit. tuen. cap. III. huc accedit, *quod qui extra feruntur humores, recte minime intro reuocantur: neq; qui intus tendunt, foras cōmode prodeunt.* quod in extremo VI. capitis idem adnotauit Galenus.

reperiuntur adhuc multi, qui aliis, atque aliis morborum generibus laborant, quibus ſudiculum præſens ſolet eſſe remedium. eos minime enumerabo, tum ꝙ in promptu ſunt, tum quod cuncta protinus cõtrahere deliberatum mihi eſt. ſuper Baias in Murtetis erant ſudationes; Aſſas ſudationes in noſtris habemus calidioribus aquis; abeſſe igitur non poteſt, quin eiuſdem medici ſit, qui varia ſudatoria ignoret, hęc improbare. vehementer etiã deſiderarem, vt aliquid de balneolis, ſiue alueis, ſiue labris, quib. aqua frigida includeretur, commentatus eſſet. cuius vſus neceſſitas ſæpe incidit. ne multis. id luculente tradit Aëtius lib. xi. cap. xv. his verbis: *Confert & naturalium aquarum calidarum, & frigidarum vſus.* ne quis putaret de illis aquis, quæ huiuſcemodi virtute præditæ eſſent, illum nõ agere, paulo poſt ſubdit: *Aquisque naturalibus principio quidem calidis, dein quoque frigidis, præcipueque Sulphureis, ac Bitumineis.* atque in coxendicis morbo probat idem Aëtius lib. xi i. cap. lv. *naturalium aquarum vſum inter initia quidem calidarum, dein etiam frigidarum,* quod & in Podagræ curatione ſedulo obſeruandum cenſeo. Ego vero hac in re quod veriſſimum eſt, cur ſilentio inuoluam, ſane non deſpicio, harum aquarum calidarum beneficio nulli ægroto ſanitatem hactenus reſtitutam vidi. at ea ratione curandi plures ad ſanitatem perductos obſeruaui. frigidarum etiam vſus aquarum exploratus eſt ab Alexandro Tralliano, qui ſanguinem hyrcinum præbet, cum ægrotus in frigidam deſcẽdit, & Cœlius Aurelianus i i. trad. cap. i. *Vtraq; enim hæc (inquit) paſſioni ſubiectæ ſunt, vt etiam ſtupor corporis, vel frigidus torpor, quem nõ ſemper neceſſario vaporationibus calidis, verum etiam frigore adhibito releuamus.* nihil eſt de frigidæ aquæ vſu, quod præterea addamus; plures enim video, qui hæc erudite perſecuti ſunt. Barnabonis aquas diutius negligere non debemus, ne noſtra culpa intereant illæ aquæ, quæ maximo nobis emolumento

mento esse possunt. de structura Balnearum verbum non addam. illud tantum, quod præterire nefas esse duco, quod saluti ægrotantium plurimum conferre posse arbitror. quid illud est? vt & caldarium & tepidarium exędificetur. adiiciendi aluei, vel labra muliebria, & virilia, quæ è regione collocentur, ita vt caldarium medium relinquatur, at quid hoc tantum? minime; verum etiam vt aquarum fistulæ instituantur. hac enim ratione si fiãt, erunt aquæ (vt arbitror) vtiliores. in cunctis vero Balneis Apodyteria necessario requiri multi quoq; ante nos animaduerterunt; propylæa vero calidarum aquarum momenti nihil habere videntur. sic vero appellat S. Ioan. Chrysostomus balneorũ vestibula in ea homilia, in qua negligentiã potissimum exagitat. eam vero nuper de Græco in Latinum vertit Flaminius Nobilius, qui scriptoris illius eximiam, & præclaram vim ita Latine expressit, vt Græca illius scripta amplius desiderare posse non videamur. in aquis vero Villensibus vt tria saltem instituãtur aquarum illarum vel lacunę, vel castella, vel receptacula, quę Græci (vt arbitror) πύελους vocant, quod ex Galeni verbis percepimus VII. Meth. meden. cap. VI. & eodẽ modo appellat Razes in lib. de Peste, cap. VII. & Iulius Pollux lib. x. cap. XVI. Τὰ μὲν ἐν τῷ βαλανείῳ σκευῶν ὀνόματα, ἀσάμινθος, πύελος, κρουνός. Id est, *supellectilium, quæ in balneis reperiuntur, nomina sunt, lauacrũ, πυέλους.* Latrina ex Varron. libro IIX. De lingua Latina, sed quid non ne hac voce vsus est Plautus in Rudente?

Postea ibo lauatũ in Pyelum, ibi fouebo senectutem meã.

Cœlius Rodiginus lib. XXX. cap. XX. videtur Pyelos fuisse concauus locus, in quo abluerentur. In his tantum aquarum contineri, aut secludi velim, quæ ex fonte veniant, quantum alueoli, vel labri, vel Balneolæ iterum recipere possint, atque ex illis receptaculis in alueolos, in quibus ægroti descendunt, quoties velimus, copiosissime redundent. Fastigium vero habeant, peruelim,

vt exeant è fundo alueoli aquæ calidiores. In D. Ioannis Balneo tametsi & aërem, & aquas calidiores habeamus, aquas tamen frigidiores desideramus; etenim si corpus nostrum densius est, moram aliquam interponere oportet in aëre calidiori; sin siccius in aqua calidiori, quod si calidius sit, & inæqualitatem habeat, in frigidam dimittendi essent ægroti. illud quantum est, quod his Balnearum vel ministris, vel curatorib. quos aut mediastinos, aut mediastrinos veteres vocabant, potissimum sacras has aquas locamus, qui non modo omnium disciplinarum rudes, verum etiam moribus rustici sunt, ac agrestes? hi vt experientiam sequantur, quæ nulla ratione nititur, lucro tamen mirum in modum eosdem duci videmus; namque futili eorum cantilena, quid aliud quærunt, nisi vt quamplurimum lucrifaciant, & paruo precio Balneas redimant huic malo, quod hospites, quorum amicitiam Respublica nostra cupidissime semper appetiuit, & ad eam voluntas ciuium meorum semper noui aliquid attulit, plane eiicit, ac extrudit, omnes mederi debemus. probare non possum eos, qui in vndique concluſa balnea se coniiciunt: aquæ enim calidiores vapores refundunt, quos rursus ad se trahit caput, quibus plenis, ac refertis multi, ac multi mali affectus interueniunt, vt Vertigo, & Scotomia, & Paralysis, & Apoplexia, & Epilepsia, & si qua alia sunt, quę colliquati humores afferunt, quibus caput fere abundare solet. Plinius certe lib. xxxi. cap. vi. hoc animaduertit, cum scripsit. quippe & vastitate odoris capita replentur. habemus igitur, quos iure accusemus vapores, quorum causa in Balneis minus perdurare possumus. attamen inueniuntur multi, qui omnem culpam reiiciunt in aquas calidiores, qui recte minimę iudicant. rem palam exagito, cum video eos, qui ad Balneolum nostrum se conferunt, illico fenestras, quę antea aërem aditu minime prohibebant, obserare; vapores enim, quos aquæ calidiores efferunt, in angustiorem

anguſtiorem locum compellunt, qui vbi in ſupernum locum peruenerunt, deorſum referuntur. quare hoc in loco facere non poſſum, quin meis ciuibus ſignificem vaporibus egreſſum in noſtris balneis liberiorem omnino eſſe debere. id ex arte fieri poteſt, ſi locus ſit apertus ad lumen accipiendum, & vapores detrudendos in faſtigio Balnearum, iſque rotundus ſit, quem columnis vndiq; perite clauſum, & ornatum eſſe debet; & ne pluuiæ aquas aliquando refrigerent, tectum habere oportet. hac ratione, ęgroti in clariſſima luce verſabuntur, & vapores, quos aquæ calidiores perpetuo efferre ſolent, amplius non decident, atque eoſdem venti omnes vna ſecum percommode rapere poterũt.

De iis, quæ conſequuntur, & qua ratione obſtructio impedimento ſit, ne aquæ Villenſes ad Renes poſſint peruenire.

CAP. II.

VIcium præcluſi, obſtructique iecoris concitatur in venis portis in flexu illius, qua in tenuiſſimas venas terminatur, quod quidem nemini obſcurũ eſſe poteſt. at hoc, quod ſequitur oculis minime percipitur. Hæ oſcillis coniunguntur cum iis, quæ in deuexo ſunt, per ſua ora. compertum habent hoc omnes medici, quod alimentum, quod à Stomacho miniſtratur, ab iis venis, quæ in flexu ſunt, ad venas deuexi tranſcurrit, quod deinde in totum corpus diſpergitur. aquarũ vero calidarum cum magnam vim aſſumamus, neceſſe eſt, vt quemadmodum ſpacio vnius horæ aceruatim cœpta eſt, ita tota venas illas tranſcurrat, & ad veſicam perueniat. quod ſi venarum riuuli obſtructi fuerint, mora iniecta, longiori tẽporis interuallo pedetentim percolatæ diuerſæ, ac diſſipatę in omnes corporis partes diſtribuuntur; venarum enim anguſtiæ quo minus ἀθρόως tranſcurrerint, impedimento fuere. quod ſi qui

reperiuntur, qui noctu tantummodo aquas edant per veſicam, illos maiori calore indigere neceſſe eſt, quo quaſi comite aquæ venulas illas tandem aliquando erumpunt. noctu autem concoctionis tempore natura maiorem nacta eſt vim ad transiiciendas aquas.

Non transfluere aquas, quod in Stomacho multa ſuperuacua reperiantur, & qua ratione extrudenda. CAP. III.

NOtaui ſæpe aſſumptas aquas nunquam aliquando transfluere quod intus aliquid opponatur, in quo extrudẽdo multum operæ interdum fruſtra ponimus; non alia (quod diligenter quidem obſeruaui) de cauſſa, niſi quod in Stomacho haud vulgaris coaceruata ſit humorum copia pituitoſorum, qui calidioribus medicamentis propulſi, in omneſque venas diuiſi eas obturant, ac infarciunt. illi vero humores generantur, quod in appetendo minime ſæpe nobis temperemus. hos in inferiora depello Agarico potiſſimũ, ac Rhab. nunquam fere medicamento, quod Scammonium habeat, quod nonnullã Stomacho inferat iniuriam; & vt in eam partem humores vertantur, cauſſa eſſe ſoleat. quod vero ad Syr. pertinet, non VI. aut VII. ſed X. aut XV. aut XX. vt darentur, aliquando imperaui. vix enim incredibile eſt, quam difficile ſit, interdum corpora ſuperuacuis humoribus plane liberare. efficaciſſimum, egregiumque expertus ſum Syr. de abſinthio; mirifice enim eum vrinam mouere animaduerti, renibus robur addere, virtutem, quæ retinet, firmã facere, quod & Dioſcorides deinceps adnotaſſe cognoui. eum autẽ aſſumere iubeo ex decocto hyſſopi, ſem. maluæ, paſſularum. poſt cœnam ſæpe huiuſcemodi medicamentum perſcribo, quod habet Paſſularum ℥. I. liquiritiæ, ſem. Halicacabi, vel Anonidis rad. cort. ſingulorum ℥. I. ß. Rhabarbari ℥. I. ß. Tragacãthi ℥. V. ſacchari candi.

℥. I. ß.

℥.i.ß. excipiuntur Syr. Hyſſopi. cum autem aquæ cum vrina minime eduntur, perpendendum num eorum curſus in inteſtinis conſtiterit, an in veſica hęſerit; an potius venæ eas abſorpſerint. ſi ad inteſtina totę cōfluxerint, colligitur id ex tenſione, ac tumore; culpā ſuſtinent venæ meſeraicæ præcluſæ, quæ aquarum profluuium comprimunt. vomitum comprimere debemus. namque ex ſententia Galeni iv. De victus rat. in morb. acut. p. c iv. ad omne morbi genus pertinent, clyſteres perſcribere, & vomitum ſupprimere in his humoribus quos venter præter naturam continet, ac, vt ex artis præceptis extrudantur, maxime poſtulat. & Hippocrates, ita affectum ne euomat, curato, ſcribit, venterque ſollicitetur. extruduntur igitur aquæ clyſteriis, aut glandulis. Clyſter hæc habere debet, Calamenti, Hyſſopi, Feniculi, Polypodii ſing. m. ß. Centaurii minor. m. i. decoquuntur ex aquis Tectutii. his adiungimus Hyeræ picræ, Benedictæ ſing. ℥. ß. mell. roſ. ℥. iii. Ol. rutacei ℥. iv. ſi omnes in venis cōtineantur, euocantur, Balneis earundem aquarum calidioribus quæ ſudorem diffundant. Maſſilię Laurentius Strozza S. R. E. Cardinalis ampliſſimus, cuius nomen in benedictione eſt, has nonnullorum impulſu aquas aliquando exhauſit, quib. in venas admiſſis paulo poſt totum corpus intumuit; facies vero adeo in tumore erat, vt ſub ea oculi plane deliteſcerent. illum cōtinuo in alueū harum aquarū demiſimus, quæ calidiores à nobis paulo ante de induſtria redditæ fuerant, qui hęc in hoc remedio accidere facile poſſe cogitaremus. tumor principio parum deſidebat, verumtamen poſtquam ab iis, qui circa erant, exceptus in lectum delatus eſt, ac ſtragulum ſuperiniectum eſt; ſudor illico copioſior eſt conſecutus, à quo tumor omnis protinus diſcuſſus eſt. poſtridie aut ſyr. roſ. laxat. aut iridis, aut Braſſicæ marinæ decoctum præbeo, aut certe Mannam vulgo appellatam. nonnunquam eadem die ad clyſteria cōfugi,

quæ constant ex iis, quæ paullo ante tradidimus. aut simul incoquere solemus ex aquis scilicet Tectutii Agarici, Colocynthidos, rad. Ebuli, Cucumeris Asinini sing. ℥. 11. sin in vesica substiterint, eam oleo Scorpionum inungimus, aut in eam, vt Castoreum cum oleo Rutæ confusum iniiciatur, curamus. eadem in aluum recte indi possunt; & aliquando in eam dedimus Falernum, in quo vt decoquerentur Fœniculus, Cuminum, Anisum, Origanum, Ruta imperauimus. nõnunquam sisymbrium ex oleo Scorpionum subieci, & vt vesicæ imponeretur, curaui. sæpe auxilio fuit cataplasma, in quo erat Porrum, Allium, farina Lupinorum, sem. lini, fœniculi. persepe veruecis Zirbum, quem appellant, dum caleret, imposuimus. haud raro iussimus, vt ægrotus in latere sederet igne calefacto, & vino aspersо albo.

De anni temporibus obseruatio.
Cap. IIII.

EAdem aliquando destillare minime solent, quod annus antecesserit humidior, ac calidior; neque enim verisimile est aquas tametsi terra abstrusas abesse omnino posse ab aquarum, & temporum iniuriis, præsertim cum Aristoteles testatum reliquerit aquę dulcis copiam ad calidiorem profluentem aliquando adiungi solere. hinc in Veris flexu recte dantur, atque inter Æstatis initia, nec non & Autumno, præsertim si calidior, & siccior extiterit. ego vero anno CIↃ. LC. LXXIX. in quo, pfecto aquæ ingentes fuere, perpaucos omnino aquas hasce extrusisse notaui. nullis excidit, qui ita corpore facti essent, vt humidiores, frigidioresque viderentur. atqui aëris vitia, ac incommoda lenire possumus, propulsare non possumus. qui quasi iure hæreditario facile labere possunt in morbos articulares, nisi si aquas nullo negocio extrudant, vel me auctore ab illis abstinere maxime debent. & quos Podagra male habet,

habet, nisi si aut cum vrina excernantur, aut eas aluus fundat, in illis morbum aggraueſcere notamus; retentæ enim hæ in venis collabuntur in artus.

Haſce aquas cum aliis minime commiſceri. CAP. V.

SCio ego hæc, & pprios naturarum modos, & temperamenti proprietates, & morborum apparatus, & obſcuriores, & proprias cauſſas quaſdam, & denic; naturæ motus minime animaduertere illos, qui has aquas aliis quibuſdam permixtas, ac confuſas nunc demum profluere dictitant, quę & conſtanter idem ſemper præſtiterunt; & vno, & eodem modo, ac loca perpetuo delabuntur eodem odore, ſapore, calore præditæ erumpunt. atque ego, qui cuncta hęc loco ſæpius obierim, ac diligentius explorauerim, vere teſtari poſſum nullam rem à me hactenus repertam, quæ earum naturam aut labefactare, aut commutare poſſit. quod ſi cum aliis permiſcentur, obſecro cum quibus? quæ ſunt illæ, quæ in illas decurrere poſſint? quis eſt, qui nõ videat, cum his montibus nullos iunctos eſſe altiores iugos, aquas vero perennes habere? & tamen inuenti ſunt nonnulli, qui de earum dignitate nonnihil detrahere conati ſint, qui non ratione, aut oratione egere videntur, ſed oculis ad cernendum.

De curandis iis, qui in Balneis animo facile concidunt. CAP. VI.

QVod autem multi reperiantur, qui animo facile concidant in Balneis, illis auctores ſumus, vt antequam in Balneum deſcendant, panis fruſtulum tãtum aſſumant, minime bibant. Oua probare non poſſum, quod maxime nutriant, & nullo negocio diſtribuantur. multo minus confectiones, quas appellant, laudare ſoleo; namque hæ omnino calidiores ſunt. vinum

autem prorsus reiiciendum; quod & caput vaporibus repleat; & ciborum illo epoto præceps, & lubrica cõsequatur distributio, quæ ex 1. De sanit. tuen. cap. x. & x1. facile eliciuntur. postquam autem animo malefactum est ægroto ex sententia Aëtii lib. 1x. cap. x1 1. totum corpus leniori veste tegendum, facies madefaciendaspongia in frigidam demissa. Hinc illa

» — *obsipat*
» *Aquulam*.

perfricandus stomachus, & pedes. os aperiendum, & pinna faucibus ingerenda, vt humor, qui culpam sustinet, vt ægrotus animo conciderit, euocetur. aqua tepida in ore instillanda. quod si nullus vomitus consequatur, huiuscemodi tamen remediis, morbus finiri solet. & quoniam ægroti fere intermortui os aperire nõ possunt, comprimendus auris meatus, & os petrosum, quod λυθοίδια Græce vocatur. & Plautus;

» *Perij, animo male est, contine, quaso caput comprime.*
» *Perii, cedendus ægrotus, capilli euellendi, vociferandũ.*

cæterum postquam ægrotus deficiens seruatus fuerit, neque in frigidam, neque in calidam demittendus est, aut enim lassato, corpore calor facile resoluitur, aut à frigiditate adstrictis corporis aditibus idem calor extinguitur.

Qua ratione præcordia, renes, & caput ab aquarum iniuriis tueri possimus.

Cap. VII.

QVod si qui inueniantur, qui præcordia, aut Renes calidiores nacti sint, antequam in Balneis descendant, hæ particulæ inungendæ sunt, aut Vng. ros. aut Sandalino, aut Nardino. super stomachum autem imponenda sunt, quæ illum refrigerare possunt, si calidior sit; sin frigidior quæ calorem incolumen tueri queant. caput autem pileo protegendum, ne vaporibus impleatur, ac incendatur.

Morbo Gallico vexatis potestatem aquarum non continuo faciendam esse. CAP. IIX.

QVÆRI sedulo solet, num qui morbo Gallico aliquando correpti fuere, ad has aquas sint impellendi. haud sum nescius eruditissimos viros ita sensisse, vt morbus Gallicus nunquam recte aquis calidioribus percuretur: sed ab eo morbo plane perfunctis easdem salutares esse solere; modo eo morbi genere vexentur ægroti, vt cum eo nullam habeat societatem, & alius, atque alius morbus videatur. quos ego non hoc nomine accuso, quod his aquis calidioribus neminem subleuatum esse fateantur. sed quod aliquod morbi genus in eo corpore, quod morbo Gallico correptum sit, excitari posse existiment, quod illius reliquiis plane non inhæreat; nullum enim ille non morbum concitat; & acerbissima quæque symptomata eum consequuntur. quid ergo? inquies, nunquam ne ex arte profligabitur morbus? ego vero Salsa Parilia multos alleuari sensi. China ęgrotorum plurimorum saluti subueni. Lignum vero Sanctum vulgo appellatum, quasi Deum medicinam huic malo feciſſe vidimus. sed etiam, atque etiam perpendendum arbitror, an Iecur calidius sit, quam naturalis corporis habitudo postulat; & morbus qui prorumpit, ex alio protinus erumpat. etenim si calidius factum est Iecur, aquas has præbendas esse minime censeo; & quod Iecur calidius multas soleat coaceruare cruditates (ab imbecillitate enim Stomachi, quæ Iecori calidiori fere consequitur, cunctæ fluunt concoctionum euersiones) & quod quemadmodum vsum aquarum calidarum in capite calidiori summopere improbet Galenus, VI. De Sanit. tuen. cap. IX. sic & in iis, quæ assumuntur aquis, Iecore percalido sentiendum arbitrer; non enim longius excurrit oratio; & par ac eadem ratio existit. ad eum autem caloris gradum elatum est Iecur a morbo, vt iam non

concoquat,& humóres amplius tepefaciat,vt ſolebat, ſed plane comburat. vidi ego ſuperiorib.diebus quendam morbo Gallico perdiu correptum,qui aſſumptas aquas,nunquam extruſit,tametſi optime ad ſanitatem iampridem perductus videretur. quod ſi morbus abſceſſerit, continuo perpendendum, num ab hoc ad illum morbum compulſus videatur ægrotus; etenim ſi huiuſce cauſſa in illum priorem conferenda eſt, aquæ Lucenſes tantum abeſt, vt morbum diſcutiant, vt longinquo,& periculoſo morbo ſæpe implicentur ægroti. hortatus ſum nonnullos, qui in huiuſcemodi morbum inciderunt, vt aquas has aliquando ſumerent; cuncta ſumma ratione egimus, fortuna nunquam ſequuta eſt. principio quod morbus calidior ſit, & aquæ Lucenſes alia, atque alia qualitate præditæ; etenim & Alumen, & Bitumen, & Nitrum, & Salgemma nactæ ſunt.quapropter vno conſenſu agere minime poſſunt. huc accedit, quod virtute cunctæ exiccent. re autem vera humidiores ſint, quod Hippocratis teſtimonio ex lib. De Aëre, Aquis, & Locis cap. 111. multo ante comprobauimus.quid plura? primo ſiccitas in ſenſum ſe dat,eminet,elucet,deinde quæ diſſoluere,ac diſſipare poteſt facultas; quæ adeo infirma videtur, vt id, quod debet abſoluere, ac perficere ſæpe nullo modo poſſit. quapropter aditus intercluduntur, & multa vis aquarum in prioribus venis conſedit, quæ deinde in totum corpus plane diuiditur, quæ longinquum, & inſanabilem morbum efficit. Stomacho imbecilliori præditi fere ſunt,quos morbus Gallicus vexat.at, cum aquas ſumimus,ſtomachi virtus ad eas extrudendas,ac diſtribuendas deeſſe nullo modo debet. naturam vero a morbi malignitate a ſummo loco depulſam notamus. amant inania, qui de ſtatu morbi requirunt. hi tria illius tempora ſtatuunt. primum eius initium eſt, cum ſcilicet Iecur tantummodo occuparit, quod & Tariolos vocatos,& Bubonem excitarit,quod principium

pium dierum numero definiri nullo modo potest. alterum vero cum humores corripuerit. tertium cum solida male habuerit. ergo auctor sum, vt medicus ex re præsenti cum ex morbo, tum vero ex aquis consulat, quid agendum sit; difficile est enim aliquid perscribere; nam singuli morbi singularem, & exquisitam curationem postulant. Medici enim artem ita exercent, vt singularium sanitatem intueantur, quam habent perpetuo propositam. qua in re omnes hortor, vt priusquam ægrotis aquæ calidiores præbeantur, naturam partium, & morbos quam sagacissime possint odorentur; neque enim inficias imus aliquos posse inueniri, quibus morbo egregie depulso, tuto potestas aquarum calidarum facienda sit. veruntamen neminem adhuc vidimus huiuscemodi morbo infestatum, qui ad hasce aquas accesserit, qui iterum illis confiderit.

Deo vni, & Trino sempiterna Laus, & Gloria, Amen.

Πατρίδα κοσμήσω λιπαρὴν πόλιν· ὅ τ' ὄπι δήμῳ
Τρεφὰς, ὅτ' ἀδίκοις ἀνδράσι πειθόμενος.
Ornabo patriam claram; nec spectato furentem
Iam populum, aut prauorum artibus arrideo.

LIBRORVM CAPITA OMNIA.

CAP.		PAG.
1,	SCRIBENDI *caussa, & occasio.*	251
2,	*Propositio.*	253
3,	*Montis situm describit, & aquarum naturas.*	ib.
4,	*Has aquas ex Alpibus minime defluere.*	255
5,	*Caloris, & calidorum fontium caussa.*	259
6,	*Montem hunc perpetuo flammas minime concepisse.*	263
7,	*Qua ratione ignis accendatur.*	264
8,	*In hisce non modo sulphur, verum etiam Bitumen subest.*	265

9, Hippocratis sententiam de aquis calidiorib. explanat. 268
10, Non sulphur solum, & Bitume, sed & alia quædã subesse, ferri aute fodina fere nõ subesse, vbi calidiores aquæ reperiũtur. 269
11, In huiuscemodi locis esse Bitumen, Sulphur, Nitrum, Salgemmam, Alumen, Rubricam, & Sinopicam. 271
12, Descedit ad singularia, & de fonte Barnabonis, de Ducciis, de Calidiorib. de Villensib. de D. Ioannis & D. Luciæ aquis. 277
13. Peroratio. 282

LIBER II.

1 DE aquarum Villensium caliditatis, siccitatis, & humiditatis interuallis, & de appellato influxu. 285
2, De ratione exhauriendi aquas Villenses. 290
3, Has aquas adstrictionis aliquid relinquere in Renibus & quomodo huic malo ex arte possit occurri. 294
4, Scãmonium, Elateriũ reiicit, aquã Barnabonis dilaudat. 295
5, De victus ratione. 296
6, De Balnei vsu. 303

LIBER III.

1, DE aquarũ calidarũ natura, ꝓprietatib. ac interuallis. 306
2, De calidarum aquarum vsu. 308
3, De sudationibus quas stuphas vulgo vocant. 314
4, De Ducciarum appellatarum natura. 316
5, De forma, & vsu fistularum. 319
6, De calidarum aquarum fistulis. 323
7, De aquarum Villensium fistulis. ib.
8, De victus ratione. 332
9, De aquarum fistulis pro stomacho. ib.
10, De aquarum Barnabonis facultatib. ac eorũ interuallis. 335
11, De vsu aquarum Barnabonis. 339
12, De D. Ioannis aquis. 343
13, De aquis D. Luciæ Oricularijs. 345

LIBER IV.

1, DE his, quæ desiderantur in aquis Lucensibus. 346
2, De his, quæ cõsequuntur, & qua ratione obstructio impedimẽto sit, ne aquæ Villenses ad Renes possint peruenire. 351
3, Non transfluere aquas, quod in stomacho multa superuacua reperiantur, & qua ratione extrudenda. 352
4, De anni temporibus obseruatio. 354
5, Has aquas cum aliis minime commiscri. 355
6, De curandis iis, qui in Balneis animo concidunt. ib.
7, Qua ratione præcordia, Renes, & Caput ab aquarum iniurijs tueri possimus. 356
8, Morbo Gallico vexatis potestatem aquarum non continuo faciendam esse. 357.

FINIS.